Ad usum
Fris Josephi Vincentij Magnieri

Digitized by Google

THEOLOGIA
SCHOLASTICO-DOGMATICA
JUXTA MENTEM

D. THOMÆ
AQUINATIS

AD USUM DISCIPULORUM

EJUSDEM ANGELICI PRÆCEPTORIS

ACCOMMODATA

PER F. VINCENTIUM LUDOVICUM GOTTI

Ordinis Prædicatorum, Sacræ Theologiæ Magiſtrum, & Doctorem Collegiatum, & in Patria Bononienſi Univerſitate Controverſiarum Fidei Publicum Profeſſorem.

TOMUS III. IN PRIMAM PARTEM

De Scientia, & Voluntate Dei.

NIHIL MIHI.

BONONIÆ MDCCXXVII.

Ex Typographia Bononienſi Sancti THOMÆ AQUINATIS.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

CATALOGUS

Eorum, quæ in hoc Tertio Tomo Primæ Partis diſputantur.

TRACTATUS DE DEO SCIENTE.

QUÆSTIO PRIMA.

De exiſtentia, & eſſentia divinæ Scientiæ.

DUBIUM PRIMUM.

An in Deo ſit Intellectus, ſeù an Deus ſit naturæ intellectivæ.

§. I. *Reſolutio Dubii.* pag. 1.
§. II. *Examinatur ſpecialis D. Thomæ ratio.* 2.
§. III. *Solvuntur ea, quæ militant contra præfatam D. Thomæ rationem.* 3.
§. IV. *Aliqua de Divino Intellectu reſolvuntur.* 5.

DUBIUM SECUNDUM.

An detur in Deo Scientia verè talis.

§. I. *Excluditur à Deo Scientia per modum habitus.* 8.
§. II. *Aſſeritur in Deo Scientia per modum actus à priori.* 9.
§. III. *Quorum Deus Scientiam habeat.* 11.
§. IV. *Reſolvitur de Scientia à poſteriori.* 13.

DU-

QUÆSTIO SECUNDA.

De objecto Scientiæ, & Intellectus Divini.

DUBIUM PRIMUM.

An creaturæ ſpectent ad objectum primarium.

§. I. *Reſolutio negativa.* 15.
§. II. *Reſpondetur argumentis oppoſitis.* ibid.

DUBIUM SECUNDUM.

An Attributa pertineant ad objectum primarium Divini Intellectus.

§. I. *Reſolutio Dubii.* 17.
§. II. *Proponuntur, & ſolvuntur objecta.* 18.

QUÆSTIO TERTIA.

De modo, & medio cognitionis divinæ.

DUBIUM PRIMUM.

An Deus cognoſcat ſe modo comprehenſivo.

§. I. *Reſolvitur quæſtio.* 20.
§. II. *Solvuntur argumenta.* ibid.

DUBIUM SECUNDUM.

Quo medio Deus cognoſcat creaturas poſſibiles.

§. I. *Deus cognoſcit creaturas propriâ cognitione.* 21.
§. II. *Aſſignatur medium quo Deus creaturas cognoſcit.* 23.

Digitized by Google

DUBIUM TERTIUM.

De medio *in quo* Divinæ cognitionis.

§. I. *Reſolutio Dubii.* 24.
§. II. *Solvuntur objectiones.* 25.

DUBIUM QUARTUM.

An Deus poſſit cognoſcere creaturas immediatè in ſeipſis, ut in medio.

§. I. *Reſolutio Dubii.* 28.
§. II. *Solvuntur objectiones.* 29.

QUÆSTIO QUARTA.

De diviſione, & cauſalitate Scientiæ Divinæ.

DUBIUM PRIMUM.

De diviſione Scientiæ Divinæ in Scientiam Viſionis, & Simplicis Intelligentiæ.

§. I. *Quædam prænotantur.* 31.
§. II. *Reſolvitur quæſtio.* 32.
§. III. *Satisfit objectionibus.* 33.
§. IV. *An Scientia Viſionis, & Simplicis Intelligentiæ ſint duo attributa virtualiter diſtincta.* ibid.

DUBIUM SECUNDUM.

Quomodo ea, quæ non ſunt, ſed erunt, aut fuerunt, coëxiſtant Scientiæ Viſionis Dei.

§. I. *Prænotantur aliqua.* 34.
§. II. *Statuitur aſſertio, & probatur ex Patribus.* 35.
§. III. *Probatur ex D. Thoma.* 36.
§. IV. *Probatur aſſertum ratione.* 38.
§. V. *Reſpondetur adverſæ opinionis fundamentis.* 40.

DUBIUM TERTIUM.

An Scientia Dei ſit cauſa rerum, & quomodo?

§. I. *Quæſtio certa reſolvitur.* 46.
§. II. *Quomodo Scientia Dei ſit cauſa rerum.* 47.
§. III. *An Deus ſciat res, quia futuræ ſunt.* 48.

DUBIUM QUARTUM.

An Scientia Dei ſit formaliſſima ipſa potentia immediatè executiva, & productiva.

§. I. *Reſolvitur de Natura Divina.* 53.
§. II. *An potentia operativa ſit à linea intellectiva, & volitiva diſtincta.* 54.
§. III. *An potentia operativa Dei formaliter, & in recto conſiſtat in Intellectu, an in Voluntate.* 57.

DUBIUM QUINTUM.

An Scientia, quâ Deus cauſat res, ſit Scientia Viſionis, an Simplicis Intelligentiæ.

§. I. *Prænotantur aliqua.* 59.
§. II. *Reſolvitur de actibus ſcientię precedentibus imperium.* 60.
§. III. *Reſolvitur de actu imperii executivi.* 61.

QUÆSTIO QUINTA.

De Divina Scientia circa futura contingentia abſoluta.

DUBIUM PRIMUM.

An Deus cognoſcat futura contingentia abſoluta.

§. I. *Quædam prænotantur.* 63.
§. II. *Veritas Catholica.* 64.
§. III. *An præſentia futurorum in æternitate requiratur, ut Deus certò illa cognoſcat.* 65.

§. IV.

§. IV. *An Scientia Dei de futuris contingentibus ſalvet eorum contingentiam?* 69.

DUBIUM SECUNDUM.

An Deus cognoſcat futura contingentia abſoluta in ſua eſſentia, & divinis ideis pro priori ad ſuum Decretum exercitè exiſtens?

§. I. *Non cognoſcit in eſſentia pro priori ad Decretum.* 73.
§. II. *Non in Decreto ut futuro.* 74.

DUBIUM TERTIUM.

An Deus cognoſcat futura ante Decretum in ſupercomprehenſione voluntatis creatæ?

§. I. *Reſolutio negativa.* 76.
§. II. *Fundamenta Molinæ.* 78.

DUBIUM QUARTUM.

An Deus certò ſciat futura abſoluta libera in eorum veritate objectiva pro priori ad Decretum?

§. I. *Reſolutio negativa.* 79.
§. II. *Solvuntur argumenta.* 81.

DUBIUM QUINTUM.

An Deus cognoſcat certò futura contingentia abſoluta in Decreto ab intrinſeco efficaci ſuæ Voluntatis?

§. I. *Firmatur reſolutio Auctoritate.* 84.
§. II. *Firmatur concluſio ratione.* 85.
§. III. *Fundamenta oppoſitæ ſententiæ.* 87.

Digitized by Google

QUÆSTIO SEXTA.

De Scientia futurorum contingentium conditionatorum.

DUBIUM PRIMUM.

An Deus futura conditionata contingentia certò cognoſcat?

§ I. *Præmittuntur aliqua.* 90.
§. II. *Aſſertio prima.* 92.
§. III. *Secunda Aſſertio.* 94.
§. IV. *Fundamenta contrariæ ſententiæ.* 95.

DUBIUM SECUNDUM.

An circa contingentia conditionata ſint admittenda in Deo Decreta, abſoluta quidem ex parte ſubjecti ſed conditionata ex parte objecti?

§. I. *Status difficultatis.* 100.
§. II. *Aſſertio affirmativa.* 101.
§. III. *An pro priori ad Decretum ſubjectivè in Deo exiſtens poſſit Deus futura conditionata certò cognoſcere.* 102.
§. IV. *Contrariorum fundamenta contra primam aſſertionem.* 104.

DUBIUM TERTIUM.

An futura contingentia conditionata cognoſcat Deus per Scientiam, quam vocant Mediam?

§. I. *De origine, & progreſſu Scientiæ Mediæ.* 108.
§. II. *Scientia Media quid ſit.* 110.

DUBIUM QUARTUM.

An Scientiæ Mediæ faveant Scripturæ?

§. I. *Reſolutio Dubii.* 111.

§. II. *Exponuntur Scripturæ loca, quæ videntur favere Scientiæ Mediæ.* 114.

DUBIUM QUINTUM.

An Scientiæ Mediæ faveat Sanctus Auguſtinus?

§. I. *Reſolutio negativa.* 120.
§. II. *Quanta in hac materia ſit D. Auguſtini auctoritas?* 125.
§. III. *Quæ ex Sancto Auguſtino pro Scientia Media referantur.* 128.

DUBIUM SEXTUM.

An D. Thomas Scientiam Mediam admiſerit.

§. I. *Reſolvitur negativè.* 133.
§. II. *Solvuntur ea, quæ ex D. Thoma afferuntur.* 134.

DUBIUM SEPTIMUM.

An Scientiæ Mediæ ratio ſuffragetur?

§. I. *Sententia negans velut à priori aſſeritur.* 137.
§. II. *Ab inconvenientibus Scientia Media impugnatur.* 140.
§. III. *Fundamenta Scientiæ Mediæ.* 143.

DUBIUM OCTAVUM.

An Scientia Media admittenda ſit in Deo pro Angelis Viatoribus, & pro Homine in ſtatu Innocentiæ.

§. I. *Status Quæſtionis.* 145.
§. II. *Reſolutio Dubii.* 146.
§. III. *Fundamenta contraria.* 148.

TRACTATUS
DE DIVINA VOLUNTATE.

QUÆSTIO PRIMA.

De Exiſtentia, Objecto, Diviſione Divinæ Voluntatis.

DUBIUM PRIMUM.

An efficaciter probet D. Thomas, eſſe in Deo Voluntatem.

§. I. *Quod in Deo ſit Voluntas.* 154.
§. II. *Ratio, quâ D. Thomas probat in Deo voluntatem.* 155.
§. III. *Quomodo Voluntas in Deo ſit.* 156.

DUBIUM SECUNDUM.

Quodnam ſit Divinæ Voluntatis objectum.

§. I. *Deus amat non ſolùm ſe, ſed etiam alia.* 157.
§. II. *De objecto formali, & motivo Divinæ Voluntatis.* 158.
§. III. *Contraria diluuntur.* ibid.
§. IV. *An objectum formale Divinæ Voluntatis ſit bonitas ſolius Eſſentiæ Divinæ.* 160.

DUBIUM TERTIUM.

An Deus amet omnes creaturas.

§. I. *De creaturis præſentibus, præteritis, & futuris.* 161.
§. II. *De amore Dei erga poſſibilia.* 162.
§. III. *Contrariis ſit ſatis.* 163.

DUBIUM QUARTUM.

De variis Divinæ Voluntatis diviſionibus.

§. I. *Quæſiti reſolutio.* 165.
§. II. *De Voluntate antecedente, & conſequente.* 167.

QUÆ-

QUÆSTIO SECUNDA:

De Voluntate Dei circa hominum ſalutem.

DUBIUM PRIMUM.

An detur in Deo Voluntas antecedens ſalvandi omnes?

§. I. *Reſolutio Dubii.* 170.
§. II. *Argumenta contraria.* 172.

DUBIUM SECUNDUM.

An Chriſtus mortuus ſit ex animo, & voluntate antecedente ſalvandi omnes?

§. I. *Janſeniſmi ortus, & progreſſus.* 175.
§. II. *Janſenius quinque Propoſitionum Damnatarum verè auctor.* 177.
§. III. *Thomiſtæ Janſenio, & Janſeniſtis in materia Gratiæ, & Liberi arbitrii contrarii.* 179.
§. IV. *Chriſtus pro omnibus Sanguinem fudit.* 181.
§. V. *Fundamenta Janſenii evertuntur.* 184.
§. VI. *An etiam pro parvulis decedentibus ſine Baptiſmo mortuus ſit Chriſtus.* 193.

DUBIUM TERTIUM.

An ex voluntate antecedente ſalutis omnium omnibus adultis conferantur auxilia ſufficientia?

§. I. *Errores, ac opiniones.* 198.
§. II. *Reſolutio Dubii contra quoſdam Theologos.* 199.
§. III. *Contra Janſenium de Juſtis.* 201.
§. IV. *De peccatoribus obcæcatis, & obduratis.* 205.
§. V. *De Infidelibus.* 209.
§. VI. *Defenduntur ſtatuta §. 2.* 213.
§. VII. *Defenduntur, quæ dicta ſunt §. 3. de Juſtis.* 217.

§. VIII.

§. VIII. *Propugnantur quæ §. 4. de peccatoribus obſtinatis, obcæcatis, & Infidelibus ſtatuta ſunt.* 222.
§. *Ultimus. Quo titulo debeantur omnibus auxilia ſufficientia ad ſalutem.* 227.

QUÆSTIO TERTIA.

De immutabilitate, & libertate Divinæ Voluntatis.

DUBIUM PRIMUM.

An Voluntas Dei ſit immutabilis.

§. I. *Veritas Catholica.* 228.
§. II. *Solvuntur quæ contraria ſunt.* 231.

DUBIUM SECUNDUM.

An Deus ſit liber.

§. I. *Reſolutio affirmativa.* 234.
§. II. *Concordia Divinæ libertatis cum ejus immutabilitate, & æternitate.* 235.
§. III. *Solvuntur aliqua in contrarium obſtantia.* 236.

DUBIUM TERTIUM.

Circa quæ Divina Voluntas libera ſit.

§. I. *Non eſt libera reſpectu Divinorum.* 238.
§. II. *Voluntas Divina circa res creatas libera eſt.* 239.

DUBIUM QUARTUM.

Per quid actus liber Dei conſtituatur formaliter in ratione liberi.

§. I. *Opinionum varietas.* 240.
§. II. *Reſolutio Dubii.* 241.
§. III. *Contrariæ ſententiæ fundamenta.* 244.

DU-

Digitized by Google

DUBIUM QUINTUM.

An Divina Voluntas potuerit ab æterno manere omnino ſuſpenſa circa creaturas, ita ut potuerit illas nec velle, nec nolle.

§. I. *Quædam præmittuntur.* 247.
§. II. *Noſtra ſententia.* ibid.
§. III. *Sententiæ oppoſitæ fundamenta.* 248.

QUÆSTIO QUARTA.

De cauſalitate, & efficacia Divinæ Voluntatis.

DUBIUM PRIMUM.

An Divina Voluntas Decreto per ſe, & ab intrinſeco efficaci determinet voluntates creatas ad ſuos actus?

§. I. *Quædam prænotantur.* 251.
§. II. *Noſtra ſententia ex Scripturis.* 252.
§. III. *S. Auguſtinus pro efficacia Divinæ Voluntatis.* 255.
§. IV. *S. Thomas pro efficacia Voluntatis Divinæ.* 256.
§. V. *Rationes pro eadem efficacia.* 258.
§. VI. *Fundamenta contraria ex Scriptura, & Patribus.* 261.
§. VII. *Fundamenta contraria ex ratione.* 269.

DUBIUM SECUNDUM.

An Decretum Dei per ſe efficax cohæreat cum libertate creata?

§. I. *Statuitur Concluſio.* 271.
§. II. *Solvuntur argumenta.* 275.
§. III. *Solvuntur duo poſtrema argumenta.* 287.

Digitized by Google

Vidit D. Auguſtinus Maria Alfieri Clericus Regularis Sancti Pauli, & in Eccleſia Metropolitana Bononiæ Pœnitentiarius pro Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino D. Cardinali Jacobo Boncompagno Epiſcopo Albanenſi, Archiepiſcopo Bononiæ, ac Sacri Romani Imperii Principe.

Die 15. Februarii 1727.

IMPRIMATUR.

Fr. Vincentius Maria Mazzoleni Inquiſitor Generalis Bononiæ.

THEO-

Digitized by Google

THEOLOGIÆ SCHOLASTICO-DOGMATICÆ.

TRACTATUS DE DEO SCIENTE, *SEU* DE SCIENTIA DEI.

TRactatui de Deo viſibili ſubnectimus tractatum de Deo vidente, ſeu intelligente, & ſciente: eſſe enim intelligentem, ac ſcientem eſt una ex perfectionibus, & fortè maxima, quę in Deo excogitari poteſt. De hac agit D. Thomas totâ *qu.* 14. 1. *partis*, quam inſcribit *de ſcientiâ Dei*. De qua primò inquiremus exiſtentiam, eſſentiam, objectum, medium, diviſionem, & cætera, quæ à Theologis, præſertim noſtratibus, examinari ſolent, maximè de ſcientia futurorum contingentium.

QUÆSTIO I.

De exiſtentia, & eſſentia divinæ ſcientiæ.

HOc eſt primum, quod in quacumque re examinari ſolet, nimirùm an ſit, & quid ſit.

DUBIUM I.

An in Deo ſit intellectus, ſeù an Deus ſit naturæ intellectivæ.

§. I.

Reſolutio Dubii.

I. DEum eſſe intelligentem adeò apud homines certum fuit, ut ab iutelligendo nomen Deo imponerent: *Nam Theos* [ait D. Thomas 1. contrag. c. 44.] *quod ſecundùm Græcos Deum ſignificat, dicitur à Theaſte, quod eſt conſiderare, vel videre.*

Hanc veritatem clamant Scripturę, clamat & ratio. Scripturæ quidem. Nam de Deo *Job* 9. *v.* 4. dicitur *Sapiens corde eſt, & fortis robore.* Et c. 11. v. 11. *ipſe enim novit hominum vanitatem, & videns iniquitatem, nonne conſiderat?* Cap. 12. *v.* 13. *Apud ipſum eſt ſapientia, & fortitudo, ipſe habet conſilium, & intelligentiam.* Heſter 14. v. 14. *Domine, qui habes omnium ſcientiam.* Pſalm. 138. v 5. *Ecce Domine tu cognoviſti omnia, noviſſima, & antiqua.* Et paſſim: præſertim in Teſtamento novo. *Roman.* 11. v. 33. *O altitudo divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei!* Et *ad Coloſſ.* 2. *v.* 3. de Filio Dei, *In quo* [inquit Paulus] *ſunt omnes Theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi.*

II. Ratio pariter hoc demonſtrat multipliciter. Primò. Omnis perfectio ſimpliciter ſimplex in Deo propriè, & formaliter ponenda eſt; ſed talis eſt ratio intellectivi; ergo &c. Major patet ex ſuperiùs dictis. Minor prob. Perfectio ſimpliciter ſimplex eſt illa, quæ abſolutè, & in omni genere melior eſt ipſa, quàm non ipſa, ex D. Anſelmo in *Monologio c.* 14.; ſed talis eſt ratio intellectivi: nam in omni re melius eſt eſſe intelligentem, quàm non intelligentem, ſeu ignarum; ergo &c.

III. Secunda ratio eſt. Quod invenitur in pluribus magis, ac magis, ſecundùm quòd illi plures alicui appropinquant, oportet, ut in illo maximè inveniatur: ſicut, quia quantò corpora mixta magis accedunt ad ignem,

gnem, tantò calidiora ſunt, oportet, ut calor maximè inveniatur in igne; ſed quantò magis creaturæ accedunt ad Deum, tantò magis cognitionem participant, ſicut homines plus, quàm bruta, & Angeli plùs, quàm homines, quia Angeli magis accedunt ad Deum, quàm homines, & homines magis, quàm bruta; ergo oportet, ut ratio cognoſcitivi maximè inveniatur in Deo. Hanc rationem expendit D. Thom. *in 1. ſent. diſt. 35. qu. 1. art. 1.*, ubi ſicut & in *1. contrag. c. 44.*, & in *1. ad Annibal. diſt. 35. qu. 1. art. 1.* alias tradit rationes.

IV. Tertia ratio iſta eſt. Deus enim mundum regit, reſque non ſolùm animatas, ſed prorsùs inanimes ità ad ſuos fines dirigit, ut ad eos determinatè, & non caſualiter tendant; ſed res inanimes, utpote cognitione carentes, non tendunt ad finem, quem ipſæ cognoſcant; ergo tendunt ad finem, ad quem ex cognitione Directoris ordinantur. Sicut enim ex quo ſagitta certum ſcopum attingat, & ex quo navis non caſu, ſed determinatè dirigatur ad portum, & neque in ſagitta, & navi adſit cognitio, arguimus, eam eſſe in Sagittario emittente ſagittam, & in Nauta gubernante navem. Sic ex quo res omnes cognitione carentes ad certos, determinatoſque fines diriguntur, arguitur intelligentia in Deo eas dirigente. Unde concludit Philoſophus *2. phyſ. text. 75.*, quòd opus naturæ eſt opus intelligentiæ. Ex D. Thom. *in 1. diſt. 35. qu. 1. ar. 1.* Hæc veritas adeò explorata eſt, ut faciliùs invenias, qui Deum neget, quàm qui, Deo admiſſo, ab eo auferat intelligentiam.

§. II.

Examinatur ſpecialis D. Thomæ ratio.

V. Deum eſſe naturæ intellectualis, conſtat ex dictis. Volens tamen D. Thomas aſſignare rationem, ſeu quaſi radicem intellectualitatis in Deo, tùm hâc *1. part. quæſt. 14. art. 1.*, tùm aliis locis ſuperiùs citatis, ità diſcurrit. Quantò ſubſtantia aliqua ſpiritualior eſt, tantò eſt ad intelligendum aptior, immaterialitas enim eſt intellectualitatis ratio, & quaſi fundamentum; ſed Deus eſt in ſummo gradu ſpiritualis; ergo eſt in ſummo gradu intelligens, ſeu intellectivus. Major probatur à D. Thoma, & à poſteriori, & à priori. A poſteriori quidem. Nam ſi percurramus ordinem rerum, videbimus cognoſcitivitatem penſari penes majorem, vel minorem elevationem ſupra materiam in operando. Quia enim plantæ in operando omnino immerſæ ſunt in materia, & à qualitatibus materialibus, & elementaribus dependentes, nullo modo ſunt cognoſcitivæ. Quia Angelus magis elevatus eſt à materia in operando, quàm homo, magis, & melius intelligit Angelus, quàm homo. Et quia homo magis eſt elevatus à materia, quàm bruta, perfectiùs cognoſcit homo, quàm bruta. Et tandem quia anima ſeparata à corpore, elevatiori modo operatur, quàm operetur, ut conjuncta corpori, ubi in cognoſcendo à phantaſmatibus materialibus dependet, meliùs intelligit anima ſeparata, quàm conjuncta corpori; ergo &c.

A priori verò probatur. In tantùm aliquid eſt cognoſcitivum, in quantùm, præter formam propriam, natum eſt habere formas aliarum rerum, ſpecies nimirùm intentionales aliarum rerum repræſentativas, quâ ratione Philoſophus *3. de Anima text. 37. dicit*, quòd *Anima eſt quodammodo omnia*; ſed quò aliquid ſpiritualius eſt,

eò

eò aptius eſt ad hujuſmodi formas habendas; ergo &c. Min. probatur. Aptitudo ad habendas aliarum rerum ſpecies, ſeu formas provenit ex amplitudine, & illimitatione naturæ, quæ non eſt reſtricta ad propriam formam, ſed vel in ſe habet aliarum rerum formas, vel ad eas acquirendas poteſt ſe extendere; ſed natura eò majorem amplitudinem habet, & illimitationem, quò eſt à materia elevatior, quia materia eſt principium coarctationis, & limitationis; ergo &c.

VI. Roboratur dicta ratio. Solùm reperiuntur tres ordines intelligentium, Deus nempe in ſupremo, Angelus in medio, Homo in infimo; Ergo pro radice intellectualitatis debet aſſignari aliquod prædicatum, in quo hi tres conveniant, & rursùm tùm ab aliis, tùm invicem diſtinguantur; ſed non eſt excogitabile aliquid, niſi immaterialitas, ſeu modus operandi elevatus ſupra materiam, quò ſecundùm majorem, vel minorem elevationem ſupra materiam graduetur in illis major, vel minor intellectualitas; ergo ab iſta major, vel minor intellectualitas ſumenda eſt.

§. III.

Solvuntur ea, quæ militant contra præfatam D. Thom. rationem.

VII. Objiciunt aliqui primò ſic. Datur natura cognoſcitiva, quæ non eſt immaterialis: natura enim brutorum cognoſcitiva eſt, & immaterialis non eſt, ſed corporea; ergo malè probatur ex immaterialitate cognoſcitivitas.

VIII. Reſpondetur diſt. anteced., quæ non eſt immaterialis, ideſt omnino materiæ expers, conc. anteced., immaterialis, ideſt quodammodo elevata ſupra modum materiæ in operando, nego antecedens. Dupliciter poteſt dici aliquid immateriale. Uno modo quatenùs dicit carentiam totius materiæ phyſicæ, tàm in eſſendo, quàm in operando, quo pacto Angeli immateriales, ſeu ſpirituales ſunt. Alio modo poteſt dici immateriale id, quod, eſto à materia pendeat, aliquo tamen modo ſupra conditiones materiæ in operando, imò & in eſſe elevatur, ut ſuas operationes independenter à qualitatibus materialibus, & ſenſibilibus poſſit formaliter perficere. Eſto ergo natura brutorum non ſit immaterialis primo modo, eſt tamen ſecundo modo; tùm quia habet eſſe non limitatum ad propriam formam, ſed potens habere formas ſenſibiles aliarum rerum, puta ſpecies colorum &c.; tùm quia eſto prærequirat qualitates elementares, & materiales ad debitam organi diſpoſitionem; formaliter tamen illis non utitur ad ſuas operationes: ſentire enim, & imaginari non perficitur calefaciendo, aut infrigidando, ut ait D. Thomas; & in hoc ſenſu verum eſt, quòd omnis natura cognoſcitiva eſt aliqualiter immaterialis. Quia tamen iſte modus immaterialitatis eſt infimus: ideò fundat etiam infimum modum cognoſcitivitatis.

IX. Porrò, ut funditùs hęc doctrina penetretur, prætereunda non ſunt, quæ docet D. Tho. 2. *contrag. c.* 68., ubi poſtquam docuit, aliquas eſſe formas adeò infimas, quæ ad nullam operationem poſſunt ſe extendere, niſi ad eas, quæ eliciuntur mediis qualitatibus, quę ſunt diſpoſitiones materiæ, ut *calidum, frigidum, humidum, ſiccum, rarum, denſum, grave, & leve: Unde iſtæ ſunt formæ omnino materiales, & totaliter immerſæ in materia*, quales ſunt formæ elementorum, & mixtorum corporum: ſubdit: *ſuper has iterùm inveniuntur aliquæ formæ, quarum operationes extenduntur ad aliqua operata, quæ excedunt virtutem qualitatum prædictarum: quamvis qualitates prædictæ organicæ ad harum operationes deſerviunt: ſicut anima plantarum*, & has dicit aſſimilari motoribus corporum cęleſtium, *in quantùm ſunt principia motus* [communis]

rebus viventibus, quæ movent ſe ipſas. Deinde pergit: *Super has formas inveniuntur aliæ formæ ſimiles ſuperioribus ſubſtantiis, non ſolùm in movendo, ſed etiam aliqualiter in cognoſcendo: & ſic ſunt potentes in operationes, ad quas nec organicæ qualitates prædictæ deſerviunt: cùm operationes prædictæ non compleantur niſi mediante organo corporali: ſentire enim, & imaginari non complentur calefaciendo, & infrigidando, licèt hæc ſint neceſſaria ad debitam organi diſpoſitionem.* Ex quibus apparet, quænam elevatio ſupra materiam ſufficiat ad cognitionem.

X. Objiciunt ſecundò. Recipere formas aliarum rerum convenit etiam non cognoſcentibus: nam aqua recipit calorem ab igne, & aer lucem à ſole, inſuper recipit ſpecies, quæ ab objecto deferuntur ad ſenſus, & tamen nec aqua, nec aer cognoſcentia ſunt. Inſuper Deus eſt ſummè cognoſcitivus, & tamen nec recipit formas aliarum rerum, quia Deus non recipit ſpecies à creaturis, ſed omnia per ſuam eſſentiam cognoſcit.

XI. Reſpondetur negando aſſumtum. Exemplum aquæ, & aeris non eſt ad rem: etenim aqua, dùm recipit calorem ab igne, & aer lucem à ſole, recipiunt quidem formam alienam, ſed non *formam alterius rei*, ut ait D. Thomas, quia calor, qui eſt in aqua, & lux, quæ eſt in aere, non eſt ipſe calor ignis, aut lux ſolis, eſto ſit in ſpecie ſimilis. At formæ, quas nata ſunt cognoſcentia recipere, ſunt formæ aliarum rerum, nempe ſpecies intentionales, quæ ſunt formæ propriæ objectorum, quibus verificatur, quòd cognitum ſit in cognoſcente per ſpeciem, & formam ſui. Eſto autem ſpecies dùm ad ſenſum defertur, recipiatur entitativè in aere, quia tamen non recipitur in illo, modo intentionali, & ut repræſentans aeri ſuum objectum, non facit aerem cognoſcentem ipſum.

Ad id, quod additur de Deo, dico, quòd, eſto Deus non recipiat formas aliarum rerum, habet tamen illas in ſe, nimirùm in eſſentia divina, quæ eſt illi ſpecies, ſeu forma omnium rerum; & propterea S. Doctor cautè non dixit: cognoſcens natum eſt *recipere*: ſed: natum eſt *habere* formam etiam rei alterius.

XII. Objiciunt tertiò. Voluntas eſt immaterialis, & tamen non eſt cognoſcitiva; ergo ex immaterialitate malè infertur cognoſcitivitas.

Reſpondetur, diſtinguo antecedens, immaterialitate ſubſtantiali, & per modum naturæ, nego antec., accidentali, & per modum proprietatis naturæ, conc. antec., & nego conſequentiam. Eſto ergo non omne ens accidentale, etſi immateriale, ſit formaliter intellectivum, nulla tamen datur ſubſtantia, ſeu natura immaterialis, quæ juxta modum immaterialitatis cognoſcitiva non ſit. Neque ut verificetur, quòd omnis ſubſtantia immaterialis ſit intellectiva, ſeu cognoſcitiva, & radix intellectivitatis, ſeu cognoſcitivitatis, oportet, ut omnes potentiæ immateriales profluentes ab ipſa formaliter cognoſcitivæ ſint: ſed oportet, quòd, ex quo immaterialis eſt, profluat neceſſariò ab illa aliqua potentia proximè intellectiva: ſicut, ut verificetur, quòd anima rationalis ſit radix riſibilitatis, non oportet, quòd ſit riſibilis in omni potentia, quam radicat, ſed ſufficit, quòd aliqua potentia in ipſa radicata ſit riſibilis. Idem dico de ſpe, & caritate, quæ licèt immateriales ſint, quia tamen ſunt immateriales per modum proprietatis, non per modum naturæ, non infertur, quòd ſint cognoſcitivæ formaliter.

XIII. Objiciunt quartò. Poſſibilis eſt ſubſtantia immaterialis, quæ tantùm ſit volitiva, & non cognoſcitiva. Secundò poſſibilis eſt ſubſtantia immaterialis, quæ nullo modo ſit operativa; ergo poſſibilis eſt ſubſtantia immaterialis, quæ non ſit radix intellectionis. Anteced. prob. à pari. Poſſibilis eſt ſubſtantia materialis, quæ nul-

lo

Digitized by Google

lo modo ſit operativa, ut multi putant de Cœlo Empyreo; ergo ſimiliter poſſibilis eſt &c.

Reſpondetur ad primum, negando antecedens. Illa enim ſubſtantia non intellectiva eſſet purè volitiva, & non eſſet: eſſet, ut ſupponit arguens: non eſſet autem, quia, cùm nihil poſſit eſſe volitum, quin ſit præcognitum, repugnat, aliquid eſſe volitivum boni, quin illud poſſit cognoſcere. Ad ſecundum nego antecedens. Ad probat., vel nego antecedens. Cœlum enim Empyreum induit & ipſum, agitque in hæc inferiora, non tamen medio motu, ſicut cæteri Cœli; ſed vel mediâ illuminatione, aut aliâ vi nobis ignotâ. Vel admiſſo antecedente, nego conſequentiam, & paritatem. Natura enim corporea poteſt pertinere ad ſolum gradum eſſendi, qui ſine ulla operatione ſalvari poteſt. At natura ſpiritualis, utpote actualis, & in genere vitæ ſubſtantialis, abſque radice alicujus operationis ſalvari nequit. Prior tamen reſponſio, ut probabilior tenenda eſt cum D. Thoma, qui hâc *1. p. quaſt. 66. art. 3. ad 2.* ait, quòd *ſatis probabile eſt, quòd Cœlum Empyreum ſecundùm quoſdam, cùm ſit ordinatum ad ſtatum gloriæ, non habet influentiam in inferiora corpora, quæ ſunt ſub alio ordine, utpote ordinata ad naturalem rerum decurſum. Probabiliùs tamen videtur dicendum, quòd ſicut ſupremi Angeli, qui aſſiſtunt, habent influentiam ſuper medios, & ultimos, qui mittuntur: ità Cœlum Empyreum habet influentiam ſuper corpora, quæ moventur, licèt ipſum non moveatur.* Et *quodlib. 6. art. 19.* expreſsè dicit, quòd retractavit ſententiam, quam in *2. diſt. 2. qu. 2. art. 3.* docuerat, nimirùm Cœlum Empyreum non habere influentiam in reliqua corpora. *Et hoc quidem* [inquit] *mihi aliquando viſum eſt. Sed diligentiùs conſiderans, magis videtur dicendum, quòd influat in corpora inferiora.*

XIV. Objiciunt quintò. Eſſe intellectivum in Deo eſt prædicatum ejus eſſentiale; ergo nequit à priori demonſtrari; ergo præfata ratio D. Thomæ à priori non probat.

Reſpondetur primò, diſting. antec., eſſe intellectivum radicaliter eſt &c., conc. anteced., proximè, nego antecedens. Eſſe enim intellectivum proximè, ſeu potentia proximè intellectiva, non eſt prædicatum quidditativum, ſed attributum Dei; Et hoc demonſtrat D. Thomas ex immaterialitate.

Vel ſecundò dico, quòd prædicatum eſſentiale, eſto nequeat à priori demonſtrari per aliquid, quod ſit adæquatè prius illo, poteſt tamen demonſtrari per aliquid inadæquatè prius. Sic ex activitate ſe movendi probatur vita, non quia vita ſit paſſio orta ex activitate ſe movendi, ſed quia in illa eſſentialiter includitur, ut quid inadæquatè prius: & ex ratione entis per eſſentiam probavimus, omnia prædicata divina etiam quidditativa, quia concipitur, ut quid inadæquatè prius illis, & ratio omnium illorum: ſicque cùm intelligere radicale includat eſsentialiter immaterialitatem, tanquàm prædicatum, quod concipitur inadæquatè prius radice intelligendi, & tanquàm ratio, cur hæc Deo conveniat, poteſt aſſumi, ut medium quoad nos, ad probandam à priori radicem intellectualitatis.

§. IV.

Aliqua de Divino Intellectu reſolvuntur.

XV. Quæres primò: An Intellectus ſit attributum Dei?

Reſpondetur affirmativè. Præcipuum enim attributum naturæ intellectualis, & prima ejus proprietas eſt Intellectus, per quem ejus præcipua, & prima operatio tanquàm potiſſimus ejus fructus, nempe intelligere, explicatur; ſed Deus eſt naturæ intellectualis; ergo Intellectus eſt ejus attributum.

Rursùs

Digitized by Google

Rursùs Intellectus Divinus virtualiter emanat à natura divina; ſed quod in Deo virtualiter emanat à natura, eſt ejus attributum; ergo &c. Maj. probatur. Omnis potentia operativa ſaltem virtualiter emanat à natura, ſeu principio radicali operandi.

XVI. Quæres ſecundò: An in Deo ſit admittendus intellectus ſub ratione potentiæ intellectivæ, an verò ſolùm ſub ratione actualis intellectionis?

Reſpondetur, variè circa hoc etiam D. Thomæ diſcipulos opinari. Qui enim (inter quos præcipui ſunt PP. Salmanticenſes, Gonet, & alii) conſtituunt divinam naturam in intelligere actualiſſimo, dicunt, non dari in Deo intellectum per modum potentiæ adhuc virtualiter diſtinctæ ab actuali intellectione: ſed in eo intellectum, & actualem intellectionem realiter, & virtualiter idem eſſe. Qui verò conſtituunt naturam divinam per intelligere radicale, ponunt in Deo Intellectum per modum potentiæ proximę virtualiter à radice intelligendi, & ab actuali intellectione diſtinctæ.

XVII. Huic opinioni libentiùs ſubſcribo: non enim ullum video inconveniens, ſi in primo ſigno naturę concipiatur Deus ut ens à ſe, & radicaliter intellectivus, in ſecundo ut habens intellectum, ſeu potentiam proximam ad intelligendum, & in tertio ut actu intelligens. Et probo primò, quia inter actum ſecundum, qui eſt operatio, & eſſentiam mediat ex ſua ratione virtus proximè operativa; ſed intellectio actualis eſt actus ſecundus, ſeu operatio; ergo inter illam, & eſſentiam mediat intellectus, ſeu vis proximè intellectiva,

Secundò. Ea, quæ differunt definitione, in Deo debent virtualiter inter ſe differre; ſed natura radicaliter intellectiva, virtus proxima ad intelligendum, & actualis intellectio differunt definitione, ut per ſe patet; ergo virtualiter diſtinguuntur in Deo.

Tertiò. Principium debet differre ab eo, cujus eſt principium, formaliter quidem, ſi ſit principium formale, virtualiter autem, ſi ſit principium tantùm virtuale; ſed intellectus divinus eſt principium ſaltem virtuale intellectionis, quæ, utpote vitalis, debet ſaltem virtualiter egredi à ſuo principio; ergo &c.

XVIII. Sed dices. Ratio potentiæ derogat actui puro; ſed Deus eſt actus purus, ergo in Deo non eſt intellectus per modum potentiæ.

Reſpond., diſt. maj., ſi ſit potentia paſſiva, conc. maj., potentia activa, ſubdiſt., ſejuncta à ſuo actu, conc. maj., conjuncta, imò includens ſuum actum, nego maj. Eſto autem in Deo ponamus intellectum per modum potentiæ, non tamen ponimus eum per modum potentiæ paſſivæ, & potentialis, ſed purè activæ, & ſemper conjunctæ, & includentis actum ſuum, nempe actualem intellectionem: & ideò non derogat puritati actus, cui ſat eſt, omnem actualitatem includere, eſto eam ſub omni conceptu non exprimat.

XIX. Sed iterùm dices. Intellectus per modum potentiæ activæ eſt cauſa actualis intellectionis; ſed nihil divinum poteſt habere cauſam, cùm ſit ens à ſe; ergo. Secundò D. Thomas 1. *part. qu.* 14. *art.* 4. docet, quòd intelligere Dei eſt ejus eſſentia, & ejus eſſe; atqui eſſentia Dei à nullo procedit; ergo &c.

Reſpondetur, diſt. maj., cauſa virtualis, conced. maj., cauſa formalis, nego maj., & ſimiliter diſt. min., nego conſequentiam. Actualis ergo intellectio in Deo non poteſt quidem habere cauſam formalem ſui, cùm ſit formaliter realiter ipſe intellectus, & eſſentia Dei, poteſt tamen habere, imò de facto habet Intellectum Divinum, ut cauſam virtualem proximam, & eſſentiam ut virtualem radicem ſui, quia ità comparatur ad Divinum Intellectum, ut ſi ab aliquo formaliter oriri poſſet, non ab alio oriretur, quàm ab illo, nec in alio radicaretur, quàm in Divina Eſſentia, ſi poſſet in aliquo for-

Digitized by Google

formaliter radicari. = Hinc ad ſecundum dico, S. Thomam ſolùm velle, quòd intelligere Dei ſit ſua eſsentia, & eſſe realiter, non verò quòd ſit ſua eſſentia, & eſſe conſtitutivè, nam. 1. *part. quæſt.* 19. *art.* 1. dicit de Deo, quòd *ſicut ſuum intelligere eſt ſuum eſſe, ità ſuum velle*; Sed non ſuum velle conſtitutivè, ſed ſolùm realiter; ergo non eſt ſuum intelligere conſtitutivè, ſed &c.

XX. Dices præterea. Omnis diſtinctio potentiæ ab actu ſuo provenit ex inſufficientia, & potentialitate potentiæ; ſed intellectus divinus nullam habere poteſt inſufficientiam, & potentialitatem; ergo &c.

Reſpondeo, diſt. maj. pro prima parte, omnis diſtinctio orta ex limitatione provenit ex inſufficientia, conced. maj., orta ex ratione formali, ſubdiſt., provenit ex inſufficientia negativa, conc. maj., privativa, nego maj., & ſimiliter diſt. min., & nego conſequentiam. Licèt ergo in Intellectu Divino non poſſit concipi inſufficientia privativa, quæ eſt carentia alicujus perfectionis debitæ, & de ſpecie principii proximi, poteſt tamen in illo concipi inſufficientia negativa, ſeu non ſufficientia ad aliquid ſibi non debitum, quia non eſt de ſua ſpecie. Sicut Intellectus Divinus concipitur, ut non ſufficiens ad volendum, quia volitio non eſt debita, nec de ſpecie intellectus. Cùm ergo actualis intellectio non ſit perfectio ſpectans ad ſpeciem, ſeu ad rationem formalem potentiæ proximè intellectivæ, ſed ad rationem ultimi actus intelligendi: ideò licèt Intellectus Divinus concipiatur, ut diſtinctus ab intellectione, non concipitur, ut inſufficiens, niſi inſufficientiâ negativâ. Eò vel maximè, quòd Divinus Intellectus, licèt non exprimat actualem intellectionem, eam tamen implicat, & includit. Ex quo apparet falſitas ſecundæ partis majoris, quia ſola illa diſtinctio provenit ex potentialitate, quæ eſt inter duo, quorum unum actu non includit alterum: quòd ſi includit actu, eſto actu non explicet, non eſt locus carentiæ, & conſequenter neque potentialitati.

XXI. Inſtabis. Ut Intellectus Divinus concipiatur actus purus, debet concipi, ut excurrens uſque ad ultimam actualitatem ſuæ lineæ; ſed ultima actualitas lineæ intellectivæ eſt intellectio; ergo niſi concipiatur, ut excurrens uſque ad actualem intellectionem, non concipitur ut actus purus.

Reſpond. diſt. maj., ſuæ lineę quaſi ſpecificæ, conc. maj., quaſi genericæ, ſubdiſt., illam includendo, conc. maj., illam explicando, nego maj., & diſting. min., lineæ intellectivæ, quaſi genericè ſumtæ, conc. min., quaſi ſpecificè, nego min., & diſting. conſeq., ut excurrens includendo eam, conc. conſeq., explicando eam, nego conſeq. Linea intellectiva ſumi poteſt quaſi genericè, & ſic amplectitur quidquid ad lineam intellectivam pertinet, nimirùm principium radicale, proximum, & actualem intellectionem. Sumi deinde poteſt quaſi ſpecificè, ut determinatè dicit unum ex præfatis. Ut ergo quilibet conceptus intellectivus divinus concipiatur actus purus, requiritur quidem, ut concipiatur explicans perfectionem ultimam ſuæ lineæ quaſi ſpecificæ, v. g., ut concipiatur potentia proximè intellectiva cum omni perfectione, & actualitate ad lineam potentiæ proximæ ſpectante, non tamen ut explicans perfectionem propriam principii radicalis, vel actus ultimi, nempe intellectionis: ſed ſat eſt, ut illam implicet, & includat.

DU-

Digitized by Google

DUBIUM II.

An detur in Deo ſcientia verè talis.

§. I.

Excluditur à Deo ſcientia per modum habitus.

SCientia dupliciter accipi poteſt, vel pro habitu ſuperaddito potentiæ eam facilitante, & proximè expediente ad actus ſcientificos, vel pro actu, ſeu actuali cognitione ſcientifica, & ſic definitur *cognitio rei per cauſam*. Quærimus igitur primò, an detur in Deo ſcientia per modum habitus divino intellectui virtualiter ſuperadditi, an verò ſolùm per modum actus.

I. Dico. In Deo non datur ſcientia per modum habitus virtualiter ſuperadditi, & diſtincti à divino intellectu. Probatur. Formalitas habitus quomodocumquè ſuperadditi poteutię, ex ſua ratione formali ſupponit in potentia imperfectionem, nempe inſufficientiam; ſed in intellectu divino nulla admitti debet imperfectio; ergo &c. Major probatur. Habitus ex ſua ratione formali, vel confert, vel complet virtutem potentiæ in ordine ad actum, aut ſaltem facilitat potentiam ad actum, ad quem potentia ſine habitu erat difficilis: unde potentię, quę habent omnem virtutem requiſitam ad actum, nec ſunt difficiles ad ejus elicientiam, ut ſunt potentiæ vegetativæ partis, & ſenſus externi, ut experientia docet, habitibus non indigent; atqui utrumque horum ſupponit imperfectionem in potentia: primum enim ſupponit defectum virtutis: ſecundum defectum facilitatis in potentia; ergo &c.

II. Inſtabis tamen primò. Ponere in Deo potentiam proximè intellectivam virtualiter diſtinctam à principio radicali intellectivo nullam arguit imperfectionem in principio radicaliter intellectivo. Secundò, ponere in divino intellectu intellectionem virtualiter diſtinctam, nullam arguit in divino intellectu imperfectionem, ut dicebamus *dub. præcedenti* §. 4. Tertiò, ponere in Deo formalitatem ſpeciei virtualiter diſtinctam ab objecto, nempe eſſentia nullam arguit imperfectionem. Ergo &c.

III. Reſpondeo conc. anteced., nego conſequentiam, & paritatem. Pro explicatione diſparitatis adverto (ſeu potiùs repeto, quæ ſuperiùs *dub. præced.* §. 4. obſervavi) quòd licèt inter aliqua prædicata divina poſſit ſalvâ perfectione dari diſtinctio virtualis: inter illa tamen ſolùm poteſt dari, quæ pertinent ad lineas diverſas ſaltem ſpecie ſubalternâ, quorum diſtinctio non ex imperfectione oritur, ſed ex ratione formali: inter ea autem prædicata, quæ ſpectant ad eandem lineam, & quorum diſtinctio ex pura limitatione oritur, ſi transferantur in Deum, nulla debet dari diſtinctio virtualis intrinſeca. Hoc ſuppoſito. Admitto, in Deo dari potentiam proximam virtualiter diſtinctam à principio radicali, intellectionem virtualiter diſtinctam ab intellectu, & ſpeciem virtualiter diſtinctam ab objecto, ſine ulla imperfectione: quia principium radicale in ſua linea principii radicalis non dicit principium proximum, nec potentia proximè intellectiva ex proprio conceptu, & linea petit eſſe actualem intellectionem, neque objectum ex propria ratione objecti petit intelligibilitatem proximam, ſed ſolùm radicalem. At potentia ex propria notione potentiæ proximæ petit habere virtutem proximè completam, & expeditam, & facilem ad ſuum actum, ideòque facilitas, ſeu complementum virtutis diſtinctum virtualiter à potentia, ſupponeret in potentia carentiam perfectionis ſibi, ac ſuæ lineæ debitæ, & conſequenter eſſet imperfecta, non ſolùm negativè, ſed privativè.

Ex quibus colligitur, quòd virtutes ſive intellectuales, ſive morales, quæ

quæ ſunt in intellectu, vel voluntate divina, non diſtinguuntur penes diverſos habitus, ſicut in nobis, ſed ſolùm penes diverſos actus, ſeu diverſas terminationes ejuſdem actus. Quare ſicut ſcientia in Deo non nominat habitum, ſed actum, ità ſapientia, lumen principiorum, prudentia, & ars ſolùm nominant actus divini intellectus; pariter juſtitia, miſericordia, aliæque virtutes morales non dicunt habitus, ſed actus divinæ voluntatis.

§. II.

Aſſeritur in Deo Scientia per modum actus à priori.

IV. Dico. In Deo datur ſcientia actualis à priori propriè talis. Probatur. Omnis perfectio ſimpliciter ſimplex, & quæ nullam in ſuo conceptu formali dicit imperfectionem, poni debet in Deo; ſed hujuſmodi eſt ſcientia à priori; ergo &c. Min. prob. Scientia à priori ex ſuo conceptu formali dicit cognoſcere rem per cauſam, & quoniam illius eſt cauſa, & quòd aliter ſe habere non poteſt; atqui hoc modo cognoſcere maximam dicit perfectionem, nimirùm certitudinem, & infallibilitatem cognitionis; ergo &c.

V. Dices, ſcientiam eſſentialiter importare diſcurſum à cognitione cauſæ ad cognitionem effectus, & conſequenter dicere duas cognitiones, unam cauſæ, alteram effectus ex cognitione cauſæ cauſatam: quæ certè imperfectio eſt in cognoſcente, & Deum dedecens, qui unico ſimpliciſſimo intuitu omnia cognoſcit.

Sed contra. Eſto hanc imperfectionem habeat ſcientia, quæ in nobis eſt, eam tamen non habet ex ſuo formali conceptu, & multò minùs habebit in cognoſcente infinito, qualis eſt Deus; ergo &c. Anteced. prob. Tum quia in Angelis ſecundùm communem conſenſum, & in anima ſeparata, datur ſcientia ſecundùm veram rationem formalem ſcientiæ: & tamen in illis invenitur ſine diſcurſu. Tùm etiam, ſicut in homine invenitur ſcientia cum diſcurſu, ità invenitur cognitio principiorum cum compoſitione; ſed cognitio principiorum eſt in Deo ſine compoſitione; ergo & ſcientia verè talis ſine diſcurſu.

Tùm tertiò, & à priori. Scientia ex ſua ratione formali ſolùm petit, ut cognoſcatur effectus per cauſam, ſeu ex vi cauſæ cognitæ; ſed cognitio attingens cauſam, & in cauſa attingens effectum, verè dicitur cognoſcere effectum per cauſam, & ex vi cauſæ, imò perfectiori modo: quòd enim cognitio attingens cauſam, non attingat effectum, oritur ex limitatione cognitionis, ſicut, quòd cognitio attingens ſubjectum, non attingat prædicatum: quia nempe ſpecies repræſentans cauſam non repræſentat effectum, & ſpecies repræſentans ſubjectum, non repræſentat prædicatum; ergo, cùm in Deo unica ſit ſpecies, nempe eſſentia repræſentans omnia, in ea, & ex vi illius omnia Deus verè ſciet abſque diſcurſu. Hinc D. Th. hàc 1. *part. q.* 14. *art.* 7. admittit in Deo ſcientiam ſine diſcurſu.

VI. Dices tamen. Eſto de ratione ſcientiæ non ſit diſcurſus formalis, eſt tamen diſcurſus virtualis; ſed Deo repugnat diſcurſus etiam virtualis, quia in diſcurſu, vel eſt, vel concipitur ignorantia ſecundi, nempe effectus pro priori, quo concipitur primum, nempe cauſa; ergo &c. Ma. probatur. Tùm in Angelis, in quibus invenitur ſcientia cum diſcurſu virtuali, eſto ſine diſcurſu formali. Tum etiam, quia ſcientia petit, ut cognoſcatur effectus ex vi cognitionis cauſæ; ſed ubi unum cognoſcitur ex vi cognitionis alterius, dari debet duplex cognitio, quarum una ſit cauſa ſaltem virtualis alterius; ergo &c.

VII. Reſpondetur, diſtinguo maj., diſcurſus virtualis objectivus, conc. maj., ſubjectivus, nego maj. Ad ſcientiam itaque ex ratione formali ſcientiæ non requiritur, niſi, quòd cogno-

gnoſcatur res per cauſam, & quoniam illius eſt cauſa, ſeu illius cauſam eſſe; Hoc autem ſalvari benè poteſt abſque diſcurſu virtuali, ex parte ſubjecti importante duplicem actum virtualiter diſtinctum, alterum circa cauſam, alterum circa effectum: unica enim ſimpliciſſima cognitio comprehenſiva cauſæ, vel principii, in ipſa cauſa, vel principio cognoſcit effectum, vel concluſionem. Requiritur tamen diſcurſus objectivus, qui in hoc conſiſtit, quòd unum ſit cauſa, vel principium alterius, & quòd ut tale cognoſcatur.

Ad primam probat., vel nego, in Angelo eſſe ſcientiam cum diſcurſu virtuali ſubjectivo, vel eo admiſſo in Angelo, nego paritatem in Deo, propter exceſsum infinitum perfectionis Dei ſupra Angelum.

Ad ſecundam diſt. min., ſi ly *ex vi* faciat ſenſum *tranſitivum*, conc. min., ſi faciat ſenſum *intranſitivum*, nego min. Cognoſcere unum ex vi cognitionis alterius poteſt facere ſenſum tranſitivum, & intranſitivum. Senſus tranſitivus eſt, quòd ex cognitione cauſæ, priùs ſaltem virtualiter cognitæ, cognitione virtualiter diſtinctâ cognoſcatur effectus. Senſus verò intranſitivus eſt, quòd eâdem prorsùs cognitione, quâ cognoſcitur cauſa, cognoſcatur effectus, effectus tamen ex vi cauſæ. Ubi totus diſcurſus eſt ex parte objecti, non ex parte cognitionum. Quare negari poterat major: ad rationem enim ſcientię non requiritur, quòd cognoſcatur effectus ex vi cognitionis cauſæ, ſed ſufficit, quòd cognoſcatur effectus ex vi cauſæ, ſeu cognoſcere, cauſam talis effectus cauſam eſſe. Hæc reſponſio indicatur à D. Thom. *hâc quæſt. 14. artic. 7. ad 2.*, ubi *dicendum* (inquit) *quòd Deus non cognoſcit per cauſam, quaſi priùs cognitam, effectus incognitos: ſed eos cognoſcit in cauſa. Unde ejus cognitio eſt ſine diſcurſu*.

VIII. Dices ulteriùs contra dicta. Cognitio cauſæ, puta eſſentiæ divinæ, pertinet ad lumen principiorum, cognitio verò attributorum, ſicut & creaturarum pertinet ad lumen ſcientiæ; ſed lumen principiorum, & ſcientiæ debent in Deo ſaltem virtualiter differre; ergo &c. Min. probatur. Lumen principiorum, & ſcientia reſpiciunt diverſa objecta formalia, illud veritates per ſe notas, iſta veritates per aliud notas; ſed actus reſpicientes objecta formaliter diverſa ſunt in Deo ſaltem virtualiter diſtincti; ergo &c.

IX. Reſpondeo neg. min., ad probat. diſt. maj., objecta formalia, quę ſunt formalia comparatè ad nos, conc. maj., quæ ſunt formalia comparatè ad Deum, nego maj. Multa ergo objecta, quæ ſunt formalia reſpectu unius potentiæ limitatæ, ſunt ſolùm materialia reſpectu potentię altioris. Sic ſenſibilia externa, quæ ſunt objecta formalia reſpectu ſenſuum externorum, ſunt objecta ſolùm materialia reſpectu ſenſus communis. Eâdem ergo ratione veritas immediata, & per ſe nota, & veritas mediata, ſeu nota per aliud, ſunt quidem objecta formalia reſpectu intellectus noſtri, & ideò diverſum lumen requirunt in illo, quia ob ejus limitationem nequit unico lumine attingere cauſam, & in cauſa effectum; at reſpectu intellectus divini, qui infinitæ virtutis eſt, & in cauſa comprehenſa omnem ejus effectum penetrat, objecta tantùm materialia ſunt; & propterea non multiplicant in Deo actus adhuc virtualiter diſtinctos ex parte ſubjecti, ſed ſolùm terminativè, & ex parte objecti.

X. Sed inſtabis. Finis, & media ſunt duo objecta diſtinguentia in Deo virtualiter intentionem, quæ eſt circa finem, ab electione, quæ eſt circa media; ergo pariter principium, & concluſio erunt duo objecta formalia diſtinguentia in Deo virtualiter cognitionem cauſæ à cognitione effectus. Conſeq. probatur, quia ſicut ſe habet finis in operabilibus, ità ſe habet principium in ſpeculabilibus.

Reſpondeo negando antec. Sicut enim

Digitized by Google

nim *Deus omnia intelligit intelligendo eſſentiam, ità alia à ſe vult volendo bonitatem ſuam*, ut ait D. Thom. 1. *p. qu.* 19. *art.* 2., & ideò ſicut unico actu ex parte ſubjecti intelligit eſſentiam ſuam, & in ea effectus omnes, ità intendendo finem, nempe bonitatem ſuam, ratione ejus vult, & eligit eodem actu etiam virtualiter ex parte ſubjecti omnia media creata propter illam. Non quòd præter ſuam bonitatem *nihil aliud velit, ſed quòd nihil aliud vult, niſi ratione ſuæ bonitatis. Sicut etiam intellectus divinus, licèt ſit perfectus ex hoc ipſo, quòd eſſentiam divinam cognoſcit, tamen in ea cognoſcit alia*. Ità D. Thomas loco laudato *ad* 3. Et *ad* 4. ait: *quòd ſicut intelligere divinum eſt unum, quia multa non videt, niſi in uno: ità velle divinum eſt unum, & ſimplex, quia multa non vult, niſi per unum, quod eſt bonitas ſua*.

XI. Tandem dices. Scientia rigoroſè dicta ſupponit, unum eſſe notius altero, nempe principia eſſe notiora concluſionibus; ſed Deo omnia ſunt æqualiter nota; ergo &c.

Reſpondetur diſt. maj., eſſe notius ex parte cogniti, conc. maj., ex parte cognoſcentis ſemper, nego maj.: Ità D. Thom. *qu.* 2. *de Verit. art.* 1. *ad* 5. his verbis. *Quamvis Deo non ſit aliquid magis, vel minùs notum, ſi conſideretur modus cognoſcentis, quia eodem intuitu omnia videt; tamen ſi conſideretur modus rei cognitæ, Deus cognoſcit, quædam eſſe magis cognoſcibilia in ſe ipſis, & quædam minùs, ſicut inter omnia magis eſt cognoſcibilis ſua eſſentia, per quam quidem omnia cognoſcit, non aliquo diſcurſu, cùm ſimul videndo eſſentiam ſuam omnia videat. Unde & quantùm ad iſtum ordinem, qui poteſt attendi in divina cognitione ex parte cognitorum, etiam ſalvatur in Deo ratio ſcientiæ: ipſa enim præcipuè omnia per cauſam cognoſcit*.

§. III.

Quorum Deus Scientiam habeat.

XII. Dico. Deus habet ſcientiam propriè talem, tùm reſpectu omnium creaturarum tàm præſentium, quàm futurarum, imò & poſſibilium, tùm etiam reſpectu ſuorum attributorum. Probatur prima pars. Deus cognoſcit creaturas omnes præfatas in vera cauſa, ſeu per veram cauſam; ergo earum habet veram ſcientiam. Antec. prob. Eſſentia divina ratione Omnipotentiæ eſt cauſa poſſibilium inferens eorum poſſibilitatem: Eadem ut adjuncta divino decreto, eſt cauſa infallibilis futurorum, & exiſtentium: Inſuper eſt cauſa exemplaris, & finalis cujuſcumque entis participati, ſive quantùm ad eſſe poſſibile, ſive quantùm ad eſſe actualis exiſtentiæ; ſed Deus cognoſcit creaturas omnes per ſuam eſſentiam, ut modificatam, ſive per omnipotentiam, ſive per ſuum decretum; ergo &c.

XIII. Sed dices. Deus non poteſt habere ſcientiam de creaturis, neque prout exiſtunt, quia ſic contingentes ſunt; de contingentibus autem non datur ſcientia: Inſuper, cùm ſint variabiles, variari poſſet divina cognitio. Neque prout ſunt poſſibiles. Tùm quia pro ut ſic non dicunt dependentiam à Deo; effectus autem non cognoſcitur in cauſa, niſi in quantùm dicit dependentiam ab ea. Tùm etiam, quia in cauſa univerſaliſſima, qualis eſt Deus, non poteſt cognoſci effectus determinatè, & maximè ſi ſit cauſa excedens: qui enim cognoſceret riſibilitatem in virtute Solis, non diceretur habere ſcientiam de homine.

XIV. Reſpondeo, quòd creaturæ exiſtentes, eſto ſint contingentes, contingentiâ oppoſitâ neceſſitati abſolutæ, non tamen ſunt contingentes, contingentiâ oppoſitâ infallibilitati: ſuppoſito enim divino decreto (in quo Deus illa cognoſcit) de productione illarum,

 infal-

Digitized by Google

infallibiliter exiſtunt. Nec refert, quòd ſint variabiles: nam, ut docet D. Th. *quæſt. 2. de verit. art. 5. ad 11., ſcientia Dei nullo modo variatur, ſecundùm variationem ſcibilium. Ex hoc enim contingit, quòd ſcientia noſtra ex rerum variatione variatur, quia aliâ, & aliâ conceptione cognoſcit res præſentes, præteritas, vel futuras, & inde eſt, quòd, Sorte non ſedente, illa cognitio, quæ habebatur de eo, cùm ſederet, efficitur falſa. Sed Deus eodem intuitu cognoſcit res, ut præſentes, præteritas, vel futuras. Unde eadem veritas in intellectu ejus remanet, qualitercumque res varietur.* Hic prætereunda non eſt ſubtiliſſima D. Thom. doctrina *1. p. qu. 14. artic. 15. ad primum*, ubi reddens rationem, cur relatio ſcientiæ ad ſcibile non ſit variabilis, cùm tamen variabilis ſit ad variationem creaturarum relatio Domini, & Creatoris, reſpondet. *Quòd Dominus, & Creator, & hujuſmodi important relationes ad creaturas, prout in ſe ipſis ſunt, ſed ſcientia Dei importat relationem ad creaturas, ſecundùm quòd ſunt in Deo, quia ſecundùm hoc eſt unumquodque intellectum in actu, ſecundùm quòd eſt in intelligente. Res autem creatæ ſunt in Deo invariabiliter, in ſe ipſis autem variabiliter. Vel aliter dicendum eſt, quòd Dominus, & Creator, & hujuſmodi important relationes, quæ conſequuntur actus, qui intelliguntur terminari ad ipſas creaturas, ſecundùm quòd in ſe ipſis ſunt: & ideò hujuſmodi relationes variè de Deo dicuntur, ſecundùm variationem creaturarum. Sed ſcientia, & amor, & hujuſmodi important relationes, quæ conſequuntur actus, qui intelliguntur in Deo eſſe: & ideò invariabiliter prædicantur de Deo.*

XV. Porrò ad id, quod dicitur de poſſibilibus, dico, quòd licèt creaturæ merè poſſibiles non dicant actualem, & exercitam dependentiam à Deo, cùm ab eo actu non cauſentur, dicunt tamen dependentiam ſignatam, cùm contineantur in virtute divina, ut in cauſa potente illas producere, & hâc ratione in ea poſſunt cognoſci. Eſto autem in cauſa univerſali non poſſit cognoſci effectus determinatè, & diſtinctè, quando illa cauſa univerſalis non continet effectum, ſecundùm omnem rationem ejus differentialem, & ultimam, ſed tantùm ſecundùm rationem communem, ut contingit in virtute Solis reſpectu riſibilitatis; ſecùs tamen, ſi contineat effectum, ſecundùm omnem etiam ultimam ejus differentiam. *Sic igitur, cùm eſſentia Dei habeat in ſe quidquid perfectionis habet eſſentia cujuſcumque rei alterius, & adhuc ampliùs, Deus in ſe ipſo poteſt omnia propriâ cognitione cognoſcere. Propria enim natura uniuſcujuſque conſiſtit, ſecundùm quòd per aliquem modum divinam perfectionem participat.* Ità D. Thom. *1. p. quæſt. 14. art. 6.* in corp.

Quod autem divina eſſentia ſit cauſa excedens, ſolùm probat, quòd non poſſit eſſe ratio ſingula cognoſcendi per modum adæquationis, non verò quòd non poſſit *accipi ut propria ratio uniuſcujuſque*, ſi eam de facto contineat: & talis eſt eſſentia divina *ſecundùm quòd diverſimodè eſt participabilis, vel imitabilis à diverſis creaturis.* Ità D. Thom. loco relato *ad 3.*, videndus etiam *qu. 2. de verit. art. 3. ad 4.*

XVI. Secunda pars, nempe quòd Deus habeat ſcientiam ſuorum attributorum probatur. Cognitio, quâ attingitur res per cauſam virtualem, ſeu per rationem formalem à priori, eſt verè ſcientifica; ſed Deus ſic cognoſcit ſua attributa; ergo &c. Maj. explicatur in demonſtrationibus Metaphyſicalibus, & Theologicis noſtris, in quibus regulariter non utimur pro medio, niſi aliquo, quod eſt cauſa ſolùm virtualis, ſeu ratio à priori. Min. verò ſic probatur. Ex divinis attributis unum eſt cauſa virtualis alterius, ut immutabilitas, quæ eſt cauſa virtualis æternitatis, & omnia virtualiter radicantur in divina eſſentia; ſed Deus omnia ſua attributa cognoſcit in ſua divina eſſentia; ergo &c.

XVII.

XVII. Dices. Ut Deus cognoſceret eſſentiam ſuam, ceu cauſam virtualem, & rationem à priori ſuorum attributorum, deberet cognoſcere eam, ut objectivè diſtinctam ab iſtis, quia nequit unum concipi, ut cauſa, aut ratio alterius, niſi concipiatur, ut diſtinctum ab illo; ſed Deus non poteſt concipere eſſentiam ſuam, ut diſtinctam ab attributis: cùm enim non ſit ab eis diſtincta, conciperet illam aliter ac eſt; ergo &c.

XVIII. Reſp. diſt. maj., diſtinctam actualiter, nego maj., virtualiter, co: maj., & diſt. min., ut diſtinctam actualiter, conc. min., virtualiter nego min., & conſeq. Eſto ergo Deus non cognoſcat eſſentiam ſuam, ut diſtinctam actu formali ab attributis, eam tamen cognoſcit, ut actu virtuali diſtinctam ab eis: cognoſcit enim, ſuam eſſentiam ità ſe habere ad attributa, ut niſi obſtaret actualis identitas, ea formaliter radicaret, & quòd attributa non aliam radicem haberent, niſi eſſentiam divinam; hoc autem eſt cognoſcere, eſſentiam divinam eſſe radicem virtualem attributorum, ſufficientem, ut per eam ſcientificè à priori cognoſci poſſint attributa.

§. IV.

Reſolvitur de ſcientia à poſteriori.

XIX. Dico. Probabilius eſt, in Deo non dari ſcientiam à poſteriori propriè talem, quâ ſive ex creaturis cognoſcat ſe ipſum, ſive ex attributis cognoſcat eſſentiam ſuam, ſed omnem ſcientiam in Deo eſſe à priori. Duas habet partes. Prima probatur. Omnis cognitio, quâ Deus cognoſcit ſe ipſum, eſt cognitio comprehenſiva, & perfectiſſima; ſed ſi ſe ipſum cognoſceret ex creaturis, aut per creaturas ut medium, talis cognitio non eſſet comprehenſiva &c., ſed imperfecta; ergo &c. Maj. patet. Minor probatur. Deus non poteſt ſe ipſum cognoſcere in, aut ex, vel per ſuos effectus, niſi eo modo, quo in illis relucet, ac repræſentatur; ſed Deus valdè diminutè in ſuis effectibus relucet, & imperfectè per illos manifeſtatur; ergo &c.

XX. Confirmatur primò. Si Deus cognoſceret ſe ipſum in, vel ex creaturis, aut per illas: vel ſe ipſum cognoſceret per ſpecies proprias illarum: vel per ſuam eſſentiam gerentem munus ſpeciei. Primum eſt impoſſibile: Deus enim ſpecies creatas nequit recipere. Si autem ſecundum: non erit ſcientia à poſteriori; ergo &c. Min. pro hac ſecunda parte probatur. Cognitio, quâ Deus per eſſentiam ſuam ſe ipſum cognoſcit, primariò terminatur ad ſe ipſum, quàm ad creaturas: quia eſſentia divina primariò repræſentat Deum, ſecundariò creaturas; ſed ſcientia verè à poſteriori, quâ Deus ex creaturis, vel per creaturas ſe ipſum cognoſceret, deberet priùs terminari ad creaturas, ut medium, deinde ad ſe ipſum; ergo &c.

XXI. Confirm. ſecundò, & roboratur hęc ratio. Illa cognitio, quâ Deus cognoſceret ſe ipſum in creaturis, vel ex illis, aut per illas: aut terminaretur primariò ad Deum, deinde de ſecundario ad creaturas; vel primariò ad creaturas, & ſecundariò ad Deum. Si primum; ergo non eſt cognitio Dei ex creaturis in illis, ſive per illas, ſed creaturarum ex Deo: ideòque non erit ſcientia à poſteriori, quia hæc deberet quodammodo à creaturis incipere, & procedere ad Deum. Si ſecundum; ergo cognitio illa ſpecificabitur à creaturis: quia omnis cognitio ſpecificatur à ſuo termino primario; hoc autem in Deo eſt impoſſibile.

XXII. At dices. Deus videt non ſolùm creaturas in ſe ipſo, ſed & ſe ipſum in creaturis; ſed dùm videt creaturas in ſe ipſo, habet ſcientiam à priori; ergo dum videt ſe ipſum in creaturis, habebit ſcientiam à poſteriori.

Reſpondetur, diſt. maj. pro ſecunda parte, ſe ipſum in creaturis, ex parte

te rei cognitę, & cognitione incipiente à ſe ipſo, & terminatâ ad creaturas, conc. maj., ex parte modi cognoſcendi, & cognitione incipiente à creaturis, & terminatâ ad Deum, nego maj., & conc. min., eodem modo diſt. conſeq. Ut enim Deus videns ſe ipſum in creaturis, haberet ſcientiam à poſteriori de ſe ipſo, deberet ſe videre cognitione incipiente à creaturis, & ad ſe ipſum terminatâ; hoc autem modo ſe in creaturis non videt, ſed videt ſe in illis, quia cognoſcendo creaturas in ſe ipſo, cognoſcit, ſe repræſentari per illas, tanquàm per veſtigium, vel imaginem. *Nibilominus ex parte cognoſcibilium poteſt* [inquit S. Thom. *quæſt.2. de verit. art. 1. ad 2.*] *quidam circuitus in ejus* [Dei] *cognitione inveniri, dùm ſcilicet cognoſcens eſſentiam ſuam, alias res intuetur, in quibus ſua eſſentia ſimilitudinem videt, & ſic quodammodo ad ſuam eſſentiam redit, non quaſi ſuam eſſentiam ex rebus aliis cognoſcens*. Et in 1. *ad Annibal.* diſt.3. qu.1. art. 1. *Beati* [inquit] *non cognoſcunt Deum ex creaturis, quia vident Deum per ſcientiam; cognoſcunt tamen eum in creaturis, ſicut & Deus ſe ipſum videt in creaturis repræſentatum*.

XXIII. Replicabis. Deus poteſt ſe ipſum cognoſcere omni modo, quo cognoſcibilis eſt; ſed eſt cognoſcibilis ex creaturis; ergo &c.

Reſpondetur, majorem veram eſſe de omni modo non dicente imperfectionem, alioquin ſequeretur, quòd Deus poſſet ſe cognoſcere modo diſcurſivo, cùm etiam hoc modo cognoſcibilis ſit. Vel diſtinguo maj., modo ſe tenente ex parte rei cognitæ, conc. maj., modo ſe tenente ex parte cognoſcentis, ſeu medii cognoſcendi, nego maj. Videt quidem Deus, ſe ipſum repręſentari per creaturas, non tamen per creaturas tanquàm per medium videt ſe ipſum.

XXIV. Secunda pars aſserti, nempe quòd neque Deus à poſteriori cognoſcat ex attributis eſſentiam ſuam, probatur. Si Deus cognoſceret eſſentiam ſuam in, aut ex vi attributi juſtitiæ, non cognoſceret eſsentiam ſuam, quantùm cognoſcibilis eſt, & comprehenſivè; ſed omnis divina cognitio debet eſſe comprehenſiva, quia infinita, & cognoſcere eſsentiam ſuam, quantùm cognoſcibilis eſt; ergo &c. Maj. prob. Si Deus cognoſceret eſſentiam ſuam in, aut ex vi attributi Juſtitiæ, ſolùm cognoſceret illam, ut eſt radix Juſtitiæ, non autem, ut eſt radix cæterorum attributorum, quia ex vi juſtitiæ non poteſt cognoſci, niſi, ut radix juſtitiæ.

Quòd ſi dicas, quòd licèt cognitio, quâ cognoſceret eſſentiam ſuam in uno attributo, & ex vi illius, non foret comprehenſiva eſſentiæ, benè tamen dùm cognoſceret eſſentiam ſuam in omnibus attributis, & relationibus: ſic enim cognoſceret illam, ut radicem omnium; unde hoc modo poterit admitti ſcientia à poſteriori.

XXV. Contra eſt. Adhuc in hac ſuppoſitione eſſentia divina non cognoſceretur, quantùm petit cognoſci: natura enim divina, ſicut primò repręſentat ſe ipſam, & deinde attributa, & relationes, ità primo petit cognoſci in ſe ipſa, & ex ipſa attributa, & relationes; quare ſicut ex cognitione omnipotentiæ in omnibus poſſibilibus non ſequeretur comprehenſio omnipotentiæ, benè tamen ex cognitione omnium poſſibilium in omnipotentia; ità ex cognitione eſſentiæ divinæ in omnibus attributis, & relationibus non ſequeretur comprehenſio divinæ eſſentiæ, ſed ſolùm ex cognitione omnium eorum in eſſentia.

Non nego tamen, propterea Deum cognoſcere eſſentiam ſuam in attributis ex parte rei cognitæ, ſicut ſuperiùs dixi, cognoſcere etiam ſe ipſum in creaturis; ſolùm eam non cognoſcere dico, cognitione ortâ ex attributis, ſic, ut attributa ſint medium ad cognoſcendam eſſentiam.

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO II.

De objecto Scientiæ, & Intellectus Divini.

DUBIUM I.

An creaturæ ſpectent ad objectum primarium.

§. I.

Reſolutio negativa.

I. Dico. Objectum primarium adæquatum divini intellectus, & ſcientiæ, non eſt ens commune Deo, & creaturis. Hanc aſſertionem indicat S. Thomas hìc *artic.* 5., & expreſsè 1. *contrag. cap.* 48., ubi variis rationibus probat, Deum primò, & per ſe ſolùm ſe ipſum cognoſcere. Probatur. Si ens ſic abſtractum, & commune foret objectum adæquatum primarium divini intellectus, Deus primariò, & per ſe, non ſolùm cognoſceret ens increatum, ſed etiam ens creatum, quia quidquid directè continetur ſub objecto primario, & adæquato alicujus potentiæ, vel habitus, per ſe primò attingitur à tali potentia, vel habitu; ſed divinus intellectus nequit primariò, & per ſe attingere ens creatum; ergo &c.

Minor probatur ex D. Thoma loco citato *ex contragentes*, Primò. Intellectus id ſolùm primò, & per ſe cognoſcit, quod primò, & per ſe repræſentatur per ſpeciem, quæ eſt illi forma ad cognoſcendum; ſed per ſpeciem, quâ Deus utitur, & quæ eſt illi forma ad cognoſcendum, non repræſentatur primò, & per ſe ens creatum: ſpecies enim iſta, & forma, eſt eſſentia ſua, non verò aliqua ſpecies creata: eſſentia autem divina ſolùm repræſentat primò, & per ſe ens divinum, cujus eſt formalis ſimilitudo, ens autem creatum ſolùm de ſecundariò, & ex conſequenti, ut quid ab eo participatum, & dependens; ergo &c.

II. Secundò prob. min. Deus nequit ens creatum primò, & per ſe cognoſcere, nec eâ cognitione, quâ primò, & per ſe cognoſcit ſe ipſum, aliàs eâdem cognitione plura ex æquo, & ut plura, ac diſtincta cognoſceret, quod repugnat, quia unicâ cognitione plura objecta per ſe primò cognoſci nequeunt. Neque cognitione diſtinctâ ab ea, quâ primò, & per ſe cognoſcit ſe ipſum. Tùm quia, ſicut Deus non cognoſcit ens creatum per ſpeciem diſtinctam à ſpecie ſui, ità neque illud cognoſcit cognitione diſtinctâ à cognitione ſui. Tùm etiam, quia aliàs Deus à cognitione ſui mutaretur ad cognitionem alterius, & quidem ignobilioris, & ſic mutaretur in pejus.

III. Tertiò prob. eadem minor. Si Deus primò, & per ſe cognoſceret ens creatum, divina intellectio ſpecificaretur per ordinem ad ens creatum, quia, ut ait D. Thom. loco relato *operatio intellectualis ſpeciem, & nobilitatem habet, ſecundùm id, quod eſt per ſe, & primò intellectum, quùm hoc ſit ejus objectum*; ſed impoſſibile eſt, quòd divina operatio intellectualis ſpeciem, & nobilitatem habeat, ſecundùm id, quod eſt aliud ab ipſo, nempe ens creatum, cùm ſua operatio ſit ejus eſſentia, quæ ex ſe omnem perfectionem habet; ergo &c.

§. II.

Reſpondetur argumentis oppoſitis.

IV. Objicitur primò. Intellectui perfectiſſimo, qualis eſt divinus, debet aſsignari objectum perfectiſsimum; ergo ens commune creato, & increato. Conſequentia probatur. Objectum perfectiſſimum eſt objectum univerſaliſſimum: quò enim nobilior potentia eſt, eò univerſalius objectum debet ei aſſignari; ſed ens commune

ne creato, & increato eſt objectum univerſaliſſimum; ergo &c.

V. Reſpondeo, Intellectui perfectiſſimo debere aſſignari objectum univerſaliſſimum, non univerſalitate logicâ, & prædicationis, ſed univerſalitate continentiæ, & cauſalitatis. Debet enim ei aſſignari tale objectum, quod adſit illi ratio cognoſcendi unico ſimpliciſſimo actu omnia quæcumque cognoſcibilia, & quocumque modo cognoſcibilia. Hoc autem benè præſtatur per objectum, quod ſit univerſaliſſimum, univerſalitate cauſalitatis, & continens omnia, ſecundùm omnes particulares eorum rationes, non verò per objectum, quod ſit univerſaliſſimum in eſſendo, & prædicando: hoc enim, cùm ſolùm in confuſo, & indeterminatè contineat inferiora, non poteſt eſſe ratio cognoſcendi ea diſtinctè, & ſecundùm rationes particulares, & proprias, unico, & ſimplici actu. Eſto autem ens commune creato, & increato ſit univerſalius in eſſendo, & prædicando, ens tamen increatum eſt univerſaliſſimum in continendo, & cauſando: ideòque aptiſſimum, ut ſit ſolum divini intellectus objectum.

VI. Objicitur ſecundò. Si ens creatum eſſet extra objectum adæquatum intellectus divini, Deus non poſſet illud cognoſcere, quia potentia nequit percipere id, quod eſt extra ejus objectum adæquatum; ſed hoc eſt falſiſſimum; ergo &c.

VII. Confirmatur. Quidquid eſt cognoſcibile ab aliqua potentia, debet contineri ſub ejus objecto formali, quod debet poſſe de omnibus contentis ſub illo prædicari, ut patet diſcurrenti per ſingula; ſed ens creatum non continetur ſub ente increato, neque iſtud prædicatur de illo; ergo ens creatum non erit à Deo cognoſcibile.

VIII. Reſp. diſt. maj., extra objectum, & extra ordinem ad illud, co: maj., cum ordine tamen ad illud, nego maj. Ens igitur creatum eſto non contineatur, ſed ſit extra objectum adæquatum intellectus divini, quia directè, & intrinſecè non ponitur ſub illo, non tamen eſt extra ordinem ad illud, imò continetur extrinſecè ſub illo, cùm ſit illius participatio. Neque oportet, ut totum id, quod etiam ſecundariò attingitur, participet intrinſecè rationem objecti adæquati, & directè ſub illo contineatur, ſed ſat eſt, ut ad illud reducatur, dicat ordinem, & dependentiam, & ut tale cognoſcatur. Sicut creaturæ non continentur directè, neque intrinſecè participant rationem objecti adæquati Theologiæ, quod eſt ſolus Deus: quia tamen ad Deum ordinantur, ideò ſub tali ordine conſiderantur ſecundariò à Theologia.

IX. Similiter reſpondeo ad confirm. Quidquid enim cognoſcibile eſt ab aliqua potentia, debet contineri ſub objecto adæquato illius: ſed eo modo, quo eſt inter cognoſcibilia ab illa potentia. Si enim ſit cognoſcibile primò, & per ſe, debet directè contineri ſub objecto adæquato, & hoc debet in recto prædicari de illo. Si verò ſit inter cognoſcibilia ſolùm ſecundariò, non debet directè ſub objecto adæquato contineri, nec intrinſecè illud participare, nec ratio objecti de illo prędicari in recto, ſed ſolùm in obliquo. Et hoc modo ens increatum de ente creato prædicatur, nam eſto non ſit vera prædicatio: *ens creatum eſt ens increatum*; vera tamen eſt iſta: *ens creatum eſt aliquid entis increati*, nempe illius participatio, & hâc ratione qui cognoſcit ens increatum, perfectiſſimâ cognitione, ſicut Deus, cognoſcit in illo, per illud, & ratione illius etiam ens creatum.

X. Objicitur tertiò. Deus cognoſcit primò, & per ſe ens in communi; ergo ens ut ſic pertinet ad ob objectum primarium divini intellectus. Antec. probatur. Tùm quia illud non attingit ſecundariò, aliàs omnia, quę continentur ſub illo, ac proinde Deus ipſe, ſecundariò cognoſcerentur ab ipſo. Tùm quia Deus cognoſcit omne

verum

Digitized by Google

verum omni modo, quo cognoſcibile eſt; ſed ens ut ſic eſt cognoſcibile primariò, & ratione ſui, & ſic à nobis cognoſcitur; ergo &c.

XI. Reſpondetur diſting. ant., ens in communi, ut præciſum à ſuis modis, nego antec., ut incluſum in modo divinitatis, conc. antec. Cognitio entis in communi, ſi ſolùm terminetur ad rationem explicitam entis, erit confuſa, & potentialis, ſiquidem non attinget modos, & differentias entis, ac proinde erit imperfecta. *Nam intelligere* (ait D. Thom. hàc 1. *p. qu.* 14. *art. 6. in c.*) *aliquid in communi, & non in ſpeciali, eſt imperfectè aliquid cognoſcere. Unde intellectus noſter, dùm de potentia in actum reducitur, pertingit priùs ad cognitionem univerſalem, & confuſam, quàm ad propriam rerum cognitionem, ſicut de imperfecto ad perfectum procedens*. Si verò terminaretur, non ſolùm ad rationem explicitam entis, ſed per ſe primò etiam ad omnes modos in illo incluſos, ſpecificaretur ſaltem inadæquatè etiam ab ente creato, quod nequit dici. Remanet ergo, quòd Deus primò, & per ſe ſolùm cognoſcat ens, ut determinatum per modum divinitatis, & in ente divino, & ratione ejus alia ſecundariò attingat.

DUBIUM II.

An attributa pertineant ad objectum primarium Divini Intellectus.

§. I.

Reſolutio Dubii.

I. Duplex eſt objectum: unum primarium, & ſpecificativum: alterum ſecundarium. Rurſùs objectum primarium reſpectu intellectus, aliud eſt motivum, eſtque id, quod movet intellectum ad cognitionem: & aliud terminativum, quod primariò terminat cognitionem. Quia verò inter objecta primaria, alia ſunt, quæ primariò terminant cognitionem, ſed ad eam non movent ratione ſui, alia, quæ ratione ſui terminant, & movent: Ideò objectum primarium aliud eſt motivum, & terminativum ſimul, aliud verò terminativum, ſed non motivum. Hoc prælibato. Quærimus, an tàm attributa, quàm eſſentia pertineant ad objectum primarium tàm terminativum, quàm motivum divini intellectus, an verò ſola eſſentia ſit objectum motivum, & terminativum. Omiſsâ opinionum varietate etiam inter Thomiſtas.

II. Dico. Ens increatum, ſeu divinum, ut comprehendit eſſentiam, attributa, & relationes, conſtituere objectum primarium, tàm motivum, quàm terminativum adæquatum intellectus divini; Ideòque non eſſentia ſola, ſed cum attributis, & relationibus movet, & terminat divinam cognitionem per ſe primò, modo explicando.

Aſſertio hæc pro ea parte, quâ aſſerit, divinam eſſentiam pertinere ad objectum motivum divini intellectus, certiſſima eſt, quia ipſa eſt, quę unitur immediatè intellectui divino per modum ſpeciei, ſeu formæ intelligibilis, ut docet D. Thomas hàc *qu.* 14. paſſim, & præcipuè *art.* 4. & 5. Tota ergo difficultas eſt in hoc, quòd non ſola eſſentia, ſed & attributa, & relationes pertineant ad objectum primarium motivum, hoc enim plerique negant. Nam hoc habito infertur ſtatim, ea eſſe quoque objecta primaria terminativa. Nam licèt in nobis poſſit contingere, quòd objectum movens ad cognitionem, non terminet illam, ut quando ex imagine Imperatoris movemur ad cognoſcendum Imperatorem, quæ cognitio non ad imaginem moventem, ſed ad Imperatorem terminatur: quia tamen hoc requirit pluralitatem cognitionum, quarum una moveat ad alteram, quod Deo repugnat: Ideò eo ipſo, quod eſt objectum motivum, debet etiam eſſe terminativum.

III. Probatur ergo primò. Quotieſ-

cumque aliqua, vel habent eandem omnino intelligibilitatem, vel omnino æqualem, ſi unum ſpectat ad objectum primarium motivum alicujus potentiæ, etiam alia ſpectare debent; ſed eſſentia, attributa, & relationes, vel eandem omnino intelligibilitatem habent, vel in omnibus eſt æqualis: cùm in omnibus ſit intelligibilitas increata, & divina &c.; ergo &c. Maj. probatur, quia ratio motiva eſt ipſiſſima intelligibilitas.

IV. Secundò, objectum primarium motivum divini intellectus illud eſt, quod primariò repræſentatur per ſpeciem, quâ divinus intellectus intelligit, cùm ſpecies ſit, quæ movet mediâ repræſentatione, & eo modo aliquid moveat, quo repræſentatur per illam; ſed attributa, & relationes per ſpeciem divini intellectus nempe per eſſentiam divinam repræſentantur, non ſecundariò, aliàs eſſent objecta ſecundaria, ſed primariò, cùm in attributis, & relationibus ſit eadem, vel ſaltem æqualis intelligibilitas; ergo &c.

V. Sed dices, repræſentari quidem primariò, & non merè ſecundariò per divinam eſſentiam, at non immediatè, & ratione ſui, ſed mediatè ſolùm, nempe mediante divina eſſentia, quæ eſt ſpecies intelligibilis, & primò per ſe repræſentans ſe ipſam; objectum autem motivum eſt, quod ratione ſui movet, & quod primariò, & immediatè repræſentatur, non verò id, quod eſto primariò repræſentetur, repræſentatur tamen ſolùm mediatè, & ratione alterius. Hæc eſt tota ſententiæ contrariæ baſis.

VI. Verùm contra eſt. Eſto ex hoc ſequatur, quòd attributa, & relationes non ſint objectum motivum immediatum, & primariò primum, non tamen, quòd non ſint objectum primarium motivum mediatum, & ſecundum; ſed hoc nos tantùm aſſerimus; ergo &c. Maj. probatur. De ratione objecti primarii motivi non eſt movere immediatè, ſed movere primariò; ſed hoc ipſo, quòd attributa, & relationes repræſententur primariò in eſſentia divina, movent primariò, eſto ſolùm mediatè, quia ſpecies non movet, niſi ratione repræſentationis; ergo &c. Maj. probatur. Tùm quia objectum movet ratione repræſentationis, ſeu quatenus repræſentatur per ſpeciem; ſed repræſentari primariò dupliciter contingit, vel immediatè, vel mediatè; ergo & movere. Tùm quia de ratione objecti primarii terminativi ſolùm eſt terminare primariò, non verò terminare immediatè, quia in communi ſententia attributa, & relationes, non terminant divinam cognitionem immediatè, ſed ſolùm mediante eſſentiâ, & tamen pertinent ad objectum primarium terminativum; ergo à pari.

Confirm. eſto attributa, & relationes in eſſe entis virtualiter diſtinguantur ab eſſentia, in ratione tamen intelligibilis unicâ, & indiviſibili intelligibilitate puriſſimâ intelligibiles ſunt: quâ ratione diximus, non poſſe videri eſſentiam, non viſis attributis, & relationibus; ſed quæ eâdem indiviſibili intelligibilitate gaudent, gaudent etiam eâdem repræſentabilitate, & conſequenter ſi unum movet, movere debet & alterum; ergo &c.

§. II.

Proponuntur, & ſolvuntur objecta.

VII. OBjicies primò. Id eſt objectum primarium motivum divini intellectus, quod mediâ ſui ſpecie eum fœcundat ad ſui cognitionem; ſed ſola eſſentia divina eſt ſpecies, quæ immediatè fœcundat intellectum divinum; ergo eſt ſola ipſa, quæ movet, ſeu objectum motivum.

Reſpond. diſt. min., & in eſſentia divina repræſentantur primariò attributa, & relationes, conc. min., aliter nego min., & vel nego conſeq., vel diſtinguo conſ., motivum immediatum, conc. conſ., mediatum, nego conſ.

VIII.

VIII. Dices. Objectum primarium motivum debet ratione ſui movere potentiam, aliàs non diſtingueretur ab objecto ſecundario; ergo ſi ſola eſſentia divina movet intellectum ratione ſui, ſola ipſa eſt objectum motivum.

IX. Confirmatur. D. Thomas hâc *quæſt.* 14. *art.* 5. *ad* 3. docet, ſolam eſſentiam divinam ex eo, quòd eſt forma intelligibilis, & in ea omnia intelliguntur, ſpecificare divinam intellectionem; ergo ſola ipſa eſt objectum primarium. Antec. probatur afferendo verba S. Doctoris: *Ad 3. dicendum, quòd ipſum intelligere non ſpecificatur per id, quod in alio intelligitur, ſed per principale intellectum, in quo alia intelliguntur. In tantum enim ipſum intelligere ſpecificatur per objectum ſuum, in quantum forma intelligibilis eſt principium intellectualis operationis. Nam omnis operatio ſpecificatur per formam, quæ eſt principium operationis, ſicut calefactio per calorem. Unde per illam formam intelligibilem ſpecificatur intellectualis operatio, quæ facit intellectum in actu. Et hæc eſt ſpecies principalis intellecti, quæ in Deo nihil eſt aliud, quàm eſſentia ſua, in qua omnes ſpecies rerum comprehenduntur. Unde non oportet, quòd ipſum intelligere divinum, vel potiùs ipſe Deus, ſpecificetur per aliud, quàm per eſſentiam ſuam.* Cùm ergo attributa, & relationes intelligantur in eſſentia divina, ſicut in principali intellecto, ſicut hæc ſola ſpecificat, ità hæc ſola movet.

X. Reſpondetur, neg. antec. Objectum enim dicitur, & eſt ſecundarium, non quia præcisè movet ratione alterius, ſed quia movet ratione alterius, in quo ſolùm ſecundariò repræſentatur. Cùm autem attributa, & relationes, eſto non moveant ratione ſui, ſed ratione eſſentiæ, repręſententur tamen primariò per eam, eſto mediatè, cùm ſint ejuſdem actualitatis, & repræſentabilitatis cum ipſa, idcircò non debent excludi ab objecto primario, eſto non primo, & immediato, ſecundo ſaltem, & mediato.

XI. Ad confirm. ex D. Thom. diſt. antec., docet ſolam eſſentiam divinam ſpecificare &c. ſecundùm adæquatam primariam repręſentationem, conc. antec., aliter, nego antec. Nec oppoſitum ſuadent verba S. Doctoris; Illis enim ſolùm intendit excludere ab objecto primario, & ſpecificativo divinæ cognitionis creaturas: cujus oppoſitum tentabat argumentum, nimirùm, quòd ſi Deus cognoſceret alia à ſe, ipſe Deus ſpecificaretur per aliquid aliud à ſe. Et meritò quidem, nam creaturæ repræſentantur, & cognoſcuntur in alio, nempe in eſſentia divina tanquàm ſecundariò repræſentatum.

XII. Objicies ſecundò. Intelligibilitas divinorum attributorum eſt ſecundaria; ergo non repręſentantur primariò per divinam eſſentiam. Antec. prob. intelligibilitas in altero radicata eſt ſecundaria; ſed intelligibilitas attributorum eſt radicata in divina eſſentia; ergo &c.

Reſpondetur nego antec., ad prob. diſt. maj., radicata exiſtens diverſæ rationis ab intelligibilitate radicantis, conc. maj., exiſtens ejuſdem rationis &c., nego maj., & diſt. min. eodem modo. Cùm ergo intelligibilitas attributorum eſto radicata virtualiter in eſſentia divina, ſit ejuſdem rationis, imò eadem prorsùs ac intelligibilitas eſſentiæ, & ità à ſe, independens, & actus purus, ſicut illa: propterea ſicut illa eſt primaria, ità & iſta.

XIII. Objicies tertiò. Si attributa, & relationes moverent primariò intellectum divinum, jam Verbo Divino communicarentur formaliter, cùm illi communicetur formaliter omne id, quod habet rationem ſpeciei, & objecti per ſe motivi, & ſic ei communicaretur quoque Paternitas: quod eſt implicatorium.

Reſpondetur, nègando ſequelam maj. Verbo enim Divino formaliter communicatur ſolum id, quod immediatè, & ratione ſui eſt forma, ſeu ſpe-

cies: non verò totum id, quod tali ſpecie mediatè, etſo primariò, repræſentatur. Nos autem nec dicimus, attributa, & relationes habere ratione ſui munus ſpeciei, nec immediatè movere intellectum divinum, ſed ſolùm mediatè, tamen tanquàm quid primariò repræſentatum, & non ſecundariò per talem ſpeciem.

QUÆSTIO III.

De modo, & medio cognitionis divinæ.

DUBIUM I.

An Deus cognoſcat ſe modo comprehenſivo.

§. I.

Reſolvitur quæſtio.

I. DIco. Deus comprehendit perfectiſſimè ſe ipſum. Ità D. Thomas hàc *quæſt.* 14. *art.* 3., cujus ratione ſub hac forma probatur. Tunc res comprehenditur, quando cognoſcitur quantùm cognoſcibilis eſt, ità, ut cognoſcitivitas cognoſcentis adæquet cognoſcibilitatem cogniti; ſed divina cognitio cognoſcit Deum quantùm cognoſcibilis eſt, ità, ut vis Dei cognoſcitiva adæquet ipſam Dei cognoſcibilitatem; ergo &c. Maj. explicatur tùm exemplo aquæ, quæ dicitur comprehendi à vaſe, quando ità adæquatur ab illo, ut tanta ſit capacitas vaſis, quanta eſt quantitas aquæ, ut nihil aquæ ſit extra vas. Tùm exemplo propoſitionis cognitæ demonſtrativè, quæ ideò comprehenditur, quia adeò perfectè cognoſcitur, ſicut cognoſcibilis eſt. Min. quoque prob. Nam virtus Dei in cognoſcendo eſt infinita, ſicut ejus cognoſcibilitas eſt infinita; ergo vis cognoſcitiva Dei adæquat ejus cognoſcibilitatem.

§. II.

Solvuntur argumenta.

II. ARguitur primò. Deus, ex quo eſt infinitus, eſt incomprehenſibilis, Jerem. 32. v. 19. *Deus magnus conſilio, & incomprehenſibilis cogitatu*; ſed ità eſt infinitus, ut à nullo finitari poſſit; ergo ità eſt incomprehenſibilis, ut à nullo comprehendi poſſit.

Reſp. diſt. maj., eſt incomprehenſibilis reſpectu intellectus finiti, co. maj., reſpectu intellectus infiniti, nego maj. Ex quo ergo Deus ſit infinitus, ſequitur quidem, eum à nullo intellectu creato, & finito comprehendi poſſe, ut ſupra oſtendimus, non tamen, eum comprehendi non poſſe, & adæquari ab intellectu ſuo, qui eſt infinitus, per hoc enim ejus infinitas non tollitur, ſed aſſeritur.

III. Dices ex Auguſtino *lib.* 83. *quæſt. qu.*14., quòd id, quod comprehendit ſe, finitum eſt ſibi; ergo ſi Deus comprehendit ſe, eſt ſibi finitus.

Confirmatur. Si Deus ſibi ipſi eſt finitus, licèt infinitus nobis; ergo verius eſt, Deum eſſe finitum, quàm infinitum: nam unumquodque verius eſt, ſecundùm quòd eſt apud Deum, quàm ſecundùm quòd eſt apud nos.

IV. Reſpondetur, diſt antec., quod comprehendit ſe, ut includens ſe ipſum, conc. antec., ut nihil ſui lateat ipſum, nego antec. Ità D. Thom. hìc art. 3. ad 1. *Comprehendere* (inquit) *ſi propriè accipiatur, ſignificat aliquid habens, & includens alterum. Et ſic oportet, quòd omne comprehenſum ſit finitum, ſicut omne incluſum. Non ſic autem comprehendi dicitur Deus à ſe ipſo, ut intellectus ſuus ſit aliud, quàm ipſe, & capiat illud, & includat: ſed hujuſmodi locutiones per negationem ſunt exponendæ. Sicut enim Deus dicitur eſſe in ſe ipſo, quia à nullo exteriori continetur: ità dicitur comprehendi à ſe ipſo, quia nihil eſt ſui, quod lateat ipſum.*

Digitized by Google

ſum. Dicit enim Auguſt. lib. de videndo Deum (ep. 112. ad Paulinam) quòd totum comprehenditur videndo, quod ità videtur, ut nihil ejus lateat videntem. Hæc D. Thomas.

V. Ad confirm. diſt. ant., finitus in ſenſu proprio, conc. ant., ſecundùm analogiam proportionis, nego antec. Reſponſio eſt D. Thom. laudati ad 2. *Cum* (inquit) *dicitur, Deus finitus eſt ſibi, intelligendum eſt ſecundùm quandam ſimilitudinem proportionis: quia ſic ſe habet in non excedendo intellectum ſuum, ſicut ſe habet aliquid finitum in non excedendo intellectum finitum. Non autem ſic dicitur Deus ſibi finitus, quòd ipſe intelligat, ſe eſſe aliquid finitum.*

VI. Arguitur ſecundò, & replicitur. Comprehenſio dicit finitudinem in objecto comprehenſo; ergo Deus nequit comprehendi. Ant. prob. Comprehenſio eſt attingentia ultimi termini, & finis cognoſcibilitatis objecti; ergo dicit &c. Conſ. prob. Tùm quia in infinito non poteſt ſignari terminus. Tùm quia infinitum pertranſibile non eſt.

VII. Reſpond., nego anteced., ad prob. diſt. antec., ultimi termini ſive poſitivè, ſive negativè, conc antec., præcisè poſitivè, nego antec. Comprehenſio igitur non dicit præcisè, quòd ſit attingentia ultimi termini poſitivè, ità, ut in re attacta terminus poſitivè adſit. Sed ſufficit, ut ſit attingentia ultimi termini negativè, ideſt, quòd adæquetur cum re cognita. Ex quo oritur hoc negativum, quòd res cognita non excedat cognoſcentem, & nihil ejus lateat ipſum. Hoc autem æquè benè exerceri poteſt, & in objecto finito, & infinito. Sicut enim finitum ità adæquatur finito, ut illud non excedat: ità infinitum adæquari poteſt infinito, ut illud non excedat, ut nuper cum D. Thom. dicebamus: & hoc modo Deus à ſe comprehendi dicitur abſque læſione ſuæ infinitatis.

VIII. Ad id, quod additur, dico, infinito non poſſe ſignari terminum poſitivè, neque pertranſiri poſſe poſitivè, numerando ſcilicet ipſum uſque ad ultimum poſitivè: terminari tamen, & pertranſiri poteſt negativè, quatenus totum infinitè, & totaliter adæquatur, nec excedit infinitum, à quo comprehenditur. Audiendus propterea eſt D. Thom. hàc *qu. 14. artic. 12. ad 2.*, ubi ſimili objectioni reſpondens ait. *Dicendum, quòd tranſitio importat quandam ſucceſſionem in partibus. Et inde eſt, quòd infinitum tranſiri non poteſt, neque à finito, neque ab infinito, ſed ad rationem comprehenſionis ſufficit adæquatio, quia id comprehendi dicitur, cujus nihil eſt extra comprehendentem. Unde non eſt contra rationem infiniti, quòd comprehendatur ab infinito. Et ſic quod in ſe eſt infinitum poteſt dici finitum Scientiæ Dei tanquàm comprehenſum, non tamen tanquàm pertranſibile.*

DUBIUM II.

Quo medio Deus cognoſcat creaturas poſſibiles.

§. I.

Deus cognoſcit creaturas propriâ cognitione.

I. Deum de facto omnia diſtinctè, & propriâ cognitione cognoſcere veritas fidei eſt, partìm revelata in Script. *Geneſ. 1. v. 31. Vidit Deus cuncta, quæ fecerat*. Sap. 7. Spiritus intelligentiæ Dei dicitur v. 23. *Omnem habens virtutem, omnia proſpiciens*. Eccleſiaſtici 39 24. *Non eſt quidquam abſconditum ab oculis ejus. Hebr. 4. v. 12.* dicitur *pertingens uſque ad diviſionem animæ, ac ſpiritus, compagum quoque, ac medullarum, & diſcretor cogitationum, & intentionum cordis, & non eſt ulla creatura inviſibilis in conſpectu ejus: omnia autem nuda, & aperta ſunt oculis ejus*. Partìm ex Conciliis, & Patribus, quos in re tam nota ſuperfluum eſt referre. Quibus omnibus ſubſcribit D. Th. hàc *q. 14. a. 6.*, *qu. 2. de verit. a. 4. & 5.*, & alibi paſſim.

II. His

Digitized by Google

II. His non obſtantibus, ait D.Th., *quidam* (Averroes, & Alchazel) *erraverunt dicentes, quòd Deus alia à ſe non cognoſcit, niſi in communi, ſcilicet in quantùm ſunt entia. Sicut enim ignis, ſi cognoſceret ſe ipſum, ut eſt principium caloris, cognoſceret naturam caloris, & omnia alia, in quantùm ſunt calida: ità Deus, in quantùm cognoſcit ſe, ut principium eſſendi, cognoſcit naturam entis, & omnia alia, in quantùm ſunt entia*. Sed hoc reprobat S. D., quia eſſet tribuere Deo cognitionem rerum ſolùm imperfectam, univerſalem, & confuſam.

III. Probatur ergo ratione ejuſdem S. D. ſic. Deus, ut vidimus, perfectiſſimè cognoſcit, & comprehendit ſe ipſum, ejuſque virtutem cauſativam; ergo cognoſcit creaturas omnes eo omni modo, quo continentur in ejus virtute, quia hoc eſt de ratione cognitionis comprehenſivę perfectiſſimę; ſed creaturæ omnes continentur in Deo, non ſolùm ſecundùm rationes communes, ſed & ſecundùm omnes rationes differentiales, ſpecificas, & individuales, ac ultimas; ergo cognoſcit illas ſecundùm omnes. Min. ſubſumta prob. Creaturæ in Deo continentur ſecundùm omnes rationes, ſecundùm quas ab illo dependent, & illum participant, ac imitantur; ſed illum participant, & imitantur, non ſolùm quia ſunt, & ſecundùm rationem communem, ſed etiam quia tales ſunt, & ſecundùm omnes rationes differentiales, & ultimas; ergo &c. Min. prob. Tùm quia in quolibet creaturæ prædicato explicatur aliqua perfectio; ſed omnis perfectio ſaltem virtualiter debet eſſe in Deo; ergo &c. Tùm etiam, quia Deus poteſt quamcumque creaturam producere, ſecundùm quamcumque rationem particularem, & ultimam in ea repertam; ergo omnis ratio etiam particulariſſima in ea reperta præexiſtit, & continetur in virtute divina.

IV. Dices. Intellectus intelligendo fit res intellecta; ſed Deus non poteſt fieri creatura; ergo eam non intelligit. Secundò. Quęcumque alia à Deo, ſunt extra ipſum; ſed Auguſtinus dicit in *lib. 83. quæſt. qu. 46. Neque quidquam Deus extra ſe ipſum intuetur*; ergo &c. Tertiò. Intellectum eſt perfectio intelligentis; ergo ſi Deus alia à ſe intelligat, aliquid aliud à Deo erit perfectio Dei.

V. Reſpondetur, diſt. maj., ſit res intellecta in ſe ipſa, & primariò, co. maj., res intellecta in alio, & ſecundariò, nego maj. Prolatum ergo axioma exponendum eſt de re intellecta primariò, & in ſe ipſa, non verò de re intellecta ſecundariò, & in alio. Creaturas intelligit Deus ſolùm ſecundariò, & in alio, nempè ratione ſuæ eſſentiæ, quæ illi forma eſt, & principium intelligendi omnia: quare, intelligendo creaturas, non fit creatura.

VI. Si dicas. Species debet eſſe formalis ſimilitudo objecti; ſed eſſentia divina non poteſt eſſe formalis ſimilitudo creaturarum; ergo &c.

Reſpondebo, majorem eſſe veram dè objecto primario, per ſe, & ratione ſui movente ad cognitionem, & cujus eſt illa ſpecies, non verò de aliis, quorum non eſt immediata, & propria ſpecies, & repręſentatio, ſed per illam repræſentantur ſolùm ſecundariò, & ut contenta in principali repræſentato, quales ſunt creaturæ.

Ad ſecundam inſtantiam reſpondeo cum D. Thoma hâc *qu.* 14. *art.* 5. *ad* 1., quòd *verbum Auguſtini dicentis, quòd Deus nihil extra ſe intuetur, non eſt ſic intelligendum, quaſi nihil, quod ſit extra ſe, intueatur: ſed quia id, quod eſt extra ipſum, non intuetur, niſi in ſe ipſo*.

Ad tertiam reſpondetur cum eodem D. Thom. *ibid. ad* 2., quòd res intellecta *eſt perfectio intelligentis, non quidem ſecundùm ſuam ſubſtantiam, ſed ſecundùm ſuam ſpeciem*: cùmque alia à Deo non cognoſcantur per propriam ſpeciem, ſed per eſſentiam divinam, *in quantùm continet ſpecies eorum*, fit, quòd *nihil aliud ſit perfectio divini in-*

telle-

Digitized by Google

tellectus, quàm eſſentia divina. Sed de hoc ſtatim.

§. I I.

Aſſignatur medium, quo Deus creaturas cognoſcit.

VII. Duplex ſolet diſtingui medium ſerviens cognitioni alterius. Unum, quod vocatur medium incognitum, ſeu medium *quo*: & hoc eſt ſpecies, ſeu forma intelligibilis, quam vocamus ſpeciem impreſſam, quæ eſt quidem ratio cognoſcendi objectum, quod repræſentat, & principium cognitionis, ipſa tamen ut *quod* non cognoſcitur. Aliud, quod vocatur medium priùs cognitum, ſeu medium *quod*, vel *in quo*: quale eſt vel ſpeculum, in quo quis videt objectum in eo repræſentatum, vel cauſa, in qua cognita cognoſcitur effectus in illa contentus, vel objectum primarium, in quo cognoſcitur objectum ſecundarium. Hìc quærimus, quodnam ſit *medium quo* cognitionis divinæ cognoſcentis creaturas, ſeu quænam ſit ſpecies, quâ divinus intellectus creaturas cognoſcat.

VIII. Dico. Medium *quo*, ſeu ſpecies intelligibilis, quâ Deus cognoſcit creaturas, unicè eſt eſſentia divina, non verò aliqua ſpecies creata. Nihil apertius apud D. Thomam in tota hac quæſtione, & alibi. Probatur. Species intelligibilis determinat, perficit, & ſpecificat intellectum; at intellectus divinus nequit actuari, perfici, aut ſpecificari ab aliquo creato; ergo &c. Major prob., primò ex D. Thoma tùm hàc *qu.* 14. *art.* 5. *ad* 2., ubi ait, quòd *intellectum eſt perfectio intelligentis, non quidem ſecundùm ſuam ſubſtantiam, ſed ſecundùm ſuam ſpeciem, ſecundùm quam eſt in intellectu, ut forma, & perfectio ejus.* Tùm ibidem ad 3., ubi ait: *In tantùm enim ipſum intelligere ſpecificatur per objectum ſuum, in quantùm forma intelligibilis eſt principium intellectualis operationis. Nam omnis operatio ſpecificatur per formam, quæ eſt principium operationis, ſicut calefactio per calorem. Unde per illam formam intelligibilem ſpecificatur intellectualis operatio, quæ facit intellectum in actu. Et hæc eſt ſpecies principalis intellecti, quæ in Deo nihil eſt aliud, quàm eſſentia ſua ... unde non oportet, quòd intelligere divinum, vel potiùs ipſe Deus, ſpecificetur per aliud, quàm per eſſentiam divinam.* Ex quibus conficitur hic diſcurſus. Per illud intellectus perficitur, & actuatur, per quod fit in actu: per illud operatio intellectualis ſpecificatur, quod eſt operationis principium; ſed intellectus fit in actu per formam, ſeu ſpeciem: & hæc eſt principium intellectualis operationis; ergo &c.

IX. Secundò prob. Illud tantùm objectum per ſpeciem ſuam movet intellectum, quod eſt objectum principale, & primarium: objecta enim ſecundaria non movent per ſpeciem ſuam, ſed per ſpeciem primarii intellecti; ſed primarium objectum divini intellectus, ut dictum eſt, eſt ſolùm ens divinum: creaturæ autem ſunt objecta purè ſecundaria; ergo creaturæ non movent &c.

Tertiò. Species iſtæ creatæ deberent uniri intellectui divino; ergo vel per identitatem, vel per informationem, vel per inhæſionem; ſed quodcumque dicatur, officit divinæ perfectioni; ergo &c.

X. Dices primò. Eſſentia increata uniri poteſt intellectui creato in ratione ſpeciei, ut vidimus; ergo pariter eſſentia creata poterit uniri intellectui divino per modum ſpeciei.

Confirmatur. Quantum diſtat eſſentia creaturæ ab eſſentia divina, tantum diſtat eſſentia divina ab eſſentia creaturæ; ſed per eſſentiam creaturæ nequit cognoſci eſſentia divina; ergo neque per eſſentiam divinam poteſt cognoſci eſſentia creaturæ, ſaltem quoad *quid eſt*, & diſtinctè.

XI. Reſp. conc. antec., neg. conſ., & paritatem. Diſparitas eſt: quòd enim in-

intellectus creatus perficiatur, & ſpecificetur à divina eſſentia, conſentaneum eſt creaturæ; At quòd intellectus divinus perficiatur, & ſpecificetur à creatura, omnino diſſonum eſt. Utrumque autem ſequeretur, ſi creatura uniretur divino intellectui per modum ſpeciei, ut probatum eſt.

Ad confirm. Reſpondeo cum D. Th. hâc *qu.* 14. *art.* 6. *ad* 2., *Quod eſſentia creata comparatur ad eſſentiam Dei, ut actus imperfectus ad perfectum: Et ideò eſſentia creaturæ non ſufficienter ducit in cognitionem eſſentiæ divinæ: ſed è converſo.*

XII. Dices ſecundò. Species unius nequit ſervire cognitioni alterius; ergo ſpecies divina nequit ſervire cognitioni creaturarum.

Reſp. diſt. antec., alterius, quod non contineatur in illo ſecundùm propriam, & diſtinctam rationem, conc. antec., quod contineatur in illo &c., nego ant. Creaturæ autem ſecundùm omnem ſui rationem continentur in Deo, ut dictum eſt, & dicetur.

DUBIUM III.

De medio *in quo* divinæ cognitionis.

§. I.

Reſolutio Dubii.

I. DIco. Medium *in quo* Deus creaturas poſſibiles cognoſcit eſt ſua eſſentia cognita, non ut ſpeculum, ſed ut cauſa creaturarum. Tres habet partes hoc aſſertum. Prima conſtat partìm ex dictis, & conſtabit ex infra dicendis, dùm oſtendemus, non poſſe creaturas cognoſci in ſe ipſis ut in medio à Deo. Eam docet S. Auguſtin. *lib.* 83. *quæſt. q.* 46., ubi ait: *Singula igitur propriis ſunt creata rationibus. Has autem rationes, ubi arbitrandum eſt eſſe, niſi in mente Creatoris? Non enim extra ſe quidquam poſitum intuebatur: nam hoc opinari ſacrilegum eſt.* Quæ verba exponens D. Thomas hâc *qu.* 14. *art.* 5. *ad* 1. dicit, *quòd verbum Auguſtini dicentis: quòd Deus nihil extra ſe intuetur, non eſt intelligendum, quaſi nihil, quod ſit extra ſe, intueatur: ſed quia id, quod eſt extra ipſum, non intuetur, niſi in ſe ipſo.* Expreſsè etiam hoc docet *art.* 6., & 1. *contrag. cap.* 49. Sic: *Colligentes igitur has duas concluſiones* (nimirùm, quòd *Deus primò, & per ſe ſolùm ſe ipſum cognoſcit*, quam ſtatuerat *c.* 48., & *quod cognoſcat alia à ſe*, quam ſtatuit *cap.* 49.) *apparet, Deum cognoſcere ſe ipſum, quaſi primò, & per ſe notum, alia verò, ſicut in eſſentia ſua viſa. Quam quidem veritatem expreſſè Dionyſius tradit in cap. 7. de Divin. Nomin. dicens:* Non ſecundùm viſionem ſingulis ſe immittit, ſed ſecundùm cauſæ continentiam ſcit omnia. *Et infra* Divina Sapientia ſe ipſam cognoſcens ſcit alia. *Cui etiam ſententiæ atteſtari videtur Scriptura Sacræ auctoritas; nam in Pſalm.* 101. *de Deo dicitur.* Proſpexit de excelſo Sancto ſuo; *quaſi de ſe ipſo excelſo alia videns.* Hæc D. Thomas.

II. Secunda autem pars, quòd non cognoſcat creaturas tanquàm in ſpeculo, probata manet *tract. præced. quæſt.* 5. *dub.* 3. §. 1., quò ſtudioſum remitto: non enim ibi dicta repetenda ſunt.

III. Tertia verò pars, nempè quòd creaturæ cognoſcantur à Deo in ſua eſſentia tanquàm in cauſa priùs cognita: præter ea, quæ dicta ſunt loco mox citato de Viſione, quâ Beati vident res in Verbo. Probatur ſic. Creaturæ ſunt cognoſcibiles in Deo, ut in cauſa; ergo ſic debent à Deo cognoſci. Conſequ. probatur. Deo concedi debet modus perfectiſſimus cognoſcendi; ſed hic eſt cognoſcere effectum in ſua cauſa: quare Angelus ob perfectum modum cognoſcendi, omnes effectus naturales in ſuis cauſis cognoſcit: & perfectius eſt cognoſcere viâ reſolutionis, quâ cognoſcitur effectus, vel concluſio in principio, quàm viâ inquiſitionis, quâ cognoſcitur concluſio in ſe ipſa: quare cognitio effectus in

in cauſa eſt ſupercomprehenſio effe-ctus. Antec. verò probatur ex dictis. Nam creaturę eminentiſſimo modo continentur in Deo, ut in cauſa, quoad omnes earum formalitates, & differentias, etiam ultimas; ſed effectus eſt cognoſcibilis in cauſa, ſecundùm eam rationem, quâ continetur in illa; ergo &c.

IV. Perfectiorem eſſe modum cognoſcendi creaturas in Deo, quàm in ſe ipſis, fusè demonſtrat S. Auguſtin. *lib. 4. de Geneſ. ad lit. c. 23.*, ubi cognitionem rerum in Verbo comparat diei, & earum cognitionem in propria natura comparat nocti. *In comparatione enim lucis illius, quæ in Verbo Dei conſpicitur, omnis cognitio, quâ creaturam quamlibet in ſe ipſa novimus, non immeritò nox dici poteſt.* Et c. 24. loquens de ſcientia Angelorum: *In ipſo* (inquit) *Verbo Dei priùs noverunt, in quo ſunt omnium, etiam quæ temporaliter facta ſunt, æternæ rationes, tanquàm in eo, per quod facta ſunt omnia.* Et lib. 11. de Civ. Dei c. 7. *Cognitio quippe* (inquit) *creaturæ in ſe ipſa decoloratior eſt, ut ità dicam, quàm cùm in Dei Sapientia cognoſcitur, velut in arte, quâ facta eſt.*

V. Prob. ſecundò, præveniendo reſponſionem Vaſquez, & aliorum. Si in eſſentia ſua cognita, ut in medio, Deus non cognoſceret creaturas, hoc ideò eſſet, quia Eſſentia Divina non refertur ad creaturas, nec cum eis connectitur; ſed primum non requiritur, ſecundum verò eſt falſum; ergo &c. Minor pro prima parte prob. Eſſentia Divina, eſto non referatur ad creaturas, eas tamen continet ratione omnipotentiæ; at datâ continentiâ effectus in cauſa, ſecluſo etiam omni reſpectu cauſę ad effectum, datur quidquid requiritur, ut effectus in cauſa cognoſcatur; ergo &c. Min prob. Ut effectus cognoſcatur in cauſa, ſufficit, ut in ea repræſentetur; ſed datâ continentiâ, & ſecluſo quocumque ordine ad effectum ſufficienter repræſentatur in cauſa; ergo &c. Min. prob. In Deo, ut eſt ſpecies, vel ſpeculum, nullus datur reſpectus ad creaturas, & tamen in Deo, ut in ſpecie, aut ſpeculo etiam ſecundùm Adverſarios creaturæ repræſentantur; ergo à pari.

Secunda verò pars prob. Eſſentia Divina in eſſe intelligibilis connectitur cum creaturis; ergo etiam in eſſe entis, ſeu cauſæ. Antecedens admittunt Adverſarii, dùm non negant, Divinam eſſentiam eſſe ſpeciem creaturarum. Conſequentia verò prob. Si enim Eſſentia Divina in eſſe repręſentativi connectitur cum creaturis, quin ullum ſequatur abſurdum: Cur quæſo non poterit connecti cum iiſdem in eſſe cauſativi earumdem?

Urgeo hoc. Eſſentia Divina in ratione ſpeciei, ſeu *medii quo*, vel connectitur cum creaturis, quarum eſt repræſentativa, vel non. Si connectitur: cur non poterit cum illis connecti in ratione *medii in quo*, ſeu in ratione cogniti repræſentativi illarum? Si non connectitur, & tamen eſt *medium quo* illarum; ergo, etſi non connectatur, poterit eſſe medium *in quo* cognoſcantur.

Secundò prob. eadem ſecunda pars. Si eſſentia Divina non connectitur cum creaturis, jam creaturæ erunt objectum primarium tàm motivum, quàm terminativum divini intellectus; ſed hoc negant Adverſarii; ergo &c. Maj. prob. Ex duobus objectis cognitis inconnexis, unum non poteſt movere, aut terminare ratione alterius, aliàs non eſſent inconnexa; ergo unum non poteſt eſſe primarium, & formale, & aliud materiale, & ſecundarium, ſed erunt diſparata, & æqualia tàm in movendo, quàm in terminando.

§. II.

Solvuntur objectiones.

VI. Objiciunt primò. Si ex cognitione Eſſentiæ ſuæ Deus in illa creaturas cognoſceret, daretur neceſſaria connexio inter Divinam Eſſentiam, & creaturas; ſed hęc dari non poteſt; ergo &c. Maj. patet; alioquin

quin quodcumque objectum poſſet ex vi alterius cognoſci. Min. verò prob. primò. Magis neceſſarium non poteſt connecti cum minùs neceſsario; ſed divina eſſentia eſt magis neceſſaria, quàm creaturæ; ergo &c.

Secundò. Si divina eſſentia connecteretur cum creaturis, jam non poſſet ſubſiſtere divina eſſentia, ſi perirent creaturæ poſſibiles: unde ſi omnes impoſſibilitarentur, imò una earum, etſi viliſſima, puta formica, impoſſibilitaretur Deus; ſed hoc videtur maximum abſurdum; ergo &c. Min. probatur. Aliàs Deus dependeret à creaturis, indigeret illis ad ſuum eſſe: id enim dependet ab aliquo, & indiget illo, ſine quo non poteſt ſubſiſtere.

VII. Hoc argumentum tangit præcipuum contrariȩ ſententiȩ fundamentum, cui reſpondeo conc. maj., nego min. Ad primam ejus probat. nego abſolutè maj., quæ inſtatur, tùm in eſſentia, quæ magis neceſſaria eſt, quàm proprietates; tùm in principio, quod magis neceſſarium eſt, quam concluſio: & tamen tàm eſſentia cum ſua proprietate connectitur, quàm principium cum concluſione; aliàs non eſſet neceſſaria, & bona conſequentia à principio ad concluſionem. Cum ergo ſit neceſſaria, & bona conſequentia: Deus poteſt hominem facere; ergo homo poteſt fieri, ſeu eſt poſſibilis: clarè apparet, divinam eſſentiam eſſe cum creaturis connexam.

VIII. Dices. Eſto ens aliquo modo reſpectivum, & dependens poſſit cum alio connecti, etſi magis neceſſarium ſit, non tamen ens omnino abſolutum, & independens: quia idem videtur eſſe connecti cum alio ac ad illud referri, & ab illo dependere; ſed divina eſſentia eſt ens omnino abſolutum, & independens; ergo &c.

IX. Reſpondeo negando maj. Magna enim eſt differentia inter connexionem, & ordinem, ac dependentiam. Eſto enim omnis ordo, & dependentia importet connexionem, non omnis tamen connexio importat ordinem, & dependentiam, ſaltem in utroque extremo. Sic eſſentia connectitur cum proprietatibus, ſignatum cum ſigno, ſcitum cum ſciente: & tamen nec eſſentia dicit ordinem ad ſuas proprietates, nec dependet ab illis, nec ſignatum ad ſignum, neque ſcitum ad ſcientem refertur, aut dependentiam dicit, ſed è contra. Similiter pater connectitur in quantùm pater cum filio, & tamen pater non dependet à filio, neque filius, ut talis à patre, quia relativa ſunt ſimul naturâ. Connexio igitur ex propria ratione formali ſolum dicit, quòd ſi unum eſt, debeat eſſe & aliud, ſeu unum eſſe non poſſe ſine alio: quod ex terminis, nec dependentiam dicit, neque reſpectum, ſaltem ex parte utriuſque extremi, ſed neceſsariam coexiſtentiam.

X. Ad ſecundam prob. min, diſt. maj., Impoſſibilitaretur Deus à priori, nego maj., à poſteriori, conc. maj. Ex quo ergo deficerent creaturæ poſſibiles, ſeu aliqua earum impoſſibilis fieret, argueretur defectus Omnipotentiæ, quia deficeret illi aliquod prædicatum intrinſecum, & eſſentiale, nimirum virtus contentiva illius creaturȩ. Talis tamen defectus in Deo non oriretur à priori à creatura, quaſi quòd defectus creaturæ eſſet cauſa defectus Dei, ſed ſolùm à poſteriori, ac veluti ex ſigno, quia ſi deficeret creatura à poſſibilitate, ſignum eſſet, quòd priùs defeciſſet in Deo vis ad producendam illam; non enim ſtat, quòd maneat in Deo vis producendi creaturam, & quòd creatura non maneat poſſibilis, cùm tota poſſibilitas creaturæ radicetur in potentia, & virtute Dei potente illam producere.

Hinc ſequitur, quidem creaturas dependere à potentia Dei, ſed non Dei potentiam à creaturis. Pro quo adverto, tripliciter poſſe unum connecti cum alio. Vel ſicut prius cum poſteriori, & hoc modo prius non dependet à poſteriori, ſed facit potiùs à ſe de-

pen-

pendere poſterius; ſicque Deus connectitur cum creaturis. Alio modo ſicut poſterius cum priori, & hoc modo poſterius à priori dependet; & ſic creaturæ connectuntur cum Deo. Tertio modo connectuntur ſimultanea, nimirùm relativa, quæ ſunt ſimul naturâ, & neutrum eorum dicit dependentiam ab altero. Quocumque autem modo connectantur, ſi unum exiſtit, neceſſe eſt, ut exiſtat & alterum, quia mutua coexiſtentia eſt ratio formalis connexionis.

XI. Objiciunt ſecundò. Dato, quòd divina eſſentia connectatur cum poſſibilibus, non tamen connectitur cum creaturis præſentibus, præteritis, & futuris; ergo ſaltem has Deus non cognoſcet in eſſentia ſua. Ant. prob. Ex quo creaturæ præſentes &c. cadant à præſentia &c., non arguitur, neque à poſteriori defectus, aut aliqua mutatio in Omnipotentia Dei; ergo &c. Conſequentia probatur. In tantùm enim Eſſentia Dei connectitur cum poſſibilibus, quia ſi creaturę poſſibiles caderent à poſſibilitate, mutaretur, vel deſtrueretur Omnipotentia; ergo ab oppoſito ſi Omnipotentia non deſtruitur, nec mutatur &c.

XII. Reſpondetur, diſt. antec., Divina eſſentia quaſi in actu primo ſumta non connectitur &c., conc. ant., ſumta in actu ſecundo, nego antec. Igitur eſſentia Divina, ſeu Omnipotentia poteſt conſiderari dupliciter. Primò velut in actu primo, quatenus antevertit omne decretum liberum producendi, & conſervandi creaturam in eſſe; & ſi hoc modo conſideretur, connectitur quidem, & eſt medium cognoſcendi creaturas ut poſſibiles, quas ut ſic in ſua virtute præcontinet; non tamen connectitur cum exiſtentibus, præteritis, & futuris: quia pro illo priori nullum intelligitur decretum de exiſtentia, pręteritione, aut futuritione, & conſequenter nec exiſtentia, præteritio, aut futuritio ullius rei. Secundò poteſt conſiderari, ut in actu ſecundo, & pro ut jam determinata per decretum ſuæ Voluntatis ad producendas, vel conſervandas creaturas pro tali, & tanto tempore; & ſic connectitur cum creaturis exiſtentibus, præteritis, & futuris: quia ex Omnipotentia ſic determinata infertur à priori exiſtentia, præteritio, futuritio pro eo determinato tempore, quo eam decrevit. Ad prob. anteced. conceſſo anteced., nego conſeq. Et diſparitas eſt: quia, ſi creatura de poſſibili fieret impoſſibilis, deficeret in Deo virtus contentiva illius, quæ cùm Deo ſit eſſentialis, ſi deficeret, Deus mutaretur, & deficeret. Ex eo autem, quòd creatura modò exiſtens ab exiſtentia cadat, & fiat præterita, ſolùm ſequitur, quòd Deo deficiat denominatio conſervantis illam; ex defitione autem talis denominationis, quæ nullam intrinſecam perfectionem in Deo dicit, non ſequitur, Deum mutari, aut deficere, ſed ſolùm mutari, & deficere creaturam. Videantur ſuperiùs *dict. quæſt. 1. dub. 2. §. 3. nu. 14.*

XIII. Tertiò objiciunt. Deus eſt cauſa creaturarum ratione omnipotentiæ; ſed cognitio, quâ Deus creaturas poſſibiles cognoſcit, intelligitur pręcedere omnipotentiam: priùs enim concipitur in Deo intellectus, & conſequenter cognitio, quàm omnipotentia; ergo &c.

Rurſùs. Si per impoſſibile Deus non eſſet Omnipotens, adhuc creaturas poſſibiles cognoſceret; ergo omnipotentia non eſt medium *in quo* Deus eas cognoſcat.

XIV. Reſpondetur, diſt. min., pręcedere omnipotentiam proximè ſumtam, concedo min., radicaliter ſumtam, nego minorem. Eſto enim omnipotentia proximè ſumta ſit attribubutum intellectu, & cognitione poſterius: attamen omnipotentia radicaliter ſumta, nempe eſſentia divina, quę eſt radix communis omnipotentiæ, & aliorum attributorum antecedit cognitionem: & hæc eſt medium *in quo* Deus creaturas cognoſcit, ità, ut hæc

propoſitio ſit vera à priori: Deus ſcit omnia, quia poteſt facere omnia.

Ad id, quod additur, conſequenter ad mox dicta reſpondeo, quòd ſi per impoſſibile Deo deficeret attributum omnipotentiæ, quæ eſt ipſi ratio proxima producendi creaturas, adhuc illas cognoſceret in omnipotentia radicali, nimirùm in eſſentia ſua, in qua radicatur omnipotentia, & eſt prima ratio producendi creaturas.

DUBIUM IV.

An Deus poſſit cognoſcere Creaturas immediatè in ſe ipſis, ut in medio.

§. I.

Reſolutio Dubii.

NOn parvi momenti eſt hęc quęſtio: quæ eſto procedat modò de ſolis creaturis poſſibilibus: ex dicendis tamen circa iſtas facilè depromi poterit, quid dicendum ſit de futuris; & propterea ex deciſione hujus difficultatis, tanquàm ex præcipuo fundamento, apparebit, an admittenda ſit, an reprobanda ſcientia media.

I. Dico igitur. Deus nec cognoſcit, nec cognoſcere poteſt creaturas immediatè in ſe ipſis, ſeu in ſe ipſis, ut in medio. Prob. primò ex dictis. Tùm quia, ſi Deus cognoſceret creaturas immediatè in ſe ipſis, poſſet in creaturis, vel ex creaturis cognitis in ſe ipſis ſe ipſum cognoſcere, cùm per illas Deus ſufficienter manifeſtetur, & conſequenter habere ſcientiam à poſteriori ſui ipſius: quod ſuperiùs reprobavimus.

Tùm quia, etiam, ut ſupra vidimus, reſpectu Dei idem eſt objectum motivum ac terminativum; ſed creaturæ, ut diximus, non poſſunt eſſe objectum motivum divini intellectus, nec enim poſſunt eum movere per ſpeciem ſui; ergo neque poſſunt eſſe objectum immediatè terminativum.

II. Probatur ſecundò. Creaturæ, ut vidimus, non poſſunt eſſe objectum terminativum primarium divinę cognitionis, aliòquin ſpecificarent divinam cognitionem, quæ propterea eſſet primariò propter illas; ſed ſi creaturæ immediatè in ſe ipſis terminarent divinam cognitionem, eam terminarent primariò; ergo &c. Min. prob. Tum quia cognitio effectus in ſe ipſo, & non in cauſa, non eſt cognitio effectus ratione cauſæ, ſed ratione ſui, & ideò terminatur immediatè, & per ſe primò ad effectum: ſicut cognitio Imperatoris in ſe ipſo, & non in ſui imagine primò, & per ſe terminatur ad Imperatorem. Tùm etiam, quia cognitio terminata, non primariò, & per ſe ad creaturas, ſed ad Deum, eſt cognitio creaturarum, non in ſe ipſis, ſed in Deo: ſicut cognitio per ſe primò terminata ad cauſam, & non ad effectum eſt cognitio effectus, non in ſe, ſed in cauſa: & cognitio primariò terminata ad ſpeculum, & non ad rem, quæ repręſentatur in ſpeculo, eſt cognitio rei, non in ſe ipſa, ſed in ſpeculo.

III. Dicunt primò, nullum eſſe abſurdum, creaturas extrinſecè, & arguitivè ſpecificare cognitionem ad ſe terminatam, etſi divinam, quia ex hoc ſolùm arguitur, quòd actus ad ſe primò terminatus ſit ſpecie diverſus ab actu per ſe primò terminato ad aliud.

Sed contra primò. Nam eſto objectum ſpecificet potentiam, vel actum ſolùm extrinſecè, eſt tamen cauſa formalis extrinſeca, & à priori illius, quod eſt actum illum produci cum reſpectu dependentiæ ab illo, tanquàm à ſua menſura, & norma objectiva, & actum eſſe propter illud, non autem illud nempe objectum propter actum; unde docent Philoſophi, actum dicere reſpectum tranſcendentalem ad objectum ſui ſpecificativum, objectum autem nullum dicere reſpectum ad actum, vel potentiam. Hæc autem quis non videt divinæ cognitioni prorsus repugnare?

Secun-

Secundò. D. Thomas 1. contragentes c. 48. docet oppoſitum hòc diſcurſu: *Operatio intellectualis ſpeciem, & nobilitatem habet ſecundùm id, quod eſt per ſe, & primò intellectum, quùm hoc ſit ejus objectum. Si igitur Deus aliud à ſe intelligeret, quaſi per ſe, & primò intellectum, ejus operatio intellectualis ſpeciem, & nobilitatem haberet ſecundùm id, quod eſt aliud ab ipſo. Hoc autem eſt impoſſibile: quùm ſua operatio ſit ejus eſſentia [ut oſtenſum eſt] ſic igitur impoſſibile eſt, quòd intellectum à Deo primò, & per ſe, ſit aliud ab ipſo.*

IV. Dicunt propterea ſecundò, creaturas non fore objectum primarium, nec ſpecificativum, etiamſi immediatè terminantes divinam cognitionem: non enim omne, quod immediatè attingitur, ſpecificat, ſed ſolùm illud, quod attingitur immediatè primariò. Addunt, hoc ſolum eſſe, quod ratione ſui, nedùm terminat, ſed etiam movet. Creaturę autem, etiamſi immediatè terminant divinam cognitionem, non ſunt tamen motivum, neque ad eam per ſe movent.

V. Sed contra primò. Creaturæ dùm terminant divinam cognitionem, vel eam terminant, ut æquè per ſe ipſas inſpectæ, vel ratione divinæ eſſentiæ per ſe, & primò terminantis. Si hoc ſecundum; ergo non terminant immediatè in ſe ipſis: idem enim eſt terminare ratione alterius ac non terminare ratione ſui, & immediatè in ſe ipſo. Si dicatur primum; ergo ratio formalis, quâ creaturæ terminant divinam cognitionem, erit ſua intrinſeca intelligibilitas, & ratione hujus terminabunt, & dabunt ſpeciem divinæ cognitioni.

VI. Contra ſecundò. Si creaturæ immediatè in ſe ipſis divinam cognitionem terminarent, ad eam etiam immediatè moverent, & conſequenter eſſent objectum, nedùm terminativum, ſed & motivum; ergo eſſent objectum primarium, & ſpecificativum, quia, ut vidimus ex D. Thom. hàc *quæſt.* 14. *art.* 5. *ad* 3., quod ratione ſui movet, & eſt principium cognitionis, illam ſpecificat. Antec. prob. Deus vel movetur à creaturis ad cognoſcendas illas in ſe ipſis, vel ſolùm movetur à ſua eſſentia. Si à creaturis; ergo hæ ſunt objectum motivum, ac proinde ſpecificativum. Si ſolùm movetur ab eſſentia ſua; ergo non cognoſcit creaturas immediatè ratione ſui, & in ſe ipſis, ſed ratione eſſentiæ, & in eſſentia. Conſeq. prob. Nam objectum non cognoſcitur, niſi ut repræſentatur per ſpeciem; ſed per eſſentiam divinam non repræſentantur immediatè, & per ſe primò, ſed mediatè ſolùm, & pro ut in ea continentur; ergo &c.

VII. Confirmo hoc. Deus non cognoſcit creaturas immediatè in ſe ipſis, nec eâ cognitione, quâ cognoſcit illas in ſe ipſo, nec aliâ virtualiter diſtinctâ. Non primum, quia cognoſcere creaturas in ſe ipſo, & in ſe ipſis, ſunt diverſi modi, qui eidem cognitioni convenire non poſſunt, imò oppoſiti: eſt enim cognoſcere in ſe ipſis, & ratione ſui, & cognoſcere non in ſe ipſis, ſed in alio, & ratione alterius. Non ſecundum, quia ſi cognitio attingens creaturas in ſe ipſis virtualiter diſtingueretur à cognitione attingente illas in Deo, jam talis cognitio unicè, & adæquatè terminaretur ad creaturas, & nullo modo ad Deum: cùmque non eſſet aliud objectum talem cognitionem ſpecificans, non poſſet ſpecificari niſi à creaturis.

§. II.

Solvuntur objectiones.

VIII. Primò objiciunt. Vis cognoſcitiva Dei, utpotè infinita, debet cognoſcere creaturas omni modo, quo cognoſcibiles ſunt; ſed ſunt cognoſcibiles, nedum in Deo, ſed & in ſe ipſis; ergo &c.

Confirmatur. Intellectus ſummè cognoſcitivus, & ex ſe determinatus ad co-

cognoſcendum omne verum, poteſt moveri objectivè ab objecto, quod reipsâ, & intrinſecè eſt verum; ſed intellectus divinus eſt determinatus ad omne verum, & creaturæ ſunt intrinſecè verum; ergo &c.

IX. Reſpondetur, diſt. maj., omni modo ſe tenente ex parte rei cognitæ, conc. maj., modo ſe tenente ex parte medii *in quo*, ſeu ex parte cognoſcentis, ſubdiſt., ſi nullam dicat imperfectionem, co. maj., ſi aliquam dicat imperfectionem, nego maj. Deus ergo, ex quo virtutis infinitæ ſit in cognoſcendo, debet cognoſcere creaturas omni modo, quo cognoſcibiles ſunt ex parte rei cognitæ, ideſt creaturas omni modo, quo ſunt, ità, ut nil cognoſcibile ſit in eis, quod Deus non penetret. Non tamen debet eas cognoſcere omni modo &c. ex parte cognoſcentis, ſeu in omni medio, in quo cognoſcibiles ſunt, & ex vi illius illas attingere: aliàs eas deberet attingere, & diſcurſivè, & in medio opinativo, cùm etiam ſic cognoſcibiles ſint. Debet ergo eas attingere ex parte cognoſcentis in, & vi illius medii ſummam dicentis perfectionem in modo cognoſcendi. *Sic igitur dicendum eſt, quòd Deus non ſolùm cognoſcit, res eſſe in ſe ipſo, ſed per id, quòd in ſe ipſo continet res, cognoſcit eas in propria natura; & tantò perfectiùs, quantò perfectiùs eſt unumquodque in ipſo.* Ità D. Thom. hâc *qu.* 14. *art.* 6. *ad* 1.

X. Ad confirm. reſpondeo, probare creaturas eſſe poſſe, non objectum terminativum, ſed etiam motivum: quod tamen plerique adverſariorum negant. Dico ergo, intellectum divinum, ex quo eſt determinatus ad omne verum, & ſummè cognoſcitivus, debere moveri objectivè immediatè à ſe, non verò ab alio extra ſe: unde moveri debet à ſua eſſentia, quæ eſt repræſentativa omnis veri, ſicut ipſe eſt determinatus ad cognoſcendum omne verum.

XI. Secundò objiciunt. Ex eo, quòd Deus cognoſcat creaturas immediatè in ſe ipſis, non ſequitur, quòd ejus cognitio ſpecificetur, & dependeat ab illis; ergo &c. Antec. prob. primò. Si Deus cognoſcat creaturas in ſe ipſis, tamen ad eas cognoſcendas non movebitur à creaturis, ſed à ſua eſſentia, & ſolùm terminabitur ad illas; ſed cognitio ſpecificatur, non ab objecto purè terminativo, ſed ab objecto motivo, ut docet S. Thom. hâc *quæſt.* 14. *art.* 5. *ad* 3.; ergo &c. Secundò. In Deo dantur plures formalitates immediatè terminatæ ad creaturas, imò & primariò, quin ab iſtis ſpecificentur: omnipotentia enim, utpotè productiva, immediatè, & primariò reſpicit producibile extra Deum, & conſequenter creatum, quia nil divinum eſt producibile. Idem dicito de Providentia, Juſtitia, Miſericordia &c.

XII. Reſpondetur negando antec., ad primam probat, nego maj. Supra enim oſtendimus, quòd creaturæ, ſi immediatè terminarent in ſe ipſis divinam cognitionem, ad eam etiam moverent. Objectum enim, quod ratione ſui non movet divinum intellectum, nec ratione ſui cognoſcitur, ſed in alio, in quo repræſentatur.

Ad ſecundam nego anteced. Sicut enim nulla divina formalitas poteſt ſpecificari ab aliquo creato, ità nec poteſt primariò illud reſpicere, aut ad illud terminari. Neque oppoſitum evincunt exempla adducta. Omnipotentia enim non diſtinguitur adhuc virtualiter à divino intellectu: quare, ſicut divinus intellectus primariò reſpicit ſolùm ens divinum, ut per ſe primò cognitum, & ens creatum ſolùm ſecundariò, ità omnipotentia illud reſpicit, ut rationem ſe communicandi ad extra. Licèt autem formalitas omnipotentiæ reduplicativè ſumta ſolùm reſpiciat creaturas: hæc tamen formalitas ſolùm nominat, ac explicat terminationem ſecundariam divini intellectus. Idem dico de Providentia, de Juſtitia, & Miſericordia: Juſtitia enim, & Miſericordia ſolùm expli-

Digitized by Google

explicant terminationem ſecundariam divinæ voluntatis.

XIII. Sed inſtas. Omnipotentia, Juſtitia &c. immediatè terminantur ad creaturas, & tamen illas ſolùm ſecundariò reſpiciunt; ergo poterit divina cognitio immediatè terminari ad creaturas, & illas ſolùm ſecundariò reſpicere.

Reſpondeo negando conſequentiam. Et diſparitas eſt: quia cognoſcere aliquid ſolùm ſecundariò, eſt cognoſcere illud ratione alterius priùs cogniti, cognoſcere autem unum ratione alterius, non eſt cognoſcere illud immediatè in ſe, ſed in alio, vel ut cauſa, vel ut ſpeculo: unde Deum cognoſcere creaturas ſecundariò, & illas cognoſcere immediatè in ſe, ſibi contradicit. At producere aliquid ſecundariò non eſt producere illud in alio, vel ratione alterius, priùs producti, ſed illud producere in ſe, ſicut in ſe exiſtit: & ideò producere unum ſecundariò, & ratione alterius, non eſt producere unum in alio, ſed immediatè in ſe ipſo.

Addi poteſt alia diſparitas: quia ſcientia comparatur ad ſuum terminum, ut ad ſui objectum; omnipotentia autem comparatur ad ſuum terminum, ut cauſa ad effectum; diverſo autem modo reſpicit cognitio objectum, & cauſa effectum: nam cauſa reſpicit effectum, ut dans, & communicans illi perfectionem, quâ ratione ſubſiſtentia divina poteſt immediatè communicari humanitati; at cognitio reſpicit objectum, quod eam terminat immediatè, & ratione ſui, tanquàm menſuram, & ut accipiens ab illo ſpeciem, & eſſe in genere cauſę formalis extrinſecæ. Et inde eſt, quòd divina cognitio nequit ad aliquid creatum immediatè, & ratione ſui terminari.

QUÆSTIO IV.

De diviſione, & cauſalitate Scientiæ Divinę.

EXaminatâ exiſtentiâ, eſſentiâ, & medio divinæ cognitionis, ſive ſcientiæ, recto ordine tranſimus ad ejus diviſionem, & efficaciam in cauſando.

DUBIUM I.

De diviſione Scientiæ Divinæ in Scientiam Viſionis, & Simplicis Intelligentiæ.

§. I.

Quædam prænotantur.

I. CElebris eſt apud Theologos ſcientiæ divinæ partitio in ſcientiam viſionis, & ſcientiam ſimplicis intelligentiæ. Scientia viſionis eſt, quâ Deus cognoſcit res exiſtentes. Quia verò, ut ſtatim dicemus, non ſolùm res apud nos exiſtentes, ſed & res futuræ, & præteritæ, coram Deo exiſtunt, & ſunt præſentes, ideò hâc ſcientia viſionis cognoſcit Deus ſe ipſum, & creaturas præſentes, præteritas, & futuras: & hæc ſcientia viſionis coincidit cum notitia intuitiva in nobis. Scientia verò ſimplicis intelligentiæ eſt, quâ Deus cognoſcit res merè poſſibiles, ſeu quidditates rerum, quæ abſtrahunt ab omni exiſtentia, ſive præſenti, ſive jam habita, ſive habenda: & hæc coincidit cum noſtra notitia abſtractiva.

II. Scientia viſionis, ut terminatur ad Deum, & ad ea, quę in Deo neceſſariò exiſtunt, eſt ſimpliciter neceſſaria, quia noſtro modo concipiendi antevertit omne exercitium divinæ libertatis Et eâdem ratione ſcientia ſimplicis intelligentiæ, quatenus reſpicit purè poſſibilia, & rerum quid-dita-

ditates, neceſſaria eſt. Scientia autem viſionis, ut terminatur ad creaturas, eſt libera abſolutè, quia intelligimus, eam ſubſequi exercitium divinæ libertatis: cauſa enim, quare creaturæ ſint præſentes, præteritæ, vel futuræ, eſt divina voluntas. Dici tamen poteſt neceſſaria ex ſuppoſitione, quia, cùm Deus ſit immutabilis, id, quod Deus ſemel liberè ſcivit, non poteſt non ſcire. Hæc ſufficiat extremis labiis delibaſſe, præſertim quoad rationem liberi, & neceſſarii in ſcientia Dei; inferiùs enim pro merito tractabuntur: nunc de hac diviſione in ſcientiam viſionis, & ſimplicis intelligentiæ quærimus, an ſervet conditiones bonæ diviſionis.

§. I I.

Reſolvitur quæſtio.

III. Dico. Scientia Dei benè, & adæquatè dividitur in ſcientiam viſionis, & ſcientiam ſimplicis intelligentiæ. Non certamus hìc contra Jeſuitas, qui ponunt ſcientiam mediam. Hanc enim plerique eorum mediare dicunt potiùs inter liberam, & neceſſariam, quàm inter ſcientiam viſionis, & ſimplicis intelligentiæ. Sed militamus contra quoſdam, qui inter ſcientiam viſionis, & ſimplicis intelligentiæ tertiam ponunt, quam vocant ſcientiam approbationis.

Noſtrum aſſertum docet D. Thomas hìc *qu.* 14. *art.* 9. dicens: *Quædam licèt non ſint nunc in actu: tamen, vel fuerunt, vel erunt: & omnia iſta dicitur Deus ſcire ſcientiâ viſionis. Quia cùm intelligere Dei, quod eſt ejus eſſe, æternitate menſuretur, quæ ſine ſucceſſione exiſtens totum tempus comprehendit, præſens intuitus Dei fertur in totum tempus, & in omnia, quæ ſunt in quocumque tempore, ſicut in ſubjecta ſibi præſentialiter. Quædam verò ſunt, quæ ſunt in potentia Dei, vel creaturæ, quæ tamen nec ſunt, nec erunt, nec fuerunt, & reſpectu horum non dicitur habere ſcientiam viſionis, ſed ſimplicis intelligentiæ.*

Ex his formatur ratio. Omnia, quæ à Deo ſciuntur, vel ſunt Deo præſentia, vel non: non enim datur medium. Si ſunt Deo præſentia; ſciuntur ſcientiâ viſionis. Si non; ſciuntur ſcientiâ ſimplicis intelligentiæ; ergo &c. Sicut ergo in nobis diviſio notitiæ in intuitivam, & abſtractivam eſt adæquata: ità in Deo diviſio ſcientiæ viſionis, & ſimplicis intelligentiæ, quæ huic correſpondeat, erit adæquata.

IV. Prob. ulteriùs contra Adverſarios. In bona diviſione nequit unum membrum ab alio dividens ſub alio contineri; ſed ſcientia approbationis continetur ſub ſcientia viſionis; ergo non conſtituit membrum diſtinctum. Min. prob. Objectum ſcientiæ approbationis, nempe quidquid Deus decrevit poſitivè facere, continetur ſub ſcientia viſionis, cùm ſit vel præſens, vel præteritum, vel futurum; ergo ſimiliter ſcientia approbationis continetur ſub ſcientia viſionis.

Confirm. Si ſcientia approbationis conſtitueret tertium membrum diſtinctum à ſcientia viſionis, deberet addi quartum, nimirùm ſcientia improbationis: ſicut enim ſcientia approbationis eſt, quæ ſupponit decretum poſitivum, ità ſcientia improbationis eſt, quæ decretum permiſſivum ſupponit, & ideò hâc ſcientiâ Deus ſolùm cognoſcit mala culpæ, quæ improbat; ſed hoc nemo dixit; ergo &c.

V. Meliùs ergo diſcurrimus nos, qui poſtquam diviſimus ſcientiam divinam in ſcientiam viſionis, & ſimplicis intelligentiæ, ſubdividimus ſcientiam viſionis, ſeu, ut alii volunt, ſcientiam viſionis liberam in ſcientiam approbationis, quâ Deus cognoſcit ea, quæ decrevit facere, juxta illud Geneſ. 1. v. 31. *Viditque Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona:* & in ſcientiam improbationis, quâ videt ea, quæ tantùm permittit fieri, ut ſunt mala culpæ, juxta illud Geneſ. 6. v. 5. *Videns*

Vident autem Deus, quòd multa malitia hominum eſſet in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore, pœnituit eum &c.

§. II.

Satisfit objectionibus.

VI. PRimò objicitur. Omnis ſcientia Dei eſt intuitiva; ergo omnis ſcientia Dei eſt viſionis. Ant. prob. Omnis ſcientia Dei eſt clara, & evidens ſui ipſius in ſe; ergo omnis &c.

Reſp. negando antec., ad prob. diſt. ant., clara rei vel exiſtentis, vel non exiſtentis, conc. antec., rei præcisè exiſtentis, nego antec., & conſequentiam. Quia cognitio intuitiva eſt cognitio clara quidem, ſed rei exiſtentis. Cùm autem quædam à Deo cognoſcantur, quæ nullo modo exiſtunt, neque in ſe, neque in Deo, non omnis ſcientia Dei, etſi clara, eſt ſcientia intuitiva, ſeu viſionis.

VII. Replicabis. Si aliqua ſcientia Dei non eſſet intuitiva, & circa exiſtentia, maximè ſcientia, quam habet de poſſibilibus; ſed hæc quoque eſt intuitiva; ergo &c. Min. prob. Scientia dicitur intuitiva, quoties ratio formalis, ſeu medium cognoſcendi eſt exiſtens; ſed ratio, & medium cognoſcendi creaturas poſſibiles eſt ſua eſſentia, ut vidimus, quæ eſt exiſtens; ergo &c.

Reſpondeo, neg. min., ad prob. neg. maj. Ratio enim intuitivi, vel abſtractivi non penſatur ex ratione, vel medio cognoſcendi, ſed ex præſentia, vel abſentia objecti cogniti exercita. Quô fit, ut eadem cognitio attingens diverſa objecta coordinata, reſpectu unius dicatur intuitiva, ſi ſit exiſtens, reſpectu alterius abſtractiva, ſi exiſtens non ſit. Sic cognitio Angeli, quâ contemplatur in Sole eclipſim futuram Solis, reſpectu Solis eſt intuitiva, reſpectu verò eclipſis futuræ eſt abſtractiva.

VIII. Secundò objicitur. Scientia approbationis, & ſcientia viſionis exprimunt diverſos reſpectus: Scientia enim approbationis exprimit reſpectum ad voluntatem approbantem, ſcientia autem viſionis ad exiſtentiam objecti; ergo &c.

Reſp., diſt. ant., diverſos reſpectus, coordinatos tamen, conc. antec., diſparatos, nego antec. Reſpectus ergo ad voluntatem divinam non eſt diſparatus reſpectu ſcientiæ viſionis circa creaturas, ſed in illa includitur neceſſariò. Quod decretum, ſi ſit poſitivum, erit ſcientia viſionis approbationis; Si verò ſit tantùm permiſſivum, erit ſcientia viſionis improbationis.

§. III.

An Scientia Viſionis, & Simplicis intelligentiæ ſint duo attributa virtualiter diſtincta?

IX. DIco. Scientia Dei non dividitur in Scientiam Viſionis, & Simplicis intelligentiæ, tanquam in duo attributa virtualiter diſtincta. Eſt communis præcipuè apud Thomiſtas. Traditur enim à D. Thoma *qu.* 2. *de Verit. art.*9. *ad* 2., ubi hęc habet: *Scientia ſimplicis notitiæ, & viſionis nullam differentiam important ex parte ſcientis, ſed ſolùm ex parte rei ſcitæ. Dicitur enim ſcientia viſionis in Deo ad ſimilitudinem viſus corporalis, qui res extra ſe poſitas intuetur. Unde per ſcientiam viſionis Deus ſcire non dicitur, niſi quę ſunt extra ipſum, quæ ſunt vel præſentia, vel præterita, vel futura. Sed ſcientia ſimplicis notitiæ, ut ſupra probatum eſt, eſt etiam eorum, quæ nec ſunt, nec erunt, nec fuerunt, nec alio modo ſcit Deus iſta, & illa. Unde non eſt ex parte ſcientiæ, quòd Deus infinita non videat, ſed ex parte ipſorum viſibilium, quæ non ſunt.*

Ex his probo aſſertum. Quæ diſtinguuntur ſolùm ex parte ſcitorum, & non ex parte ſcientis, non ſunt duo attri-

attributa Dei virtualiter diſtincta ; ſed ſcientia viſionis , & ſimplicis notitiæ differunt tantùm ex parte ſcitorum , & non ex parte ſcientis ; ergo &c. Min. prob. , quòd enim Deus ſcientia viſionis non videat infinita , vel alium mundum poſſibilem , ex eo prçcisè naſcitur , quia non ſunt : ſi enim eſsent ſtatim à Deo eâdem cognitione viderentur .

X. Rursùs . Scientia viſionis creaturarum , & ſimplicis notitiæ exprimunt ſolùm duas terminationes divinę ſcientiæ ad objectum ſecundarium ; ſed diverſitas , quæ ſumitur ex objecto ſecundario , non valet in Deo attributa multiplicare : ſicut neque in creatis multiplicat realiter habitus ; ergo &c.

XI. Dices . Divina Eſſentia , ut connotat diverſas creaturas , eſt ſufficiens ad diſtinguendas attributaliter artem , & prudentiam ; ergo divina ſcientia , ut connotat res præſentes , diſtinguitur attributaliter à ſe ipſa , ut connotante res purè poſſibiles .

XII. Sed contra . Ideò Ars , & Prudentia conſtituunt duo attributa , quia ſub diverſa ratione objectiva eſſentiam divinam reſpiciunt , Ars nimirùm ut rationem factibilium , Prudentia ut rectam rationem agibilium . Atqui cognitio exiſtentis , & poſſibilis nullam in ratione objectiva variationem inducunt , ſed ſolum in eſſe phyſico , objecti ſcilicet exiſtentis , vel non exiſtentis ; Quare neque in creatis realiter , aut formaliter diſtinguuntur : Chriſtus enim eâdem viſione beatâ comprehenſivè cognoſcit naturam exiſtentem , & ſub ratione quidditatis præſcindentis ab exiſtentia , quo pacto habet rationem ſimplicis notitiæ , & ſub ratione exiſtentis , quo modo habet rationem ſcientiæ viſionis . Cur ergo Deus eâdem ſimpliciſſimâ cognitione comprehenſivâ non cognoſcet Omnipotentiam ſuam , ut cauſativam in actu primo creaturarum , quo pacto connotat creaturas poſſibiles , & ut cauſantem , vel ut determinatam ad illas cauſandas , & ſic non habebit ſimplicem notitiam, & viſionem diverſorum eodem actu ? Sanè eadem cognitio Patris æterni eſt expreſſiva eſſentiæ , attributorum , poſſibilum , ac etiam futurorum , cùm ſit omnium expreſſiva una , & indiviſibilis ; ergo una pariter , ac indiviſibilis Dei cognitio , & ſcientia poterit omnia illa cognoſcere .

DUBIUM II.

Quomodo ea , quæ non ſunt , ſed erunt , aut ſuerunt , coexiſtant ſcientiæ viſionis Dei .

§. I.

Prænotantur aliqua .

I. Cum ea , quæ non ſunt , ſed erunt , aut fuerunt , ex dictis , cognoſcantur à Deo , imò ſint ab æterno cognita ſcientiâ viſionis , quæ eſt intuitiva , & conſequenter rerum exiſtentium : cùmque inſuper , quæ erunt , aut fuerunt , in ſe ipſis non exiſtant in ſui duratione , aperitur via celeberrimæ quæſtioni , an ſcilicet exiſtant in menſura ſuperiori , nimirùm in æternitate , ità , ut ratione talis exiſtentiæ , non purè objectivę , ſed realis , & phyſicę , ſint Deo objectum ſcientiæ intuitivæ , & viſionis .

II. Pro hujus intelligentia noto primò , duplicem à Philoſophis diſtingui præſentiam : unam realem , & phyſicam , quam habent res , dùm producuntur , & ponuntur extra ſuas cauſas : alteram intentionalem , & objectivam , quam habent in mente cognoſcentis ; cùm enim omnis cognitio fiat , ſecundùm quòd cognitum eſt in cognoſcente , debet per ſui ſimilitudinem objectivè ſiſti , & fieri præſens potentiæ cognoſcitivę , ut ab ea cognoſcatur . Sic in iis , quæ non ſunt , ſed erunt , aut fuerunt , hanc duplicem imaginari poſſumus præſentiam : unam objectivam , & intentionalem , quatenùs ſunt in mente divina , ut

per

per divinam eſſentiam repræſentata: alteram phyſicam, & realem convenientem eis ratione æternitatis, quæ ratione ſuæ infinitatis, & indiviſibilitatis in ſuo vaſtiſſimo ſinu ea actu complectatur, ità, ut, ſi per impoſſibile ea Deus non haberet in ſui præſcientia objectivè, & intentionaliter præſentia, adhuc tamen præſentia illi eſſent præſentiâ reali ratione æternitatis, ea continentis, & menſurantis.

III. Noto ſecundò hanc præſentiam realem in æternitate tribus modis poſſe nos concipere, & imaginari. Primò, per quandam anticipatam eorum productionem in æternitate, diſtinctam ab ea, quâ temporaneè producuntur: ità, ut Anti-Chriſtus v.g. concipiatur, ut præſens in æternitate, quaſi in illa jam productus ſit, & poſitus extra ſuas cauſas. Secundò, per coextenſionem ipſius rei temporalis ad totam æternitatem, eo ferè modo, quo coextenderetur illi tempus infinitum, ſi daretur. Tertiò, per coextenſionem ipſius æternitatis ad illam differentiam temporis, in qua aliquando fient res creatæ præſentes, & exiſtentes.

Certum eſt, futura non eſſe Deo in æternitate realiter præſentia primo, & ſecundo modo: quia Scriptura teſtatur, omnia incepiſſe in tempore, & nihil eſſe ab æterno productum. Solùm ergo controverſia remanet de tertio modo, nempe an dici poſſint realiter præſentia in æternitate ratione coextenſionis æternitatis ad illam differentiam temporis, in qua futura, puta Anti-Chriſtus, ponentur extra cauſas.

IV. Quare quæſitum eſt: an æternitas, ut actu contineat, & menſuret res futuras, expectare debeat, quòd ſint poſitæ extra ſuas cauſas, & exiſtentes in propria duratione, ſe eorum fluxui, & ſucceſſioni accommodando; eo ferè modo, quo pons in medio fluminis poſitus, vel arbor ad ripam illius plantata, non ſimul aquas prætereuntes continet, ac menſurat, ſed expectat earum fluxum, & tranſitum: An verò illa ratione ſuæ infinitatis non expectet, ut eas complectatur, quòd fluat tempus, quo illæ res futuræ extituræ ſunt, ſed præveniat, ac præoccupet, quodammodo anticipando ſuâ infinitâ continentiâ, & indiviſibili menſuratione illarum exiſtentiam, ità, ut, quæ ſibi invicem ſucceſſivè exiſtent, omnia æternitati realiter ſint præſentia; ad eum modum, quo eſto loca invicem localiter diſtantia ſint, omnia tamen localiter immenſitati divinæ ſunt actu localiter præſentia; & licèt unus locus mutetur, tota mutatio eſt ex parte loci, non ex parte immenſitatis; ſic eſto res creatæ ſibi invicem duratione diſtent, ac una alteri ſuccedat, omnes tamen in æternitate præſentes ſine ſucceſſione ſint.

Partem negantem tenent Durandus, Scotus, Suarez, Vaſquez, aliique exteri. Affirmantem verò Thomiſtæ, nec non alii, etiam ex ſocietate, cum quibus.

§. II.

Statuitur aſſertio, & probatur ex Patribus.

V. Dico. Futura fuerunt ab æterno, & modò ſunt Deo præſentia, non ſolùm objectivè ratione ſuæ præſcientiæ, ſed etiam realiter, & phyſicè ratione ſuæ æternitatis. Hoc aſſeruit primò, S. Auguſt. *enarrat. 2. in pſal.* 101., ubi ad illa verba *in generatione generationum anni tui*: aſſignans differentiam inter annos Dei, & annos noſtros, quorum *omnis dies in hoc tempore ideò venit, ut non ſit omnis hora, omnis menſis, omnis annus: nihil horum ſtat: antequam veniat erit, cùm venerit, non erit*. Subdit. *Anni Dei æternitas Dei eſt: æternitas ipſa Dei ſubſtantia eſt, quæ nihil habet mutabile; ibi nihil erit præteritum, quaſi jam non ſit; nihil eſt futurum,*

rum, quaſi nondùm ſit, non eſt ibi, niſi eſt, non eſt ibi fuit, & erit: quia, & quod fuit, jam non eſt, & quod erit, nondùm eſt, ſed quidquid ibi eſt, nonniſi eſt.

Item *lib. 2. quæſt.* ad Simplicianum q. 2. *Quid eſt enim* [inquit] *præſcientia, niſi ſcientia futurorum? Quid autem futurum eſt Deo, qui omnia ſupergreditur tempora?* ut autem ſcias, eum ibi loqui de præſentia reali, & non ſolùm objectiva, audi, quæ ſequuntur. *Si autem, ſicut in ordine temporalium creaturarum, ità & apud Deum nondùm ſunt, quæ futura ſunt, ſed ea prævenit ſciendo; bis ergo ea ſentit, uno quidem modo ſecundùm futurorum præſcientiam, altero verò ſecundùm præſentium ſcientiam.* Præſcientiam certè à Deo non excluderet S. Doctor, ſi exiſtimaret, futura eſſe Deo pręſentia objectivè tantùm, & non realiter, quare etiam lib. 5. de Trinit. c. 16. *apud eum* (inquit) *nec præterita tranſierunt; & futura jam facta ſunt.*

VI. Idem ſentit S. Gregorius Magnus. Etenim *lib. 4. moral. cap. 29.* [Edit. Maurinæ] ait: *fuiſſe, vel futurum eſſe, æternitas non habet; cui nimirùm nec præterita tranſeunt, nec, quę futura ſunt, veniunt.* Idem *lib. 16. c. 43.*, & *lib. 20. cap. 32.*: *Quomodo* [inquit] *eſt præſcius, dùm nulla, niſi quę futura ſunt, præſciantur?* Et *ſcimus, quia Deo futurum nihil eſt, ante cujus oculos præterita nulla ſunt, præſentia non tranſeunt, futura non veniunt: quippe quia omne, quod nobis fuit, & erit, in ejus conſpectu præſto eſt; & omne, quod præſens eſt, ſcire poteſt potiùs, quàm præſcire.* At quod præſens tantùm objectivè eſt, & phyſicè futurum præſciri dicitur, & non ſciri. Ergo S. Gregorius pręſentiam aſſerit futuris apud Deum, non objectivam tantùm, ſed & phyſicam.

VII. Idem ſentiunt S. Bernardus *ſerm. 80. in Cantica*, ubi immenſitati æternitatem comparans: *Loca* [inquit] *omnia continet, & quæque ſuis ordinat locis nunquàm contenta locorum. Tempora ſub ea tranſeunt, non ei: futura non expectat, præterita non recogitat, præſentia non experitur* (caduca ſcilicet, & fluxa, qualia nos). Sanctus Anſelmus *tract. de concord.* pręſcientiæ Dei cum lib. arb. c. 5. *quemadmodum* (inquit) *præſens tempus continet omnem locum, & quæ in quolibet loco ſunt: ità æterno præſenti ſimul clauditur omne tempus, & quæ ſunt in quolibet tempore ..... habet enim æternitas ſuum ſimul, in quo ſunt omnia, quæ ſimul ſunt loco, vel tempore, & quæ ſunt diverſis in locis, & temporibus.* Et inferiùs. *Non dico, aliquid nunquam eſſe in tempore, quod ſemper eſt in æternitate; ſed tantùm in aliquo tempore non eſſe. Non enim dico, actionem meam craſtinam nullo tempore eſſe, ſed hodie tantùm nego eam eſſe, quæ tamen ſemper eſt in æternitate. Et quando negamus, fuiſſe, vel futurum eſſe ibi aliquid, quod in tempore fuit, aut erit; non aſſerimus, id, quod fuit, aut erit, nullo modo ibi eſſe: ſed tantùm præterito, vel futuro modo dicimus ibi non eſſe, quod ibi indeſinenter eſt, ſuo præſenti modo.* Quę verba valdè notanda ſunt.

§. III.

Probatur ex D. Thoma.

VIII. Oportuit hoc aſſertum ſpecialiter ex D. Thoma oſtendere, ut obſtruatur os aliquibus dicentibus, S. Doctorem nobis eſſe contrarium. Legatur ergo 1. *hâc 1. part. q. 14. ar. 13.*, ubi habet. *Æternitas tota ſimul exiſtens ambit totum tempus ... Unde omnia, quæ ſunt in tempore, ſunt Deo ab æterno præſentia; non ſolùm eâ ratione, quâ habet rationes rerum apud ſe præſentes* (præſentiâ nimirùm objectivâ, quâ ſunt in Ideis Divinis) *ſed quia ejus intuitus fertur ab æterno ſuper omnia, prout ſunt in ſua præſentialitate. Unde manifeſtum eſt, quod contingentia infallibiliter à Deo cognoſcuntur, in quantum ſubduntur divino conſpectui ſecundùm ſuam præſentialitatem. & in-*

tamen ſunt futura contingentia ſuis cauſis proximis comparata. Quęnam quæſo eſt iſta præſentialitas, quâ futura ſubduntur divino conſpectui, ratione cujus Deus ea intuetur, & reſpectu Dei futura non ſunt, niſi præſentialitas pluſquam objectiva? *In Deo non cadit præteritum, & futurum: ſed quidquid eſt in eo, eſt totum in præſenti æternitatis. Nec præteritum, vel futurum in eo verbum ſignificatur, niſi per reſpectum ad nos;* ait qu. 1. de pot. art. 5. ad 2.

IX. Item quæſt. 2. de verit. art. 12. *Tunc* [inquit] *cognoſcitur ut futurum eſt, quando inter cognitionem cognoſcentis, & rei eventum invenitur ordo pręteriti ad futurum: hic autem ordo non poteſt inveniri inter cognitionem divinam, & quamcumque rem contingentem, ſed ſemper ordo divinæ cognitionis ad rem quamcumque eſt, ſicut ordo præſentis ad præſens.* Quod explicat exemplo. In tantum ex tranſeuntibus ſucceſſivè per aliquam viam non omnes ſimul noſtro intuitui ſunt præſentes, quia aliquos unâ viſione, & uno tempore, & alios aliâ viſione, & alio tempore intuemur: ſi autem *viſio tota ſimul poſſet exiſtere, ſimul præſentialiter omnes videret, quamvis non omnes ſimul præſentialiter tranſirent. Unde cùm viſio divinæ ſcientiæ æternitate menſuretur, quæ eſt tota ſimul, & tamen totum tempus includit, nec alicui parti temporis deeſt, ſequitur, ut quidquid in tempore geritur, non ut futurum, ſed ut præſens videat: hoc enim, quod à Deo viſum eſt, futurum eſt rei alteri, cui ſuccedit in tempore, ſed ipſi divinæ viſioni, quæ non in tempore, ſed extra tempus eſt, non eſt futurum, ſed præſens. Itâ ergo nos videmus futurum, ut futurum, quia viſioni noſtræ futurum eſt, cùm ipſa tempore menſuretur; ſed divinæ viſioni, quæ eſt extra tempus, futurum non eſt. Sicut & aliter videt tranſeuntes ille, qui eſt in ordine tranſeuntium, qui non videt, niſi illos, qui ante ipſum ſunt: & aliter ille, qui extra ordinem tranſeuntium eſſet, qui omnes tranſeuntes ſimul inſpiceret &c.* Hoc eodem exemplo utitur S. D. *1. p. qu. 14. art. 13. ad 3.*

X. Ex prælaudatis D. Thom. verbis apertè evincitur, mentem ejus eſſe, quòd futura Deo ſint præſentia, non ſolùm objectivâ; ſed etiam præſentiâ reali. Primò, quia dicit, ità eſſe Deo pręſentia, ut non ſint illi futura, præſentia autem, quæ tollit, aliquid eſſe futurum, non eſt purè objectiva, ſed realis, nam præſentia objectiva optimè componitur cum *eſſe futurum*. Secundò, quia in tantum futura dicit eſſe Deo præſentia, quia ejus cognitio menſuratur æternitate, quia Deus eſt extra omne tempus, ſupergreditur omnia tempora; ſed pręſentia, quæ ab æternitate penſatur, non eſt objectiva, ſed realis; ergo &c. Tertiò, quia illa pręſentia, quam ſtatuit D. Thomas in futuris reſpectu Dei, eſt talis, ut fundet ſcientiam viſionis, ſeu intuitivam de illis; ſed præſentia requiſita ad cognitionem intuitivam eſt realis, & phyſica; ergo &c. Quartò, exemplum, quo utitur, id probat: Nam tranſeuntes per aliquam viam non poſſunt fieri objectivè præſentes ei, qui extra ordinem tranſeuntium poſitus, omnes ſimul videret, niſi ei quoque eſſent ſimul præſentes phyſicè; quare D. Thom. loquitur quidem de præſentia objectiva, ſed, cùm loquatur de præſentia objectiva ſerviente cognitioni intuitivæ, & quâ à Deo videntur, non jam ut futura, ſed ut præſentia, fit, ut loquatur de præſentia objectiva fundata in præſentia reali, & phyſica ratione æternitatis.

XI. Hoc apertè expreſſit *1. p. quęſt. 57. art. 3.*, ubi ait, Deum cognoſcere futura in ſe ipſis, non verò in ſuis cauſis, *quia Deus videt omnia in ſua æternitate, quæ cùm ſit ſimplex, toti tempori adeſt, ipſumque concludit. Et ideò unus Dei intuitus fertur in omnia, quæ aguntur per totum tempus, ſicut in præſentia, & videt omnia, prout in ſe ipſis ſunt.* Et 1. contra g. c. 66. *cùm* [inquit] *æterni eſſe nunquam deficiat: cuilibet tempori, vel inſtanti temporis præ-*

Digitized by Google

præſentialiter adeſt æternitas. Cujus exemplum utcumque in circulo eſt videre. Punctum enim inter circumferentias ſignatum, etſi indiviſibile ſit, non tamen cuilibet puncto alii ſecundùm ſitum coexiſtit ſimul, ordo enim ſitus continuitatem circumferentiæ facit. Centrum verò, quod eſt extra circumferentiam, ad quodlibet punctum in circumferentia ſignatum directè oppoſitionem habet. Quidquid igitur in quacumque parte temporis eſt, coexiſtit æterno, quaſi præſens eidem, etſi reſpectu alterius partis temporis ſit præteritum, vel futurum. Æterno autem non poteſt aliquid coexiſtere, niſi toti, quia ſucceſſionis durationem non habet. Quidquid igitur per totum decurſum temporis agitur, divinus intellectus in tota ſua æternitate intuetur, quaſi præſens: nec tamen quod quâdam parte temporis agitur, ſemper fuit exiſtens. Videatur etiam 3. *contrag. c.* 154., *opuſc.* 2. *cap.* 133., in 1. *ſent. diſt.* 38. *qu. unic. art.* 5., ubi expreſsè ait, *cùm Deus uno æterno intuitu omnia tempora videat, omnia contingentia in temporibus diverſis ab ęterno prǫſentialiter videt, non tantùm ut habentia eſſe in cognitione ſua.* Et poſt aliqua, *Nec tantùm videt, hanc rem reſpectu præcedentis temporis eſſe futuram, & reſpectu futuri præteritam, ſed videt illud tempus, in quo eſt præſens, & rem eſſe prǫſentem in hoc tempore &c.* Quę adeò clara ſunt, ut cæcutire dicendus ſit, qui ea non videat. Videatur quoque *quæſt.* 3. *de verit. art.* 3. *ad* 1., *quod contra objicitur*, ubi ait: *apud Deum non currunt tempora, neque decurrunt, quia ipſe ſuâ æternitate, quæ eſt tota ſimul, totum tempus includit; & ſic eodem modo cognoſcit præterita, præſentia, & futura: & hoc eſt, quod dicitur Eccleſ. 23. Domino Deo noſtro nota ſunt omnia, antequam crearentur.*

§. IV,

Probatur aſſertum ratione.

XII. PRobo primò ſic. Deus videt futura contingentia, & præterita, quatenus prǫſentialiter adſunt, & coexiſtunt ęternitati: cui adſunt etiam omnia tempora ſimul, ut in ea incluſa, & eminenter præcontenta, taliter, ut Deus ea ſic videns, intuitivè adſpiciat, ut ex D. Thoma conſtat; ſed præſentia rerum, & temporum ratione æternitatis conveniens, non eſt præſentia tantùm intentionalis, & objectiva: & intuitiva cognitio petit rem præſentem, non tantùm objectivè, ſed realiter, ac phyſicè; ergo præſentia, quam habent futura, dùm cognoſcuntur à Deo, non eſt ſolùm intentionalis, ſed realis, & phyſica. Maj. ſupponitur ex D. Thom. Min. prob., quia ſicut præſentia, quę convenit ratione cognitionis, eſt prǫſentia in eſſe cogniti, & objectiva: ità præſentia, quæ convenit ratione æternitatis, quæ eſt duratio, debet eſſe præſentia propria rei, quæ duratione menſuratur, & propterea realis, & phyſica.

XIII. Confirm. Sicut divina ſcientia eſt infinita in cognoſcendo, ità divina æternitas infinita eſt in duratione: rursùs ſicut divina ſcientia invariabilis eſt, nec ſucceſſionem admittit, ità divina æternitas tota ſimul eſt, & omnis diviſibilitatis, ac ſucceſſionis expers; ſed quia divina ſcientia infinita, & ſine ſucceſſione eſt, omnia, quæ ſucceſſivè fluunt, objectivè adſunt divinæ ſcientiæ, & ut ea ſciat, non expectat, ut in ſe ſint; ergo quia divina æternitas tota ſimul eſt, ac ſucceſſionis expers, omnia, quæ ſucceſſivè eveniunt, ei ſimul aderunt, præſentiâ æternitati propriâ, nec, ut ea actu menſuret, expectabit, ut in ſe ipſis ſint. Conſequentia probatur. Ideò primum, quia cognitio fit, non ſecundùm quòd cogno-

ſcens

Digitized by Google

ſcens eſt in re cognita, ſed ſecundùm quòd res cognita in cognoſcente eſt, ideòque res cognita in cognoſcente eſt ſecundùm modum cognoſcentis, & propterea etſi res cognitæ ſucceſſionem admittant in ſe ipſis, ſi tamen hanc non admittat cognoſcens, erunt res cognitæ ab illo ſine ulla ſucceſſione, & ſimul; atqui omnia tempora, & quæ in tempore ſucceſſivè labuntur, ſunt in ęternitate, tanquam in ea eminenter incluſa, & contenta: non enim dicitur, æternitatem eſſe in rebus tranſeuntibus, ſed res quovis tempore tranſeuntes cum ſuo tempore eſſe in æternitate; ergo erunt in æternitate ſecundùm modum æternitatis: & cùm ſucceſſionem non admittat, in illa erunt, eique aderunt, non ſucceſſivè, ſed ſimul.

XIV. Hinc patet diſparitas inter ęternitatem, & immenſitatem: quâ paritate utuntur contra nos Adverſarii. Etenim per immenſitatem res non dicuntur eſſe in Deo, ſed Deus in rebus, eas conſervando; unde per immenſitatem ſolùm actu eſt in rebus jam poſitis extra cauſas, & præſentibus, non verò in præteritis, & futuris: & ſequitur immenſitas, etſi infinita, modum, & conditionem rerum. Aſt per æternitatem Deus non dicitur eſſe in rebus, ſed res in Deo, & in æternitate; unde æternitas modum rerum non attendit, ſed potiùs res ſequi debent modum æternitatis: & cùm in ſe ſucceſſionem non admittat, in ea abſque ſucceſſione, & ſimul debent omnia eſſe, etiam quę ſucceſſivè eveniunt.

XV. Imò ex immenſitate conficio rationem pro noſtra ſententia ſic. Quemadmodum differentiæ omnes durationis ſunt *præſens*, *pręteritum*, & *futurum*, ità differentiæ virtutis locativæ, ſeu ubicativæ ſunt *ante*, & *retrò*, *ſurſùm*, & *deorſùm*, *propinquum*, & *remotum* ſecundùm locum; ſed quia immenſitas eſt infinita in linea ubicativa, actu replet, ac ſimul omnia loca, & omnes locorum differentias, & ſi aliquam non repleret, non eſſet in linea ubicativa infinita; ergo quia æternitas eſt infinita in linea durativa, debet actu, & ſimul adeſſe, ac ſibi pręſentes habere omnes differentias temporum, &, ſi actu aliquam non haberet, actu non eſſet in linea durativa infinita. Ex his apparet alia ratio. Nam quare immenſitas non ſe extendat actu ad loca futura, ex eo eſt, quia præſens, præteritum, & futurum non ſunt differentiæ virtutis repletivę loci, ſed virtutis durativæ. Quare immenſitas ex vi infinitatis ſuæ lineæ ſolùm poſtulat, ut ſit ſimul actu in omnibus locis, quando actu exiſtunt. Æternitas autem ex vi infinitatis ſuę lineæ reſpicit præſens, præteritum, ac futurum, tanquam differentias proprias, unde omnibus adeſſe debet, omneſque habere ſimul præſentes.

XVI. Nec valet dicere, infinitatem æternitatis ſolum petere, ut quantùm de ſe eſt ſimul actu coexiſteret omnibus differentiis temporum, ſi exiſterent, non tamen illis actu ſimul coexiſtere, non ex defectu ſui, ſed ex defectu creaturarum, quæ ſimul, & ab æterno non ſunt. Sicut arbor ad ripam fluminis plantata, non ſimul, ſed ſucceſſivè coexiſtit toti aquę fluenti, non defectu, & fluxu, aut mutatione ſui, ſed aquæ, quæ non ſimul arbori adeſt tota, ſed ſucceſſivè, ac fluenter.

XVII. Nam contra eſt. Si enim æternitas, quia duratio infinita, quantùm in ſe eſt amplectitur etiam durationem futuram, puta Anti-Chriſti, quòd hæc non ſit actu in ſe præſens, impedire non poteſt, quòd eam æternitas actu non tangat, & claudat. Sicut, quia vis locativa immenſitatis eſt infinita, & quantùm ex ſe repletiva omnis loci, diſtantia unius loci ab alio, non impedit, quin omnibus ſimul adſit. Et ſi dabilis eſſet annus, qui ſimul habens ſuas partes quantùm ex ſe ſimul omnes dies complecti poſſet, nulla eſſet in diebus illius anni repugnantia, quin in anni initio

omnes

omnes ſimul exiſterent. Ergo cùm æternitas ex parte ſui ſit tota ſimul, & potens omnia complecti tempora, etſi non ſint futura ſimul, non repugnabit, quin illi omnia ſimul adſint.

XVIII. Exemplum autem de arbore fixa in ripa fluvii nobis potiùs favet. Ideò enim arbor illa non ſimul, ſed ſucceſſivè coexiſtit toti aquæ fluenti per alveum, quia finita eſt. Cæterum ſi eſſet arbor infinitę magnitudinis, & extenſionis, omnibus partibus aquę ſucceſſivè fluentibus ſimul coexiſteret. Ergo cùm æternitas ſit duratio infinita, omnibus partibus temporis, eſto ſucceſſivè prætereuntibus, actu ſimul coexiſtet. Cùmque implicet, unum eſſe alteri duratione præſeus, quin & iſtud non ſit illi præſens, quia præſentia unius alteri eſt relativa, & ideò mutua, & cùm futurum, puta Anti-Chriſtus in propria duratione verè exiſtat: ſi ęternitas ab ęterno actu adeſt durationi Anti-Chriſti, etiam duratio Anti-Chriſti, & ipſe Anti-Chriſtus aderit, & coexiſtet æternitati.

XIX. Probo ſecundò, & magis explico, tùm rationem præfatam, tùm ſenſum noſtri aſſerti. Æternitas eſt menſura infinita, indiviſibilis, & tota ſimul: qua infinita eſt, omnes durationes complecti debet: qua indiviſibilis, coexiſtit tota omnibus rebus ſucceſſivè prætereuntibus: non quidem totaliter, ſecundùm omnem virtualem ejus extenſionem, & omnes ejus veluti ſinus: ſed quaſi inadæquatè, & ſecundùm continentiam correſpondentem cuique durationi particulari. Unde ſicut ordo, & diſtinctio partium corporis humani non impedit, quin anima rationalis tota ſimul illis omnibus, & ſingulis, eſto non ſecundùm totam ſui virtutem, coexiſtat. Sicut (ut cum D.Th. 1. *contrag. c. 66.* diximus) diſtantia, quam habent puncta, & lineæ invicem in circumferentia, non tollit, quin centrum omnibus illis adſit. Et ſicut (ut ait D. Th. *qu. 2. de verit. art. 12.*, & hâc *qu. 14. art. 13. ad 3.*) plures ſucceſſivè tranſeuntes per viam, eſto non ſint ſibi invicem ſimul pręſentes, ſed unus ſuccedat alteri, non impediunt tamen, quin ille, qui ab alta ſpecula omnes ſimul intuetur, habeat omnes ſibi ſimul præſentes. Ità nec ſucceſſio, aut diſtantia in duratione rerum creatarum, quæ diverſis temporibus ſunt, impediet, quin omnes ſimul æternitati præſentes ſint.

§. V.

Reſpondetur adverſæ opinionis fundamentis.

XX. Mitto ea, quæ ex variis Sacræ Scripturæ locis objicere ſolent Adverſarii, nempè ſolum Deum ab æterno extitiſſe, & creaturas omnes fuiſſe in tempore productas. Hujuſmodi enim, & ſimiles inſtantię, ex non intelligentia noſtræ aſſertionis procedunt. Non enim, ut ſuperiùs notavi, dicimus nos, futura ab æterno exiſtere per anticipatam eorum productionem in æternitate, diſtinctam ab ea, quâ in tempore creata ſunt: ſed, quia æternitas divina ratione ſuę infinitatis actu continet omnes rerum creatarum durationes, ità, ut in ea non ſit pręteritum, & futurum, ſed totum præſens, ut fuſiùs dicemus.

Mitto etiam exempla, quæ ſumuntur ab immenſitate divina, & ab arbore in ripa fluminis fixa, quibus Adverſarii uti ſolent contra nos. Iſta enim ad rem non eſſe, & nobis potiùs favere, *§. præced.* oſtendimus.

XXI. Objiciunt ergo primò auctoritatem S. Auguſtini *lib. 12. de Civ. Dei cap. 25.* dicentis, quòd ſi Deus ſubtrahat concurſum ſuum, res *non erunt, ſicut antequam fierent, non fuerunt: Sed ante, dico, æternitate, non tempore.* Et *ſerm. 11. de verbis Apoſt.* nunc ſerm.26. cap. 4. *Eligit tamen* [inquit] *& habet electos, non in natura ſua, ſed in præſcientia ſua.* Et D. Iſidori *lib. de ſummo bono cap. 8. dicentis:*

Digitized by Google

tis : Si tempora ſemper eſſent Deo præſentia , non eſſent tempora , ſed æternitas , quia non mutarentur , ſed ſtarent .

XXII. Reſpondeo. De mente Divi Auguſtini dubitari non poſſe , quin nobiſcum ſentiat, ſuperiùs vidimus . Cùm ergo dicit, creaturas non fuiſſe in æternitate, antequam fierent , ſolùm vult, non fuiſſe eo modo , quo ſunt , poſtquam cum tempore productæ ſunt , ut colligitur ex intento S. Doctoris : non autem , quòd non fuerint in æternitate, ut intra ambitum æternitatis contentæ, & ut terminus ab æternitate connotatus; de quo infra. Similiter ad id , quod additur , noto, D. Auguſtinum non dicere: Deus *habet electos , non in eorum natura : ſed : non in natura ſua* : Quod idem eſt ac dicere: Deus non habet electos apud ſe per identitatem , ſicut habet ſuas divinas perfectiones, ſed eos habet in præſcientia ſua ; At cùm ex Auguſtini doctrina ſuperiùs laudata præſcientiæ Dei nihil ſit futurum , ſed omnia præſentia adſint , ſequitur , electos quoque in æternitate Deo præſentes eſſe.

Sanctus autem Iſidorus ſolùm vult, quòd tempora non ſint Deo pręſentia adæquatè, aliàs non eſſent tempora : cum quo benè ſtat, quòd ſint pręſentia æternitati inadæquatè , tanquam in menſura ſuper excedente , & in ſinu ſuo omnia complectente . Unde *c.* 6. hæc docuerat : *Omnia tempora præcedit divina æternitas , nec in Deo præteritum , præſens , & futurum aliquid creditur : ſed omnia præſentia in eo dicuntur , quia æternitate ſuâ cuncta complectitur* .

XXIII. Obiiciunt ſecundò. Si futura fuiſſent ab æterno phyſicè præſentia in æternitate, modò , & ab æterno fuiſſent , & eſſent phyſicè coexiſtentia æternitati ; ſed Anti-Chriſtus v. gr. non eſt modò, nec fuit ab ęterno phyſicè coëxiſtens æternitati ; ergo non eſt &c. Min. prob. primò. Nihil poteſt alteri , nec Deo coexiſtere , niſi quando exiſtit in ſe , quia unum coexiſtere alteri , eſt unum exiſtere quando alterum ; ſed Anti-Chriſtus , nec ab æterno, nec modò exiſtit in ſe ; ergo &c. Secundò , Anti-Chriſtus non eſt exiſtens , quandocumque exiſtit æternitas ; ergo non fuit ab æterno coexiſtens &c. Ant. videtur certum : nam modò exiſtit æternitas, & modò non exiſtit Anti-Chriſtus. Conſeq. verò prob. Nam coexiſtere æternitati eſt exiſtere contrapoſitè ad ęternitatem , & extra æternitatem , & ſeorſim ab illa. Tertiò, ſi Anti-Chriſtus coexiſteret ęternitati , exiſteret ab æterno : quia idem videtur exiſtere in ęternitate , coexiſtere ęternitati , ac exiſtere ab ęterno ; ſed Anti-Chriſtum ab ęterno exiſtere , eſt contra fidem ; ergo &c. Quartò, ſi Anti-Chriſtus eſſet in ęternitate, eique coexiſteret, deberet eſſe in ea productus , vel in ea exiſtens à ſe, cùm nihil habere poſſit exiſtentiam , niſi , vel illam habeat à ſe , vel ſibi ab alio, creatione , aut productione communicatam ; ſed Anti-Chriſtus nec exiſtit in æternitate à ſe, nec exiſtentiâ ſibi communicatâ , ut eſt de fide; ergo &c.

XXIV. Reſpondeo , diſt. maj., *modò* ſumto pro nunc ęternitatis inadęquatè , conc. maj., ſumto pro nunc ęternitatis adęquatè , nego maj. Quæ modò ſunt futura , modò coexiſtunt ęternitati , ly *modò* ſumto, non pro nunc temporis, & propriæ durationis, ſed pro nunc ęternitatis, non adęquatè ſumto, quatenus continet omnes differentias temporis , ſed pro nunc inadęquatè , prout continet differentiam, in qua extitura ſunt. Sunt enim in ęternitate , non ut in menſura ęquali , ſed ſuperiore, & ſuperexcedente; unde *nunc* in illa ſunt , ſed non pro omni *nunc*. Eo ferè modo , quo in mappa Mundi unitim exiſtunt , & ei coexiſtunt omnes , & ſingulæ Orbis Provinciæ , & Regna , fluviorum decurſus &c. : quia tamen tota mappa eſt menſura excedens quamlibet, licèt quælibet actu in mappa contineatur , non tamen in ea eſt adequatè ſumta, & pro

& pro omni parte , & ſitu, ſed pro ſitu ſibi conveniente. Ità futura in *nunc* æternitatis ſunt actu , non pro omni, ſed pro ſua duratione.

Hinc ad primam probat. min. dico, majorem eſſe veram, quando unum coexiſtit alteri , ut menſuræ æquali : non verò , ſi illi , vel in illo coexiſtat, ut in menſura ſuperexcedente : tunc enim non requiritur, ut menſuratum exiſtat in ſe, ſed quòd menſura illa ſuperior extendatur actu , & contineat durationem , in qua menſuratum exiſtet in ſe.

Ad ſecundam ſimiliter reſpondeo , negando conſequentiam. Nam eſto Anti-Chriſtus non exiſtat in ſe , quandocumque exiſtit æternitas, exiſtit tamen in æternitate , quandocumque exiſtit æternitas . Licet enim coexiſtens alteri , ut correlativum æquale, petat exiſtere in ſe, quandocumque alterum exiſtit : coexiſtens tamen alteri, ut ſuperexcedenti, hoc non petit: ſed ſatis eſt, ut exiſtat in aliqua duratione, quæ de facto, & actu claudatur in menſura ſuperiori. Sicut, ut aliqua Provincia exiſtat in mappa , ſufficit, ut exiſtat in aliqua parte actu deſcripta in mappa , eſto non exiſtat ubicumque exiſtit mappa .

Ad tertiam nego maj. Supponit enim, Anti-Chriſtum exiſtere in ęternitate, eique coexiſtere adęquatè ſumtæ ; quod nos negamus . Sicut enim ſi daretur una dies, quæ haberet omnes ſuas partes ſimul , verum eſſet , quòd hora prandii eſſet coexiſtens diei ; ſed quia non eſſet coexiſtens diei adęquatè , ſed quatenus extenditur ad horam, quà prandere ſolemus, non eſſet verum, quòd hora prandii ab initio diei eſſet. Ità in caſu.

Ad quartam nego maj. , ut enim Anti-Chriſtus exiſtat in æternitate , eique coexiſtat modo explicato , non ſequitur , eum ab æterno vel exiſtere à ſe , vel habuiſſe exiſtentiam ab aliquo ſibi communicatam, ſed ſat eſt, quòd ejus productio , & exiſtentia , quæ futura eſt in tempore , actu ab æterno ſit clauſa in æternitate , illique præſens .

XXV. Pro hujus intelligentia adverto, res eſſe pręſentes æternitati , quia hoc ipſo, quòd Deus ab æterno decrevit eas producere pro determinata temporis duratione, manſerunt clauſæ intra ambitum divinę æternitatis, ideòque illi pręſentes, cùm ęternitati nihil ſit præteritum , aut futurum . Pręſentes, inquam, non tanquam terminus divinâ actione actu immutatus, & productus, ſed connotatus : ideòque ſicut decretum , & actio divina ſunt actu pręſentia æternitati, ità & termini ab illis connotati . Unde ex hac præſentia nihil reale ponitur ex parte creaturarum , quod ſit extra Deum: ſed æternitas, cujus characteriſtica proprietas eſt, ut omnibus, in quacumque duratione exiſtentibus, ab ęterno actu adſit, omniaque in ſe habeat ſine ſucceſſione ſibi pręſentia , quamvis eum ſucceſſione futura , ea omnia ſimul intellectui divino pręſentat eo modo, quo in illa ſunt.

Quia verò ęternitas, eſto indiviſibilis, omnibus tamen durationibus ęquivalens eſt, ideò eſto omnia ſimul pręhabeat , non tamen omnia præhabet , ut ſimul futura , ſed ſingula ſingulis durationibus , quibus eorum exiſtentia decreta eſt. Quare ſinus ęternitatis vaſtiſſimus , eſto realiter unus , virtualiter tamen multiplex eſt . Et ideò Auguſtinus *in pſalm.* 60. loquens de ęternitate: *Ibi* [inquit) *unus dies eſt , & multi dies ſunt* . Et in *pſalm.* 89. *Simul* (inquit) *ſunt illi omnes dies , ideò ſatiant , non enim ſuccedentibus cedunt , ubi non eſt aliquid , quod non veniendo nondum ſit , & veniendo jam non ſit . Omnes ſimul ſunt , quia unus eſt , qui ſtat , & non tranſit : ipſa eſt æternitas* .

XXVI. Tertiò objiciunt. Nihil poteſt exiſtere in duratione aliena, niſi prius exiſtat in duratione propria ; ſed res creatæ ab ęterno non exiſtunt in duratione propria ; ergo non poſſunt ab æterno exiſtere in ęternitate,

ut

ut in duratione aliena. Major prob. res antequam exiſtat in duratione propria nihil eſt, ſed quod nihil eſt, non poteſt exiſtere in duratione aliena; ergo &c.

Confirm. primò. Priùs eſt rem menſurari menſurâ propriâ, & intrinſecâ, quàm menſurâ alienâ, & extrinſecâ.

Confirm. ſecundò. Priùs eſt aliquid exiſtere in ſe, quàm in alio extrinſeco. Minùs etiam extrinſecus eſt locus locato, quàm æternitas creaturę; ſed corpus in ſe intrinſecè non exiſtens, non poteſt extrinſecè ambiri à loco, & in eo actu exiſtere; ergo à pari.

Confirm. tertiò. Si res exiſteret ab æterno in æternitate, exiſteret per propriam exiſtentiam; ſed hoc repugnat: nam ſi exiſteret per propriam exiſtentiam, jam eſſet producta; ergo &c. Major probatur: nam rem non exiſtere per propriam exiſtentiam eſt abſolutè non exiſtere; ergo eſt non exiſtere, nec in ſe, nec in alio.

XXVII. Reſpondetur, diſt. maj., niſi priùs exiſtat in duratione propria abſolutè, & ut in re poſita, nego majorem, aliàs duratio propria eſſet ęqualis æternitati, & hæc non eſſet ampliùs menſura ſuperexcedens: In duratione propria, ut connotata, & contenta in menſura ſuperiori, conc. maj. Ad hoc autem ſufficit, quòd aliquando ſit exiſtens in propria duratione, & quòd pro eadem duratione ſit reale. Ex hoc enim, quòd exiſtentia ſit aliquando in propria duratione extitura, jam æternitati, cui omnis duratio eſt pręſens, coexiſtit.

XXVIII. Ad primam confirm. dico, majorem poſſe admitti, loquendo de menſura extranea ęquali, non verò de menſura extranea ſuperexcedente, qualis eſt æternitas. Cùm enim hæc in ſuo ſinu actu ſimul contineat, & menſuret omnes menſuras, & durationes inferiores, quę aliquando ſunt, ut res hàc menſurâ extrinſecâ actu menſuretur, ſatis eſt, ut aliquando menſurâ intrinſecâ, & propriâ menſuretur.

XXIX. Ad ſecundam confirm. reſpondeo ſimiliter, eſſe quidem neceſſe, priùs exiſtere in ſe exercitè, quàm exiſtere in alio ęquali, at non in alio ſuperexcedente, & actu omnem quamcumque durationem ambiente: ut enim exiſtat in iſto, ſat eſt, ut priùs concipiatur determinatum ad aliquando exiſtendum. Neque ſimile eſt de loco. Locus enim, etſi ſit primum locans, puta Cœlum, & proinde ſuperexcedens, non poteſt extrinſecè ambire aliquod corpus, niſi hoc in aliquo loco inferiori intrinſecè ſit locatum: quia ex una parte finitus eſt, ac limitatus, ex alia verò non niſi ea, quę in ſe intrinſecè pręſentia ſunt, locare poteſt: quia, ut dictum eſt, differentię loci non ſunt *præteritum*, *pręſens*, & *futurum*, ſed *furſùm*, *deorſùm*, *diſtans*, *remotum &c.* At ęternitas ex una parte infinita eſt, ex alia verò ejus differentię ſunt *præſens*, *pręteritum*, & *futurum*. Quare ſicut omnia corpora, ſive ſurſum, ſive deorſùm, ſive diſtantia, ſive indiſtantia actu continentur, & ſunt loco communi pręſentia, ità omnia ſive pręſentia, ſive futura, ſive præterita, actu debent contineri, menſurari ab ęternitate menſura infinita, & ambiente omnia, quę quocumque tempore ſunt.

XXX. Ad tertiam dico, rem ab ęterno in æternitate exiſtentem, exiſtere ibi propriâ exiſtentiâ, non ut exercitè ab æterno habitâ in ſe, & in propria duratione: ſed ut exercitâ reſpectu æternitatis, non ut productâ, ſed ut connotatâ ſuo tempore habendâ: hoc enim ipſo, quòd aliquando futura ſit, æternitas actu illam ambit, & facit ſibi actu præſentem. Cùm verò illa exiſtentia ponetur in eſſe, incipiet eſſe in æternitate, non ſolùm ut connotata, ſed ut producta, & ut exercita, non ſolùm modo permanenti, & immobili in ęternitate, ſed & in propria menſura, modo tranſeunte, & fluente.

XXXI. Sed dices. Ergo æternitas aliter reſpicit rei exiſtentiam, dùm

 de ſa-

de facto eſt, aliter antequam ſit, nempe, ut productam, dùm in propria duratione eſt, ut connotatam, & ut producendam, antequam ſit; ergo dum eſt, eam reſpicit, ut præſentem, & dùm non eſt, ut futuram.

Reſpondetur, omiſsâ primâ conſeq., diſt. conſequens, ut futuram reſpectu propriæ durationis, conc. conſeq., reſpectu æternitatis, nego conſeq. Sicut enim divina ſcientia quia infinita, ac invariabilis eſt, cognoſcit rem præſentem ut præſentem, quando in ſe præſens ſit, quam tamen toto tempore antecedente cognoverat ut futuram, & quam cognovit ut præſentem, modò cognoſcit ut præteritam, quia jam tranſiit, totâ variatione, & ſucceſſione ſe tenente ex parte rerum: cùm tamen omnes ſive præteritæ, ſive futuræ, ſemper invariabiliter pręſentes objectivè fuerint divinæ ſcientiæ; Ità divina æternitas, quę non minùs infinita in ratione durationis, fixa, & immobilis eſt, continet ſuo ſinu, & ambit præſentia ut præſentia, futura ut futura, præterita ut præterita, quando in ſe præſentia, vel futura ſunt, vel pręterita, totâ variatione, & ſucceſſione ſe tenente ex parte rerum, quæ in ſeipſis continuo fluxu decurrunt: cùm tamen omnes ſive præteritę, ſive futuræ, ſemper invariabiliter ei phyſicè præſentes ſint: & licèt ab æterno nullam dicant relationem præſentię, & ſubjectionis ad Deum, quam ſolum dicent, cum extra Deum in ſe præſentes erunt (ut tacita præveniatur objectio) illa tamen relatio præſentiæ, & ſubjectionis, quam dicent, dùm in ſua duratione erunt, eſt ſimul cum duratione ab æterno æternitati præſens.

XXXII. Quartò. Objiciunt, varia inconvenientia ſequi ex noſtra ſententia. Primum, quòd Anti-Chriſtus ſit, & non ſit in æternitate, ſit vivus, & mortuus, ſit ſimul cum Adamo, ſi verum eſt, in æternitate ſimul eſſe præteritum, & futurum.

Secundum, quòd nulla res poſſit in tempore ex nihilo produci, cùm ſupponatur jam in ſuo eſſe phyſicè ab ęterno.

Tertium, quòd in æternitate dentur infinita actu præſentia, nempe cogitationes, quas Angeli elicient per totam ęternitatem: quæ, cùm infinitæ ſint in potentia, in æternitate eſſent omnes ſimul præſentes.

Quartum, quòd futura pari modo ſint Angelo præſentia, cùm ęvum, quod eſt menſura illius, ſit totum ſimul, ſicut æternitas.

Quintum, quòd tollatur libertas arbitrii creati: cùm enim actus omnes liberi ab æterno ſint in æternitate cum omnibus circumſtantiis, quas habebunt in tempore, non erit in poteſtate liberi arbitrii ea ponere, vel non ponere, aut alio modo, quàm ibi ſint.

XXXIII. Reſpondeo, hæc omnia deduci ex prava noſtræ ſententiæ intelligentia. Quare ad primum dico, quòd hæc propoſitio *Anti-Chriſtus non eſt in æternitate* falſa abſolutè eſt, quia ly *non* facit ſenſum, quòd nullo modo ſit in æternitate, cum tamen in ea ſit, quatenus connotat, & continet tempus futurum, eſto non quatenus continet præſens, & præteritum. Sic in eadem æternitate erit Anti-Chriſtus vivus, pro ut continet tempus, quo erit in ſe exiſtens: erit quoque in eadem Anti-Chriſtus mortuus, ſi connotetur tempus, quo Anti-Chriſtus erit præteritus. Simul etiam in æternitate præſentes erunt Adamus, & Anti-Chriſtus, quia æternitas indiviſibilis actu coexiſtit tempori Adami, & Anti-Chriſti: Adamus quidem, ut æternitas tangit tempus, quo erat Adamus: Anti-Chriſtus verò, ut eadem æternitas tangit tempus, quo erit Anti-Chriſtus; ſicque in eadem æternitate ſecundùm correſpondentias ad diverſa tempora, quæ ſimul in ea ſunt, poſſunt ſimul eſſe exiſtentia, & ejus carentia, generatio, & corruptio: non tamen inter ſe, nec reſpectu ejuſdem, ratione diverſæ ęquivalentię, ſicut eidem centro ſecundùm diverſas virtua-

lita-

litates adſunt omnes lineæ, quæ in circumferentia, & inter ſe diſtantes ſunt. Quæ omnia velut clavis ſunt, quâ noſtræ ſententiæ intelligentia aperitur: quare in ſimilibus inſtantiis committitur fallacia, quam vocant *accidentis*.

Ideò non valet arguere, Adamum, & Anti-Chriſtum coexiſtere invicem, ex quo coexiſtant in tertio, nempe in æternitate. Valeret quidem, ſi coexiſterent in æternitate, vel adæquatè, vel ſecundùm eandem æquivalentiam, non verò, ſi in ea coexiſtant (uti de facto eſt) ſolùm inadæquatè, & ſecundùm diverſam ęquivalentiam: Adamus enim eſt in æternitate, ut correſpondet tempori præterito, quo Adam fuit: Anti-Chriſtus verò in eadem ęternitate eſt, ſed ut ęquivalet, & continet durationem illam futuram, in qua Anti-Chriſtus erit. Sic, licèt omnes lineæ in eodem centro unitæ ſint, non ſequitur, eas unitas, ac indiſtantes eſſe inter ſe in circumferentia, quia in eodem centro inadęquatè, non adęquatè ſunt.

XXXIV. Ad ſecundum dico, exiſtentiam rerum in æternitate non tollere, quin in tempore producantur ex nihilo. Tùm quia exiſtentia in æternitate eſt omnino extrinſeca rebus, quę non tollit, quin in ſe nihil ſint, nec in ea ſunt ut actu productæ, ſed ut ſuo tempore producendę. Tùm quia, cùm res in ſe producitur, non producitur ex eſſe, quod habet in ęternitate, ſed ex non eſſe, quod habet in ea: quia ſicut tempus, in quo habet eſſe, ſemper in ęternitate eſt, ita in eadem ſemper eſt tempus, in quo habet non eſſe; Unde ſicut in noſtro tempore verificatur, quòd eſt productio rei ex non eſſe, ita in ęternitate eſt productio rei ex non eſſe.

XXXV. Ad tertium dico, quòd ſicut illæ infinitæ cogitationes Angelorum ſunt per nos realiter præſentes æternitati, ità per Adverſarios omnes ſimul ſunt objectivè præſentes divinæ cognitioni; ergo ſi non eſt inconveniens, dari infinitum in actu in divina ſcientia, neque erit, dari in divina æternitate: vel ſi non ſunt infinitæ in actu, etiamſi omnes ſimul ſint in divina cognitione, nec erunt infinitæ in actu, etiamſi omnes ſimul ſint in æternitate. Et Jure, nam ſic ſunt actu omnes ſimul, ſive in divina ſcientia, ſive in æternitate, ut non deſinant eſſe futuræ, una poſt aliam in ſuis durationibus; ergo ſic omnes ſimul ſunt, ut non deſinant eſſe infinitæ tantùm in potentia, quamvis ex modo, quo continentur in Deo, ſimul adſint.

XXXVI. Ad quartum nego ſequelam. Nam eſto ævum ſit totum ſimul ſubjectivè, cùm non habeat partes ſucceſſivas, & ſit duratio perfectior tempore: non tamen ſimul continet hodie, & cras, & differentias temporis, cùm ſit duratio finita. Secus eſt de æternitate, quæ non ſolùm eſt menſura perfectior, ſed & ſuperior, in qua inferiores durationes debent contineri, ſicut earum eſſe in eſſentia divina continetur.

XXXVII. Ad quintum dico, idem inconveniens proferri poſse contra ſcientiam. Nam ſicut actus omnes liberi ab æterno ſunt in æternitate cum omnibus circumſtantiis: ità ſunt in divina ſcientia ſciti; ergo ſi non eſt in poteſtate liberi arbitrii ea ponere, vel non ponere, aut alio modo, quàm in æternitate ſint, nec etiam erit &c. alio modo, quàm in ſcientia ſint. Itaque dico, quòd actus ſunt in æternitate eo modo, quo ponendi erunt in tempore: ſunt enim in æternitate, quatenus continente differentiam temporis, in qua erunt, & eo modo, quo erunt: quare ſi liberè ponendi erunt, in æternitate liberè exiſtent: & ad ſummum ſequitur, ea infallibiliter futura in tempore, ſicut ſunt in æternitate, ſicut eo modo infallibiliter erunt in tempore, quo ſunt in divina ſcientia; ex quo infertur ſolùm neceſſitas aliqua in ſenſu compoſito, & conſequens, quæ non officit libertati,

non

Digitized by Google

non autem antecedens, & in ſenſu diviſo. Videndus eſt D. Th. hâc *qu.* 14. *art.* 13. *ad* 3. Sed de hoc infra.

Supereſſet hìc inquirere, an hæc præſentia futurorum in æternitate conducat ad divinam ſcientiam. Sed de hoc agemus infra, agentes de ſcientia futurorum contingentium abſolutorum.

DUBIUM III.

An Scientia Dei ſit cauſa rerum, & quomodo?

§. I.

Quæſtio certa reſolvitur.

I. Dico. Scientia Dei, ut adjunctam habet voluntatem, eſt actualis cauſa rerum. Eſt expreſſa D. Thomæ hìc *art.* 8., ubi ait: *Unde neceſſe eſt, quod ſua ſcientia ſit cauſa rerum, ſecundùm quòd habet voluntatem conjunctam. Unde ſcientia Dei, ſecundùm quòd eſt cauſa rerum, conſuevit nominari ſcientia approbationis.* Idem teſtatur Script. *Pſalm.* 135. *v.* 5. *qui fecit Cælos in intellectu.* Unde de Verbo, quod eſt Sapientia Patris dicit *Joan. cap.* 1. *v.* 3. *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt.* Quare D. Auguſt. 15. *de Trinit. cap.* 13. *Univerſas* (inquit) *creaturas & ſpirituales, & corporales, non quia ſunt, ideò novit Deus; ſed ideò ſunt, quia novit.*

II. Prob. diſcurſu D. Thomæ hôc *artic.* 8. Sic ſe habet ſcientia Dei ad omnes res creatas, ſicut ſcientia artificis ſe habet ad artificiata, juxta dictum *Sap.* 7. *v.* 21. *Omnium enim artifex docuit me ſapientia*; ſed ſcientia artificis eſt cauſa artificiatorum, ars enim habitus operativus eſt; ergo &c.

Quòd autem ſcientia divina, ut ſit actualis cauſa rerum, debeat habere adjunctam voluntatem, prob. tùm ex Apoſtolo *Epheſ.* 1. *v.* 11. dicente de Deo, *qui operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ.* Tùm ex D. Thoma hìc. Cùm ſcientia ad oppoſita ſe habeat (eadem enim ſcientia eſt oppoſitorum) ut producat determinatum effectum, debet determinari ad unum; ſed determinativum ſcientiæ, ſeu intellectus eſt voluntas, ut dicitur 9. *Metaph. text.* 10.; ergo &c. Et certè ſi interrogemur, cur Deus potiùs fecit hunc mundum, quàm alium, quem facere poterat, & cognovit? non alia via reſponderi poterit, niſi dicendo: quia ſic voluit: *omnia* enim *quæcumque voluit fecit.* Pſalm. 113. v. 3. Addo, quòd divina ſcientia rerum factiva debet eſſe ſcientia practica, ut docet D. Thom. *hâc quæſt. art.* 16.; Sed quòd ſit practica habet à voluntate eam inclinante ad opus determinatum; ergo &c.

III. Hoc idem demonſtrat D. Tho. 1. *contrag. cap.* 23. novem rationibus, ex quibus conflatur iſte diſcurſus. Primo, & perfectiſſimo agenti aſſignari debet primus, & perfectiſſimus operandi modus; ſed hic eſt operari per ſcientiam, & voluntatem: agens enim naturale, cùm debeat ab alio, nempe ab intelligente, dirigi, ſicut ſagitta à ſagittante, non poteſt eſſe agens primum: Inſuper non agit cum dominio ſuorum actuum, nec ejus virtus ad plura ſpecie diverſa facienda ſeſe extendit, ſed eſt determinatum ad unum, ſicut calor ad calefaciendum; ergo &c.

IV. Dices tamen primò. Scientia Dei eſt etiam malorum, pœnæ non ſolùm, ſed etiam culpæ; ſed horum cauſa eſſe non poteſt; ergo &c.

Reſpondeo ad minorem, reſpectu malorum pœnæ, privationum &c., quia non ſunt per ſe à Deo intenta, cauſari à Deo per accidens, ratione alterius boni, per ſe à Deo voliti, & per ſe cauſati: unde D. Thom. *hâc q.* 14. *art.* 10. *ad* 2. *Scientia Dei* (inquit) *non eſt cauſa mali; ſed eſt cauſa boni, per quod cognoſcitur malum.* Reſpectu verò malorum culpæ, quia ratione malitiæ à divina bonitate avertunt, divi-

divinam quoque cauſalitatem ſubterfugiunt. Attamen ait idem S. Doct. hac eadem *q. 14. ar. 16.* in corp.: *mala, licèt ab eo non ſint operabilia, tamen ſub cognitione practica illius cadunt, ſicut & bona, in quantum permittit, vel impedit, vel ordinat ea: ſicut & ægritudines cadunt ſub practica ſcientia medici, in quantum per artem ſuam curat eas.*

V. Dices ſecundò. Menſuratum non eſt cauſa menſuræ; ſed ſcitum eſt menſura ſcientiæ; ergo &c.

Reſpondeo diſt. min., ſcientiæ creatæ, conc. min., ſcientiæ divinę, nego min. Ità D. Thomas *hoc art. 8. ad 3.* dicens, *res naturales ſunt media inter ſcientiam Dei, & ſcientiam noſtram. Nos enim ſcientiam accipimus à rebus naturalibus, quarum Deus per ſuam ſcientiam cauſa eſt. Unde ſicut ſcibilia naturalia ſunt priora, quàm ſcientia noſtra, & menſura ejus: ità ſcientia Dei eſt prior, quàm res naturales, & menſura ipſarum. Sicut aliqua Domus eſt media inter ſcientiam artificis, qui eam fecit, & ſcientiam illius, qui ejus cognitionem ex ipſa jam facta capit.*

§. II.

Quomodo Scientia Dei ſit cauſa rerum.

Sicut Scientiam eſſe cauſam rerum, omnibus exploratum eſt; ità controvertitur modus, quo ad res cauſandas ſe habeat: an ſcilicet purè directivè, an verò immediatè effectivè, ità, ut ſcientia ſit ipſa potentia executiva: & an ſola ſcientia ſit cauſa, an voluntas, vel utraque ſimul. Hęc omnia §. pręſenti, & ſequentibus breviter reſolvemus.

VI. Dico. Scientia practica Dei eſt cauſa rerum, non ſolùm directiva, ſed proximè, & immediatè effectiva. Hoc teſtantur loca Sacr. Sript. ſupra laudata, præſertim illud *Jo. 1.*, ubi de Verbo, quod eſt Sapientia Patris dicitur: *omnia per ipſum facta ſunt.* Quæ fusè exponens S. Auguſt. tract. 1. in Joannem: *Univerſa enim* (inquit) *Creatura per ipſum facta eſt, major, minor: per ipſum facta ſunt ſupera, infera: ſpiritualis, corporalis, per ipſum facta ſunt &c.* Addo, *Gen. 1.* referri rerum omnium creationem per verbum *Dixit* v. 3. *dixitque Deus, fiat lux: & facta eſt lux*: v. 6. *dixit quoque Deus, fiat firmamentum .... & factum eſt ità*: unde pſalm. 148. v. 5. *ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandavit, & creata ſunt*; ſed dictio, & locutio interna pertinet ad intellectum, ideòque, quia Verbum procedit per dicere notionale, omnes Theologi docent, procedere per intellectum; ergo &c. Rurſus verbum *Fiat* denotat actum imperantis, intimantis; ſed actus imperii eſt formaliter actus intellectus practici, ſolus enim intellectus eſt ordinativus, juxta illud *ſapientis eſt ordinare*; ergo &c. Præterea dùm ponitur *dixit, fiat*, & immediatè ſubditur, *& facta ſunt, & factum eſt*: quid aliud indicatur, niſi inter actum Dei dicentis, ordinantis, & rerum creationem nihil mediare, & propterea divinam ſcientiam practicam eſſe, non ſolum directivam, ſed immediatè effectivam? Hìc D. Auguſt. in pſalm. 148. *Per quid* (inquit) *facta ſunt? Per Verbum. Quomodo hìc oſtendit, quia per Verbum facta ſunt?* Ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandavit, & creata ſunt. *Nemo dicit, nemo mandat, niſi Verbo.*

VII. Prob. deinde ratione D. Thomæ *hìc art.* 8. ſuperiùs inſinuatâ. Sic ſe habet ſcientia Dei ad res creatas, ſicut ars, & ſcientia artificis ad res artificiatas; ſed ars, & ſcientia artificis eſt cauſa artificiati, non ſolùm directiva, ſed etiam effectiva; ergo ſcientia Dei &c. Minor probatur primò, ex D. Thoma: tùm *1. 2. qu. 57. ar. 3.*, ubi ait: *Ars propriè loquendo habitus operativus eſt*: tum in *1. ſent. diſt. 38. q. 1. ar. 1.*, ubi habet hæc verba: *ſicut eſt cauſalitas artificis per artem ſuam; ità conſideranda eſt cauſalitas divina ſcientia. Eſt ergo iſte proceſſus in* pro-

productione artificiati : primò ſcientia artificialis oſtendit finem : ſecundò voluntas ejus intendit finem illum : tertiò voluntas imperat actum , per quem educatur opus , circa quod ſcientia artificis ponit formam conceptam ; ſed qui ponit formam effectivè producit ; ergo ſcientia artificis effectivè &c.

Secundò probatur eadem min. ex eodem S. Doctore hôc *art.* 8. dicente : *Scientia artificis eſt cauſa artificiatorum , eò quòd artifex operatur per ſuum intellectum . Unde oportet , quod forma intellectus ſit principium operationis , ſicut calor eſt principium calefactionis* ; ergo ſicut calor eſt principium *quo* effectivum calefactionis , ità ars, & ſcientia artificis , quæ eſt forma intellectus , erit principium effectivum artefacti , & conſequenter intellectus ipſe .

VIII. Sed dices . Si Scientia Dei eſſet cauſa rerum effectiva , vera eſſet hęc cauſalis , *ideò res futuræ ſunt , quia ſciuntur à Deo* ; ſed hæc cauſalis falſa eſt : imò potiùs vera eſt oppoſita ; ergo &c. Min. prob. ex Origene *lib: 7. ſuper epiſt. ad Rom.* ad illa verba : *quos vocavit , hos & juſtificavit* : ubi ait : *Non propterea aliquid erit , quia id ſcit Deus futurum : ſed quià futurum eſt , ideò ſcitur à Deo , antequam fiat .* = Secundò , S. Juſtin. in *lib. quæſt. contr. gentil. qu.* 58. *non eſt* [inquit] *prænotio cauſa ejus , quod futurum erat , ſed quod futurum erat , cauſa prænotionis : non enim prænotionem ſequitur res futura ; ſed rem futuram prænotio .* Tertiò , D. Hieron. in c. 26. Hierem. *non quia Deus ſcit futurum aliquid , idcircò futurum eſt ; ſed quia futurum eſt , novit Deus , quia pręſcius futurorum .* Damaſc. *Dialog. contr. Manichæos* num. mihi 79. , ait : *Porrò Dei præſcientia certa , & inviolabilis eſt : ſed ipſa non eſt cauſa , cur omnino fiat id , quod futurum eſt : quin potiùs , quia hoc , vel illud acturi ſumus , idcirco prænoſcit .* = Ut hęc , & ſimilia , quę ex Patribus producunt adverſus nos , præſertim Molinę ſequaces, ut ſnę ſcientię medię ſternant viam, diluantur , ſit .

§. III.

An Deus ſciat res , quia futuræ ſunt .

IX. Dico . Deus non ſcit , aut pręſcit ſutura , quia in ſe ſutura ſunt ; ſed ideò ſutura ſunt , quia ea præſcit Deus . Hoc tradit Sanctus Auguſtinus paſſim . *Lib. ult. confeſſ. c.* ultimo : *nos itaque* [inquit] *iſta , quæ feciſti , videmus , quia ſunt : Tu autem quia vides , ea ſunt . . . . Tu autem ibi vidiſti facta , ubi vidiſti facienda .* Item *lib. 6. de Trinit. cap.* 10. *Non enim hæc , quæ creata ſunt , ideò ſciuntur à Deo , quia facta ſunt : ac non potiùs ideò facta ſunt , vel mutabilia , quia immutabiliter à Deo ſciuntur* ; & *lib.* 15. *de Trinit. cap.* 13. aſsignans diſcrimen inter ſcientiam Dei , & ſcientiam noſtram ait : *Univerſas autem creaturas ſuas , & ſpiritales , & corporales , non quia ſunt , ideò novit : ſed ideò ſunt , quia novit . . . Quia ergo ſcivit , creavit , non quia creavit , ſcivit . Nec aliter ſcivit creata , quàm creanda* ; ſed ſcivit creata , non quia eſſent , ſed faciendo , ut eſſent ; ergo ſcivit creanda , ſeu futura , non quia creanda , & futura eſſent , ſed ſaciendo , ut creanda eſſent , ac futura . Demum *l. 6. de Geneſi ad lit. cap.* 16. probat , illud ſolùm verè eſſe ſuturum , non quod in natura rei , ſed in Dei voluntate eſt , ac præſcientia . *Eſt quippe* [inquit] *in natura hujus , verbi gratia , juvenis , ut ſeneſcat , ſed utrum hoc etiam ſit in Dei voluntate , neſcimus ; ſed nec in natura eſſet , niſi in Dei voluntate priùs fuiſſet , qui condidit omnia .* Et *c.* 17. *Hoc enim neceſſariò futurum eſt , quod ille vult , & ea verè futura ſunt , quæ ille præſcivit* . Inferiùs autem loquens de Ezechia , cui ægrotanti prænunciata mors ſuerat , quæ tamen ſecuta non fuit , ait : *ſecundùm igitur aliquas cauſas inferiores , jam vitam finierat ; ſecundùm illas autem , quæ ſunt in voluntate , & præſcientia Dei , qui ex æternitate noverat , quid illo tempore*

Digitized by Google

pore factarus erat (*& hoc verè futurum erat*) *tunc erat finiturus vitam*, *quando finivit vitam*. Clariùs explicare non poterat, præſcientiam Dei innixam voluntati eſſe cauſam faciendorum, & futurorum.

X. Præterea Boethius *lib. 5. de conſolat. proſâ* 3. concilians divinam præſcientiam eum rerum contingentia, & noſtra libertate ſic ait: *Neque enim illam probo rationem*, *quâ ſe quidam credunt*, *hunc quaſtionis nodum poſſe diſſolvere*. *Ajunt enim*, *non ideò quid eſſe eventurum*, *quoniam id providentia futurum eſſe proſpexerit* : *ſed è contrario potiùs*, *quoniam quid futurum eſt*, *id divinam providentiam latere non poſſit*. Ecce modum conciliandi divinam præſcientiam cum contingentia rerum, quem Moliniſtæ propugnant, & quem improbat Boethius, & poſt multa ſubdit. *Jam verò quàm præpoſterum eſt* (hoc eſt, *perverſum*, ut exponit D. Thomas ibi) *ut æterna præſcientia temporalium rerum eventus cauſa eſſe dicatur*? *Quid eſt autem aliud arbitrari*, *ideò Deum futura*, *quoniam ſunt eventura*, *providere*, *quàm putare*, *quæ olim acciderunt*, *cauſam ſumma illius eſſe providentia*? Ità Boethius. Ità, ut vidimus, Auguſtinus. Ità, ſi velis, Gregorius *l.* 10. *mor. cap.* 32. aliàs 23. *nam & quæque ſunt*, *non in æternitate ejus ideò videntur*, *quia ſunt*; *ſed ideò ſunt*, *quia videntur*. Et lib. 32. *c.* 5. aliàs 6. *non exiſtentia videndo creat*; *exiſtentia videndo continet*. Ità dicit D. Greg. Ità dicimus & nos.

XI. Probo ergo ſic ex Boethio laudato. Si res non ideò eſſent futuræ, quia videntur à Deo, ſed potiùs ideò viderentur à Deo, quia ſunt futuræ, jam æternæ Dei præſcientiæ temporalium rerum eventus cauſa eſſe diceretur; ſed hoc eſt præpoſterum, inquit Boethius, vel perverſum, ut ait D. Thomas; ergo &c. Major, præterquàm quòd eſt Boethii, probatur ex D. Thom. *qu.* 2. *de verit. art.* 14. In omni ſcientia oportet, quòd vel ſcientia ſit cauſa ſciti, vel ſcitum ſit cauſa ſcientiæ, vel utrumque ab una cauſa cauſetur; ſed hæc tertia cauſa cauſans ſcientiam Dei, & futurum, eſt impoſſibilis: Scientia autem Dei ſecundùm Adverſarios non eſt cauſa sciti, nempe futuri eventus; ergo oportet, quòd ſcitum, nempe eventus futurus ſit cauſa divinæ ſcientiæ. Min. prob. Tùm quia ex D. Thoma relato res ſcitæ à Deo ſunt temporales, & ſcientia Dei eſt æterna; ſed temporale non poteſt eſſe cauſa æterni; ergo &c. Tùm etiam, ut docet idem Sanct. Doct. 1. 2. *q.* 93. *artic.* 1. ad 3., *ratio intellectus divini aliter ſe habet ad res*, *quàm ratio humani intellectus*. *Intellectus enim humanus eſt menſuratus à rebus*, *ut ſcilicet conceptus hominis non ſit verus propter ſe ipſum*, *ſed dicitur verus ex hoc*, *quòd conſonat rebus*. Ex hoc enim, quòd res eſt, vel non eſt, opinio vera, vel falſa eſt. *Intellectus verò divinus eſt menſura rerum*; *quia unaquaque res in tantum habet de veritate*, *in quantum imitatur intellectum divinum*... *Et ideò intellectus divinus eſt verus ſecundùm ſe*: *Unde ratio ejus eſt ipſa veritas*. Tunc ſic. At ſi ideò futura ſcirentur à Deo, quia in ſe futura ſunt, futura non haberent veritatem ab intellectu divino, ſed viceverſâ intellectus divinus, ſeu divina ſcientia acciperet veritatem ab ipſis futuris: in tantum enim divina ſcientia de Anti-Chriſto futuro vera eſſet, quia verum eſt, Anti-Chriſtum in ſe futurum eſſe; ergo &c.

XII. Confirmatur. Eodem modo diſcurrendum eſt de intellectu, vel ſcientia divina, ae de ejus voluntate, & amore; ſed voluntas, & amor divinus non ſupponit bonitatem in creaturis, ſed bonitatem, amando eas, in eis facit: nec ideò amat illas, quia ſunt bonæ, ſed ideò ſunt bonæ, quia à Deo amantur: nam, ut ait D. Thomas *hâc* 1. *p. qu.* 20. art. 2., *amor Dei eſt infundens*, *& creans bonitatem in rebus*; ergo ſimiliter ſcientia Dei non ſupponit veritatem in rebus, ſed hanc in eis facit,

facit, nec ideò ſciuntur à Deo, quia ſunt veræ, ſed ideò ſunt veræ, quia à Deo ſciuntur. Eo vel maximè, quòd ſicut divina voluntas, ità divina ſcientia eſt cauſa rerum.

XIII. Urgeo hoc. Cùm Adverſarii aſserunt, ideò Deum præſcire res futuras, quia futuræ ſunt, vel intendunt, quòd ly *ideo*, & ly *quia* uſurpentur in ſenſu purè illativo, vel in ſenſu cauſali, ſaltem objectivo. Si primum; nobiſcum loquuntur: id enim nec nos negamus, ut ſtatim dicam. Si verò ſecundum, ut reverâ ex eorum principiis dicere debent; ergo ſcientia divina objectivè cauſatur, ejuſque veritas exemplatur à veritate creata Si enim veritas divinæ ſcientiæ in nullo genere cauſæ penderet à veritate creata, hæc cauſalis, *ideò futura ſciuntur à Deo, quia futura ſunt*, nullo modo eſſet vera, quia ad veritatem cauſalis non ſufficit, ut ſit bona illatio, ſed ulteriùs requiritur, ut antecedens ſit aliquomodo cauſa conſequentis: ac propterea iſta cauſalis eſſet etiam vera, *ideò ſcientia Dei de exiſtentia futurorum vera eſt, quia futura vera ſunt*, ſeu, *quia ea eſſe futura, verum eſt*. Ex quo ſequeretur, etiam ſcientiam divinam ſpecificari à futuris cognitis: quod ſuperiùs de poſſibilibus reſutavimus.

XIV. Nunc reſpondendum eſt ad ea, quæ ſuperiùs objecta ſunt in contrarium. Ad primum ex Origene reſpondet S. Thomas hôc *art.* 8. ad primum, *quòd Origenes locutus eſt attendens rationem ſcientiæ, cui non convenit ratio cauſalitatis, niſi adjunctâ voluntate. Sed quod dicit, ideò præſcire Deum aliqua, quia ſunt futura, intelligendum eſt ſecundùm cauſam conſequentiæ, non ſecundùm cauſam eſſendi. Sequitur enim, ſi aliqua ſunt futura, quòd Deus illa præſcierit; non tamen res futuræ ſunt cauſa, quòd Deus ſciat.* Ità reſpondet etiam *qu.* 2. *de verit. art.* 14. *ad* 1., ubi addit, quòd *intentio Origenis eſt dicere, quòd ſcientia Dei non eſt cauſa, quæ inducat neceſſitatem in ſcito, ut ex hoc cogatur aliquid evenire, quia Deus illud ſcit. Quod autem dicit, quia futurum eſt, ideò ſcitur à Deo, non importatur cauſa eſſendi, ſed cauſa inferendi tantùm*. Sed de Origene non eſt cur ſoliciti ſimus, ut infra.

XV. Ad ea, quæ objiciuntur ex aliis Patribus, vel eodem modo reſpondendum eſt, nimirùm, dùm dicunt, *non ideò eſſe futura, quia præſciuntur*, vel loqui de præſcientia ſecundùm rationem communem pręſcientiæ, ut non habet adjunctam voluntatem, vel ut abſtrahit à divina, & creata: vel ſolùm velle indicare, divinam præſcientiam non eſſe cauſam unicam excludentem cauſam ſecundam liberam, & inducentem neceſſitatem: dùm verò dicunt, *ideò à Deo præſciri, quia ſunt futura*, ſolùm deſignare, futura eſſe cauſam præſcientiæ, non quidem cauſam eſsendi, ſed cauſam conſequentiæ. Quod S. Thomas, vel alter ſub ejus nomine repetiit *ſuper Boeth. lib.* 5. *de conſ. proſâ* 6., ubi poſt relatam ſententiam Origenis, ait: *Quod tamen poteſt intelligi dupliciter. Uno modo, quòd eventus rei ſit cauſa pręſcientiæ ſecundùm rationem conſequentiæ: & ſic reſponſio eſt vera. Alio modo poteſt intelligi, quòd eventus rei ſit cauſa præſcientiæ ſecundùm exiſtentiam: & ſic eſt falſa, & improbatur à Boethio*. Quibus addo, præfatos Patres manifeſtè loqui de peccatis, de quibus veriſſimum eſt dicere, quòd *non ideò ſunt futura, quia à Deo ſciuntur*; cùm ſcientia Dei cauſa non ſit, ut illa ſint: eſt enim cauſa rerum, ut approbationis eſt; peccata autem Deus non approbat, ſed improbat potiùs.

XVI. Et quidem S. Juſtinum (vel quiſquis alius ſit) de peccatis loqui, manifeſtum eſt. Reſpondebat enim huic interrogationi: *Quomodo ergo non eſt proditionis Judæ, & jurisjurandi Sacramento confirmatæ negationis Petri cauſa, qui hæc præſciverit, & non impediverit*: cui ità ſatisfacit: Chriſtus Scripturæ impletionis cauſa fuit, *non Judæ proditionis, nam hujus ipſemet Judas*

Digitized by Google

das cauſa fuit , quam Deus fore cùm prænoſceret , per Sacram Scripturam prædixit ; Deinde ſubjicit verba ab arguente prolata.

XVII. Porrò D. Hieronymus citato loco intendit ſolùm, Dei præſcientiam non inferre ſcitorum neceſſitatem. Ait enim ſuper illa verba *Hierem.* Si forſitan audiant , & convertantur. *Verbum ambiguum* forſitan *majeſtati Domini non poteſt convenire, ſed noſtro loquitur affectu : ut liberum homini ſervetur arbitrium : ne ex præſcientia ejus , quaſi neceſſitate , vel facere quid, vel non facere , cogatur.*

XVIII. Damaſcenus autem ſolùm aſſignare vult differentiam inter ea , quæ Deus præſcit , ut facienda à ſe ſolo ſine nobis, & ea, quæ præſcit, ut facienda non à ſe ſolo , ſed per noſtram liberam voluntatem : quòd priorum Deus ſolus ſine nobis cauſa eſt : poſteriorum verò non eſt cauſa , neque præſcius ſine nobis. *Ac vis quidem* (inquit) *Dei præſciens cauſam ex nobis nequaquam habet. Verùm , ut , quæ facturi eſſemus, præſciat, hoc à nobis proficiſcitur* (ut à conditione ſcilicet, vel, ſi mavis, ut à cauſa proxima : ſubdit enim) *niſi facturi eſſemus , ne ipſe quidem , quod futurum non eſſet , præcognoſceret.* At cùm non ſimus facturi bonum ſine illo , qui *facit , ut faciamus* , & qui dixit *faciam , ut in juſtificationibus meis ambuletis* , ejus etiam , quod nos liberè facturi ſumus , cauſam eſſe (eſto non ſolam) divinam præſcientiam, negare non potuit Damaſcenus.

XIX. Quia tamen contra Manichęos tunc illi res erat , qui liberum arbitrium ab homine auferebant : ideò ſic viſus eſt eventuum liberorum futuritionem humano arbitrio contuliſſe , quaſi ab illo futuritio proficiſcatur. Mos enim eſt Veterum , dùm unum errorem inſectantur , ità loqui , ut ad extremum declinare videantur. Eo vel maximè , quia (ut notat noſter P. LeQuien in Damaſcen. *lib. 2. de Fide c. 30.*) cùm in Oriente Pelagianus error contra Gratiam Dei nullas radices egiſſet , non fuerunt Patres Græci adeò ſoliciti in ſecernendis divinę gratiæ partibus , & præſcientiæ efficacia adſtruenda , ne viderentur cum Gnoſticis , & Manichęis ſentire , quòd Deus ità præſciat actiones malas , ſicut & bonas. Quod præ oculis habendum eſt in hac materia.

XX. Sed circa reſponſionem datam Patrum auctoritatibus ex D. Thoma, nimirùm, quòd, dùm Patres dicunt, *ideò Deus novit res futuras , quia futura ſunt* , ly *ideò* , & ly *quia* debet ſumi in ſenſu, non *cauſali* , ſed *illativo*, nempe quòd, ſi futura ſunt, ſequitur, quòd ſciantur à Deo, occurrit dubium. Etenim in altera propoſitione adverſativa, quam Patres conjungunt, nempe, *non ideò futura ſunt , quia Deus novit* , vel ly *ideò* , & ly *quia* ſumitur in ſenſu purè illativo , vel in ſenſu cauſali. Si ſumitur in ſenſu purè illativo ; propoſitio erit falſa : non enim minùs infertur ex præſcientia Dei futuritio rei , quàm ex rei futuritione præſcientia. Quòd ſi in hac propoſitione negativa ly *ideò* , & *quia* ſumitur in ſenſu cauſali ; cur non erit in eodem ſenſu accipiendum in altera affirmativa propoſitione? Sanè in propoſitione hypothetica adverſativa , unâ negante , aliâ affirmante , vel utraque in ſenſu illativo ſumi debet , vel utraque in ſenſu cauſali ; ergo vel Patres parùm dialecticè locuti ſunt, vel reſponſio data à D. Thoma non ſubſiſtit.

Secundò, ideò negamus , Deum pręſcire bona opera futura , *quia* futura : quia hæc eſſent menſura ſcientiæ divinæ ; ſed hæc ratio non evincit ; ergo &c. Min. prob. Concedimus, Deum præſcire peccata futura, *quia* futura : horum enim cauſa Deus non eſt ; & tamen non admittimus , ſcientiam Dei menſurari à peccatis futuris ; ergo &c.

Tertiò, Juſtinus præcitatus expreſsè aſſerit , futuritionem rei cauſam eſſe divinæ prænotionis : *non eſt* (inquit) *prænotio cauſa ejus , quod futu-*

rum eſt, ſed quod futurum eſt, cauſa eſt prænotionis. Et Origenes rationem addens dicit: *etſi fingamus, Deum non præcognoſcere aliquid futurum: tamen futurum ſine dubio erit*; ſed id, quo ablato, adhuc res eſt, non poteſt eſſe rei cauſa; ergo &c.

XXI. Reſpondeo ad primum, quòd eſto ex præſcientia æquè inferatur futuritio ac ex futuritione præſcientia; primum tamen Patres non admiſerunt, etſi verum cognoſcerent: quia loquebantur contra illos, qui ex Dei præſcientia concludebant, nos agere neceſſariò; ideò, ut illis ſe opponerent, dicebant Patres, *non ideò aliquid erit* (ſcilicet neceſſariò) *quia id ſcit Deus eſſe futurum*. Addo, Adverſarios non poſſe nos juſtè corripere, quòd præfatas Patrum ſententias non in ſenſu cauſali, ſed illativo exponamus, cùm ſententias Auguſtini, Gregorii, & Boethii à nobis ſuperiùs adductas, in ſenſu illativo, non cauſali, & ipſi interpretentur.

Ad ſecundum nego min. Ad prob. dico primò, Deum præſcire peccata futura, quia futura, non ea præſciendo in ſe ipſis, ſed in ſuo decreto permiſſivo, quo ſtatuit denegare gratiam: ex quo infallibilitate logicâ peccatum evadit futurum. Dico ſecundò, nos cum Patribus admittere hanc propoſitionem, *Ideò Deus novit peccata futura, quia futura ſunt*, in ſenſu illativo, non cauſali, aliàs peccata futura eſſent menſura ſcientiæ divinæ.

Ad tertium dato, quæſtiones illas eſſe Juſtini (ſpurias enim eſſe, ſentiunt Eruditi) Reſpondeo cum D. Thom. ſupra laudato, verba illa intelligenda eſſe ſecundùm cauſam conſequentiæ, non ſecundùm cauſam eſſendi; vel cum D. Bonaventura in 1. *diſt*. 38., res futuras non eſſe cauſam ſcientiæ Dei ſecundùm rationem eſſendi, ſed eſſe cauſam præſcientiæ ſecundùm rationem dicendi, quia ſcilicet illa ſcientia non vocaretur præſcientia, niſi res eſſent futuræ.

Origenes autem loquitur de peccatis futuris: horum enim cùm divina ſcientia cauſa non ſit, benè dici poteſt, quòd, etſi fingamus, Deum ea non præcognoſcere, adhuc tamen ſine dubio erunt. Vel dici poteſt, Origenem locutum fuiſſe de ſcientia Dei ſecundùm rationem ſcientiæ: ſcientia enim ſecundùm rationem ſcientiæ non dicit aliquam cauſalitatem, ut docet D. Thomas in 1. *diſt*. 38. *qu*. 1. *art*. 1., ſed in quantum eſt ſcientia artificis operantis res: ſic enim habet rationem cauſæ reſpectu rei operatæ per artem.

XXII. Sed nimis immorati ſumus in examinandis Veterum dictis, qui Auguſtini tempora præceſſerunt. Illis enim agendum erat contra humani arbitrii everſores Manichæos; unde ad tuenda liberi arbitrii jura intenti, de rigido loquendi modo non fuerunt ſoliciti. At Auguſtini temporibus, quibus, Manichæis liberum arbitrium extinguentibus, Pelagiani illud nimiùm extollentes, è regione ſteterunt, res aliter tractanda fuit, humanum nempe arbitrium ſtatuendum quidem, ſed divinæ præſcientiæ, prædeſtinationis, & gratiæ principatus conſervandus erat; quapropter ſic oportuit de libero arbitrio moderatiùs loqui, & divinæ præſcientiæ, & gratiæ vim, & cauſalitatem extollere: quod & veteres illi præſtitiſſent, ſi in talibus circumſtantiis fuiſſent. Hoc Sanctus Auguſtinus *lib. de Prædeſtinat. SS.* præmonuit SS. Proſperum, & Hilarium (qui ad eum ſcripſerant, multos ex fratribus conqueri, quòd ſuam de gratia ſententiam, Veterum, qui eum præceſſerant, teſtimonio non confirmaret) *cap*. 14. ſic dicens: *Certè ſi de Divinarum Scripturarum tractatoribus, qui fuerunt ante nos, proferrem defenſionem hujus ſententiæ, quam nunc ſolito diligentiùs, atque copioſiùs contra novum Pelagianorum defenderc urgemur errorem.... Si hujus ergo ſententiæ defenſionem ex divinorum eloquiorum nos præcedentibus Catholicis tractatoribus promerem, profectò hi fratres, pro quibus nunc agimus, acquieſcerent: hoc enim*

Digitized by Google

enim ſignificaſtis litteris veſtris. Quid igitur opus eſt, ut eorum ſcrutemur opuſcula, qui priuſquam iſta hæreſis oriretur, non habuerunt neceſſitatem in hac difficili ad ſolvendum quæſtione verſari? Unde factum eſt, ut de Gratia Dei quid ſentirent, breviter quibuſdam ſcriptorum ſuorum locis attingerent: immorarentur verò in eis, quæ adversùs inimicos Eccleſiæ diſputabant &c. Itá ergo interpretanda ſunt veterum teſtimonia, dùm agitur de præſcientia Dei, ut ea ſecundùm mentem Auguſtini, quem Deus ſuſcitavit in gratię ſuę defenſionem, intelligamus.

DUBIUM IV.

An Scientia Dei ſit formaliſſimè ipſa potentia immediatè executiva, & productiva.

§. I.

Reſolvitur de Natura Divina.

I. Dico primò. Natura Divina, ut præintellecta ad divina attributa, non eſt formaliter, & immediatè potentia operativa. Eſt contra Aureolum in 1. *diſt.* 45. *artic.* 1., & Suarez in Metaph. *diſp.* 30. *ſect.* 17, & alios. Probatur verò ſic. Potentia immediatè factiva rerum eſt de genere earum perfectionum, quę reſpiciunt creaturas; ſed natura divina, ut pręintellecta ad attributa, èſt perfectio omnino abſoluta ab omni connotatione, & reſpectu ad creaturas, & quodcumque extrinſecum; ergo &c. Major videtur certa, quia potentia immediatè operativa nequit intelligi ſine reſpectu ad factibilia. Minor prob., natura divina debet à nobis concipi, ut magis in ſe abſoluta, quàm attributa: ſicut ſubſtantia creata magis abſoluta eſt ab omni extrinſeco, quàm ſuæ proprietates; unde ſicut ſubſtantia creata non eſt operativa, niſi radicaliter: multò potiori jure idem dicendum erit de natura divina.

II. Sed dicès primò. Eſſentia, ſeu natura divina neceſſariò connectitur cum creaturis poſſibilibus, ità, ut, ſi iſtæ deſtruerentur, natura divina non ſubſiſteret; ergo natura divina non eſt abſoluta ab omni ordine ad creaturas.

Reſpondetur, diſt. antec., connectitur connexione mediatâ, & radicali, conc. antec., connexione immediatâ, & proximâ, nego antec.: & ſimiliter diſt. conſeq. Cùm enim natura divina immediatè connectatur cum omnipotentia, ſequitur, eam ſaltem mediatè connecti, & dicere ordinem ad creaturas poſſibiles. Ex quo infertur, eam eſſe quidem principium radicaliter operativum, non verò proximum, & immediatum.

III. Dices ſecundò. Major perfectio explicatur in hoc, quòd divina natura ſit immediatè operativa, quàm in hoc, quòd ſit operativa tantùm radicaliter; ergo &c. Antec. prob. Nam ſubſtantiam non eſſe immediatè operativam oritur ex limitatione, dicit enim indigentiam alterius ſaltem virtualiter diſtincti, ut operetur.

Reſpondetur, diſt. ant., major perfectio &c. de linea naturæ, nego ant., de linea attributi, conced. antec. Immediatè enim operari non eſt perfectio de linea naturæ, quæ de ſua linea petit eſſe radicem operandi: eſſe autem immediatè operativum eſt extra lineam naturæ; quæ idcircò majorem explicat perfectionem, quia major perfectio eſt eſſe abſolutum, & ad ſe, quàm eſſe ad aliud extra ſe, qualis eſt potentia immediatè operativa, quę reſpicit producibile.

IV. Dices tertiò. Deus non agit ad extra, niſi quatenus infinitus in linea entis; ergo agit immediatè ratione ſui eſſe, ſecundùm quòd continet omnem perfectionem creabilem; ſed eſſe per eſſentiam eſt conſtitutivum naturæ divinæ, ut diximus; ergo &c.

Reſpondetur, nego conſequentiam. Solùm enim ſequitur, quòd ipſum eſſe per eſſentiam ſit radix, ex qua ema-

manet potentia factiva omnium, quę quocumque modo participant eſſe.

V. Dices quartò. D Thomas 1. *p. quæſt.* 25. *artic.* 5. *ad* 1. concludit ſic. *Ideò enim Deus aliquid facit, quia vult: non tamen ideò poteſt, quia vult, ſed quia talis eſt in ſui natura*; ergo ipſa natura Deo eſt potentia immediatè operativa.

Reſpondetur, neg. conſequentiam, quæ non infertur ex verbis D. Thomæ. Ibi enim ſolùm intendit aſſignare diſcrimen inter facere, & poſſe facere in Deo, quòd actu facere eſt Deo liberum, & ideò *facit, quia vult*; At poſſe facere convenit ei, *quia talis eſt natura*, ideſt, illi liberum non eſt, ſed naturale, & neceſſarium, ſeu quòd ex ſua natura ei conveniat potentia faciendi. Ex quo arguitur, naturam divinam eſſe radicem potentiæ operativæ.

§. II.

An potentia operativa ſit à linea intellectiva, & volitiva diſtincta.

VI. Vidimus, naturam divinam non eſſe immediatè, & ratione ſui operativam; ſed omnipotentiam, ſeu virtutem proximè operativam eſſe attributum virtualiter à natura divina diſtinctum. Modò quærimus, an ſit attributum à linea intellectiva, & volitiva diſtinctum.

VII. Dico ſecundò. Omnipotentia non eſt attributum à linea intellectiva, & volitiva diſtinctum. Eſt magis conſona menti D. Thomæ, tùm hàc *qu.* 14. *art.* 8., ubi ait: *neceſſe eſt, quòd ſua ſcientia ſit cauſa rerum ſecundùm quòd habet voluntatem conjunctam*. Tùm *quæſt.* 2. *de potentia art.* 5., ubi ſtatuit, potentiam generativam in Deo eſſe omnipotentiam ut in Patre; ſed potentia generativa in Deo eſt de linea intellectiva: cùm ſit intellectus ut in Patre; ergo &c. Unde D. Auguſtinus contra Maximin. Arianum *lib.* 1. *cap.* 7. ſi Pater Filium generare non potuit, *ubi eſt*, inquit, *Omnipotentia Dei Patris*.

VIII. Secundò prob. Deus eſt naturæ ſummè ſpiritualis, & purè intellectualis; ſed in natura ſpirituali, & purè intellectuali non datur alia potentia, quàm intellectiva, & volitiva, nec alia actio, quàm intelligere, & velle; ergo &c. Minor probatur ex D. Thoma, tùm 1. *p. qu.* 54. *art.* 5., ubi de Angelis ſic habet: *Angeli autem non habent corpora ſibi naturaliter unita... Unde de viribus animæ non poſſunt eis competere, niſi intellectus, & voluntas*. Quod repetit infra *q.* 79. *artic.* 1. *ad* 3. Et *quæſt.* 16. *de malo. art.* 1. *ad* 14. ait: *quòd in Angelo, aut Dæmone, ſi incorporei ponantur, non eſt alia potentia, neque operatio, niſi intellectus, & voluntas. Unde Dionyſius dicit* 4. *cap. de Divin. Nominibus, quòd intellectuales ſunt omnes eorum ſubſtantia, virtutes, & operationes:* & rationem reddens ſubdit. *Oportet enim, quòd virtus, & operatio cujuslibet rei conſequatur naturam ipſius: Angelus autem non eſt intellectualis ſecundùm ſuam partem, ſicut anima; ſed ſecundùm ſuam totam naturam intellectualis eſt: unde nulla virtus, ſeu potentia in Angelo poteſt eſſe, niſi pertinens ad apprehenſionem, vel appetitum intellectualem*. Unde infert, Angelos *ſolo imperio voluntatis* movère aliqua corpora, motu dumtaxat locali. Si ergo in Angelo, quia naturæ purè intellectualis omnis virtus, & operatio pertinet ad lineam intellectus, & voluntatis, & nulla alia virtus, & operatio in eo datur: quantò magis in Deo, qui puriſſimè intellectualis eſt?

IX. His pręcluditur quorumdam reſponſio dicentium, D. Thomam loqui ſolùm de actione immanente: non de actione tranſeunte, qualis eſt actio potentiæ operativæ ad extra.

Nam D. Thom. loco allato concludit, Angelos ſolo imperio voluntatis movere localiter corpora, non ſibi unita; ergo loquitur de actione operante ad extra. Tùm etiam, in Deo nulla actio formaliter tranſiens extra ipſum

repe-

Digitized by Google

reperitur, cùm omnis ejus actio ſit ſua ſubſtantia. Quare S. Doctor 1. p. qu. 25. artic. 1. ad 3. admittit quidem in Deo potentiam *quantùm ad hoc, quod eſt principium effectus, non autem quantùm ad hoc, quod eſt principium actionis, quæ eſt divina eſſentia, niſi fortè ſecundùm modum intelligendi, prout divina eſſentia, quæ in ſe ſimpliciter præhabet quidquid perfectionis eſt in rebus creatis, poteſt intelligi, & ſub ratione actionis, & ſub ratione potentiæ; ſicut etiam intelligitur, & ſub ratione ſuppoſiti habentis naturam, & ſub ratione naturæ*. Hæc D. Thomas. Ibi autem, & in tota illa quæſtione loquitur de potentia, & actione ad extra.

X. Hoc idem docet S. Doctor 2. *contrag. cap.* 23. ratione quartâ, ubi poſtquam dixit, quòd *duplex eſt actio, una, quæ manet in agente, & eſt perfectio ipſius, ut videre: alia, quæ tranſit in exteriora, & eſt perfectio facti, ſicut comburere in igne*, ſubjungit: *Divina autem actio non poteſt eſſe de genere illarum actionum, quæ non ſunt in agente, quùm ſua actio ſit ſua ſubſtantia, ut in primo* [cap. 45.] *oſtenſum eſt. Oportet igitur, quòd ſit de genere illarum actionum, quæ ſunt in agente, & ſunt, quaſi perfectio ipſius. Hujuſmodi autem non ſunt niſi actiones cognoſcentis, & appetentis. Deus igitur cognoſcendo, & volendo agit, & operatur*.

XI. At oppoſitum ex eodem D. Thoma objicitur in hac 1. p. tùm *quæſt.* 19. *artic.* 4. *ad* 4., ubi ait: *Ejuſdem effectus ſcientia eſt cauſa ut dirigens, & voluntas ut imperans; ſed potentia eſt exequens, quia nominat principium immediatum actionis*. Tùm *qu.* 25. *art.* 1. *ad* 4. his verbis: *Potentia non ponitur in Deo, ut aliquid diſtinctum à ſcientia, & voluntate ſecundùm rem, ſed ſolùm ſecundùm rationem, in quantum ſcilicet potentia importat rationem principii exequentis id, quod voluntas imperat, & ad quod ſcientia dirigit, quæ tria Deo ſecundùm idem conveniunt*. Tùm denique *qu.* 27. *art.* 5. *ad* 1., ubi cùm ſibi oppoſuiſſet, præter proceſſionem Verbi per intellectum, & proceſſionem Amoris per voluntatem, oportere, ut detur tertia, ratione potentiæ, reſpondet: *dicendum, quòd potentia eſt principium agendi in aliud. Unde ſecundùm potentiam accipitur actio ad extra. Et ſic ſecundùm attributum potentiæ non accipitur proceſſio Divinæ Perſonæ, ſed ſolùm proceſſio creaturarum*. Ergo admittit potentiam ut attributum diſtinctum ab intellectu, & voluntate.

XII. Reſpondeo, præfata teſtimonia non evincere, quòd potentia executiva in Deo conſtituat attributum diverſum à divino intellectu adæquatè, ſed ſolùm nominare particularem, & inadæquatum reſpectum divini intellectus, quatenus res non purè contemplatur, ſed de facto ponit in eſſe: Idem enim intellectus, quatenus proponit voluntati, quæ facienda ſunt, eſt dirigens, quatenus verò adjunctam habens voluntatem dicit, ut fiant, eſt exequens. Et hoc intendit S. Doctor in primo teſtimonio.

Cùm verò in ſecundo teſtimonio dicit, potentiam poni in Deo, ut aliquid ſecundùm rationem diſtinctum à ſcientia, & voluntate, non ſentit diſtinctam eſſe ſecundùm rationem adæquatam, ſed tantùm ratione diverſæ connotationis inadæquatæ, quatenus ſcientia, ut eſt potentia executiva, connotat factibile, quod, ut ſcientia præcisè non connotat. Et propterea ibi S. Doctor quaſi ſe explicans addit: *Vel dicendum, quòd ipſa ſcientia, vel voluntas divina, ſecundùm quòd eſt principium effectivum, habet rationem potentiæ*. Scio, hæc verba an verè D. Thomę ſint, in dubium verti, & reverâ in codice antiquo, qui in hac noſtra Bibliotheca Bononienſi exiſtit, ea non deprehendi; in editione tamen Romana S. Pii V. reperiuntur.

Cæterùm, ut omne dubium de mente S. Doctoris evaneſcat, adiri poteſt *quæſtio* 2. *de potentia artic.* 5., & 6., ubi apertè docet, quòd potentia generandi (quæ in intellectu conſiſtit) & potentia creandi, ſunt eadem poten-

tentia ſecundùm alium, & alium reſpectum ad alios, & alios actus, inadęquatos tamen, & ex ſolo modo concipiendi diverſos. Sicut enim intellectio, quâ Verbum procedit, formaliter eminenter habet munus intelligendi, & ſimul producendi: Ità intellectio, ut ſecundariò connotat creaturas, formaliter eminenter claudit munus dirigentis, imperantis executionem, & exequentis.

XIII. Objicies adhuc. Quæ diſtinguuntur realiter in creaturis, translata in Deum diſtinguuntur ſaltem virtualiter; ſed potentia executiva diſtinguitur realiter ab intellectu, & voluntate in creaturis; ergo &c.

Confirmatur. Illæ potentiæ diſtinguuntur virtualiter in Deo, quæ habent diſtinctos actus, & diverſa objecta; at hujuſmodi ſunt potentia executiva, & intellectus: Actus enim intellectus divini eſt intelligere, objectum verò illius eſt ens divinum, ut verum intelligibile; At actus potentię executivæ eſt facere, ſeu producere, objectum verò illius eſt ens creatum, ut factibile; ergo &c.

XIV. Reſpondeo primò, negand. mi. Et conſtat in Angelis, in quibus cùm, ut ſupra diximus cum D. Thoma, non detur alia operatio, præter intelligere, & velle, non diſtinguitur potentia operativa ab intellectu, & voluntate.

Reſpondeo ſecundò, majorem eſſe veram, quando ea, quæ in creaturis diſtinguuntur, diſtinguuntur diſtinctione ortâ ex rationibus formalibus eorum: ſecùs verò, ſi eorum diſtinctio oriatur ex limitatione, & potentialitate; ſicut accidit in nobis, in quibus potentia executiva realiter ab intellectu, & voluntate diſtinguitur, quia natura humana, cùm non ſit purè intellectualis, & ſimplex, ſed mixta ex corpore, & ſpiritu, præter intellectum, & voluntatem indiget viribus, & potentiâ diſtinctis, quibus per organa corporalia ſuas operationes exerceat, & exequatur, ut docet D. Thom. 1. *p. qu.* 54. *art.* 5.

XV. Ad confirm. dico, eas quidem potentias diſtingui in Deo virtualiter, quæ habent diverſos actus adæquatos, & primarios, reſpiciuntque diverſa objecta formalia adæquata, & primariò inſpecta, non verò ſi habeant diverſos actus inadęquatos, & reſpiciant diverſa objecta materialia tantùm, & ſecundaria. Sic contingit in caſu. Actus enim imperii ordinantis executionem eſt quidem diſtinctus ab actu intellectus divini ſpeculativi, quo ſe ipſum cognoſcit, ſed tamen eſt actus intellectus practici, qui non in alio ab actu intellectus ſpeculativi ſecernitur, niſi quòd conjunctum habet actum voluntatis. Similiter ens divinum eſt objectum formale, & primarium tàm intellectus practici, quàm ſpeculativi, hoc ſolo diſcrimine, quòd intellectus practicus illud reſpicit, ut imitabile, & participabile à creaturis, quarum eſt exemplar, & idea: quod eſt addere ſolam connotationem ad objectum materiale, & ſecundarium.

XVI. Objicies tandem. Actiones intellectus, & voluntatis ſunt actiones immanentes, & æternæ; ſed actio potentiæ executivæ eſt actio tranſiens, & temporalis; ergo actio potentię executivæ non eſt actio intellectus &c.; aliàs ſequeretur, quòd res ab æterno fuiſſent productæ, quia non ſtat, dari ab æterno actualem productionem, & non dari ab ęterno rem productam; hoc autem eſt contra fidem.

Reſpondetur, diſt. maj., ſunt æternæ quantùm ad denominationem intelligentis, & volentis, conc. maj., quantùm ad denominationem producentis ad extra, nego maj. Actio ergo divini intellectus practici duplicem denominationem dat Deo. Unam intelligentis, & volentis creaturas producere, & hæc eſt æterna. Aliam actu producentis illas, & hæc non debet eſſe ab æterno, ſed ſolùm pro eo tempore, quo Deus voluit, eas de non eſſe tranſire ad eſſe. Cùmque Deus decreverit, creaturas tranſire ad eſſe ſolùm in tempore; ideò quamvis tota-

enti-

entitas actionis productivæ ſit ab æterno, ab æterno tamen non datur denominatio producentis, quia non datur connotatio requiſita ad talem denominationem, nempe paſſiva rerum ab æterno productio. Ità reſpondet S. Thomas *hâc quæſt. 14. art. 8. ad 2.* dicens: *Scientia Dei eſt cauſa rerum, ſecundùm quòd res ſunt in ſcientia, non fuit autem in ſcientia Dei, quòd res eſſent ab æterno. Unde quamvis ſcientia Dei ſit æterna, non ſequitur tamen, quòd creaturæ ſint ab æterno.* Videatur etiam *qu. 2. de verit. art. 14. ad 2.*

§. III.

An potentia operativa Dei formaliter, & in recto conſiſtat in intellectu, an in voluntate.

XVII. Dico tertiò. Potentia immediatè, ac formaliter executiva in Deo non eſt voluntas, ſed intellectus practicus, ut motus tamen, & applicatus à voluntate. Eſt expreſſa mens S. Thomæ hôc *artic. 8.*, ubi ait: *Oportet, quòd forma intellectus ſit principium operationis, ſicut calor eſt principium calefactionis*; ſed calor eſt principium immediatè productivum calefactionis; ergo forma intellectus &c. Quòd verò ut forma intellectus ſit principium operationis debeat moveri à voluntate, oſtendit S. Doctor ſubjungens: *ſed conſiderandum eſt, quòd forma naturalis, in quantum eſt forma manens in eo, cui dat eſſe, non nominat principium actionis, ſed ſecundùm quòd habet inclinationem ad effectum: & ſimiliter forma intelligibilis non nominat principium actionis, ſecundùm quòd eſt tantùm in intelligente, niſi adjungatur ei inclinatio ad effectum, quæ eſt per voluntatem. Cùm enim forma intelligibilis ad oppoſita ſe habeat, cùm ſit eadem ſcientia oppoſitorum, non produceret determinatum effectum, niſi determinaretur ad unum per appetitum, ut dicitur 9. metaph. text. 10.* Ex quibus patet, Voluntatem divinam ad productionem rerum comparari tanquam moventem, & determinantem intellectum ad producendum potiùs hoc, quam illud, & proinde non ut principium immediatè, & ratione ſui productivum, ſed ut determinativum principii productivi, nempe intellectus. Quare concludit S. Doctor: *neceſſe eſt, quòd ſua ſcientia ſit cauſa rerum, ſecundùm quòd habet voluntatem conjunctam. Unde ſcientia Dei, ſecundùm quòd eſt cauſa rerum, conſuevit nominari ſcientia approbationis.*

Hinc apparet, quomodo intelligendus ſit, ſi aliquando videtur dicere, voluntatem divinam eſſe cauſam rerum, imò principalitatem cauſalitatis tribuere voluntati, ut in *1. diſt. 38. q. 1. art. 1.*; Exponendus enim eſt, quòd nominet voluntatem cauſam, non immediatam, & executivam, ſed motivam, eique tribuat principalitatem cauſalitatis, quia determinat principium executivum, nempe ſcientiam, ut hoc potiùs producat, quàm illud, & ut practica ſit, & non ſolùm ſpeculativa.

XVIII. Probatur deinde ratione fundamentali. Illud attributum divinum eſt immediatè productivum creaturarum, à quo immediatè, & elicitivè procedit actus, quo Deus creaturas producit; ſed talis actus non procedit elicitivè à voluntate, ſed ab intellectu practico, ut moto à voluntate; ergo principium immediatè productivum creaturarum non eſt voluntas, ſed intellectus practicus. Min. probatur. Deus producit creaturas per actus imperii, dictionis, & locutionis: *Dixit Deus, fiat lux: & facta eſt lux*: Gen. 1. v. 3. *Ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandavit, & creata ſunt: pſalm. 148. v. 5.* Et pſalm. 32. v. 6. *Verbo Domini Cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris ejus omnis virtus eorum.*; ſed imperium eſt actus elicitus ab intellectu practico, ut docet D. Thom. 1. 2. *quæſt. 17. artic. 1.*, dictio etiam, & locutio interna actus intellectus eſt: unde Verbum Divinum procedit per intel-

intellectum, quia procedit per dictionem, & locutionem Patris æterni; ergo &c At de hoc ſuperiùs diximus.

XIX. Sed oppones primò varia Scripturæ dicta, quibus videtur divinæ voluntati tribuere creaturarum productionem. Pſalm. 134. v. 6. *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit*. Judith. 9. v. 4. *Hoc factum eſt, quod ipſe voluiſti*. Ad Epheſ. 1. v. 11. *Qui operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ*.

Reſpondetur, hæc, & alia, quę poſſent afferri, ſolùm probare, non quòd potentia immediatè cauſativa ſit voluntas, & non intellectus, ſed quòd intellectus non ſit operativus, niſi ut adjunctam habens voluntatem, ut ipſum applicantem, & moventem ad exercitium. Cùm enim actus, quo Deus formaliter res ad extra producit, ſit actus imperii, qui, eſto ſit actus elicitus ab intellectu, à voluntate tamen, ut ab applicante, & movente eſt; *unde* (ait D. Thom. 1. 2. qu. 17. ar. 1.) *relinquitur, quòd imperare ſit actus rationis, præſuppoſito actu voluntatis, in cujus virtute ratio movet per imperium ad exercitium actus*; propterea actum, quo Deus producit res ad extra, Scriptura modò tribuit voluntati applicanti ad operandum, modò intellectui exequenti applicationem.

XX. Oppones ſecundò. D. Thomas 1. p. *quæſt.* 19. *art.* 4. *ad* 4. dicit, quòd *unius, & ejuſdem effectus ... ſcientia eſt cauſa ut dirigens ..... voluntas ut imperans .... potentia eſt cauſa ut exequens*; ergo ſcientia in Deo concurrit ſolùm directivè, non executivè: quod repetit 1. p. qu. 25. art 1. ad 4.

Reſpondeo, diſt. conſ., ſcientia ſpeculativa, conc. conſeq., practica, nego conſequentiam. Dùm ergo ait D. Thomas, quòd ſcientia eſt cauſa dirigens, loquitur de ſcientia ſpeculativa, & ſimplicis intelligentiæ, *quâ* nimirùm *concipitur forma operis*, & quæ præcedit voluntatem, *quia* (inquit) *forma, ut eſt in intellectu tantùm, non determinatur ad hoc, quod ſit, vel non ſit in effectu, niſi per voluntatem: unde intellectus ſpeculativus nihil dicit de operando*. Non autem loquitur de ſcientia practica ſupponente actum voluntatis inclinantis, & moventis ad opus: ſed hanc indicat, dùm ait: *Sed potentia eſt cauſa ut exequens, quia nominat immediatum principium operationis*. Quare ſecundùm D. Thomam ſcientia, ut præcedens voluntatem, eſt cauſa ſolùm dirigens, ut verò ſubſequens voluntatem imperantem (ideſt ut excitantem intellectum ad imperandam executionem operis) vocatur potentia, & cauſa immediatè exequens, quia licèt imperium formaliter in intellectu ſit, radicaliter tamen, & motivè eſt in voluntate.

XXI. Oppones tertiò. Voluntas proximiùs accedit ad executionem operis, quàm intellectus; ergo in illa, non in iſto potentia executiva Dei ponenda eſt. Ant. prob. Poſt imperium, quod eſt ultimus actus intellectus, ordine executionis, ſequitur in voluntate actus uſus, qui ordine executionis eſt ſimpliciter ultimus, ut expreſsè docet D. Thomas 1. 2. *qu* 17. *artic.* 3.; ergo uſus proximiùs accedit ad executionem: ut enim docet D. Thomas ibi: *uſus utentis conjunctus eſt cum actu ejus, quo quis utitur. Non enim utitur aliquis baculo, antequam aliquo modo per baculum operetur. Imperium autem non eſt ſimul cum actu ejus, cui imperatur, ſed naturaliter priùs eſt imperium, quàm imperio obediatur*. Ergo in uſu potiùs, quàm in imperio potentia executiva Dei locanda eſt.

XXII. Reſpondeo, neg. antec.: Ad ejus probationem, quidam admittentes in Deo hunc actum Uſus ſecutum ad actum imperii intellectus, reſpondent diſt. ant., poſt imperium ſub munere dirigentis ſequitur &c., conc. antec., ſub munere exequentis, nego antec. In actu itaque imperii duplex munus diſtinguunt, alterum dirigentis, ſeu intimantis, alterum exequentis, & dicunt, quòd ſub munere dirigentis pręcedit quidem uſum, tanquam dirigens,

ſeu

Digitized by Google

ſeu veriùs intimans ipſum, ſed ſub munere exequentis ſequitur uſum, & ſub hoc munere eſt rerum productio, & ſic proximiùs accedit ad productionem rerum, quàm uſus. Et hic loquendi modus fundamentum habet in D. Thom., qui 1. 2. *quaſt.* 17. artic. 1. *Sed ratio* [inquit] *poteſt aliquid intimare, vel denunciare dupliciter. Uno modo abſolutè, qua quidem intimatio exprimitur per verbum indicativi modi, ſicut ſi aliquis alicui dicat:* hoc eſt tibi faciendum. *Aliquando autem ratio intimat aliquid alicui movendo ipſum ad hoc: & talis intimatio exprimitur per verbum imperativi modi: puta cùm alicui dicitur: fac hoc.* Cùm ergo operatio Dei ad extra modo imperativo exprimatur: *fiat lux: fiat firmamentum:* & ſtatim ſubdatur: *& facta eſt lux: & factum eſt firmamentum:* rerum productio paſſiva immediatè correſpondet, & ſequitur ad imperium Dei, & proinde ad imperium ut exequens, & non ſolùm ut intimans abſolutè, vel denuncians.

Alii verò, licèt in voluntate creata poſt actum imperii admittant actum uſus, illum tamen negant in voluntate divina; dicunt enim, quòd in tantum in voluntate creata poſt actum imperii ponitur actus uſus, quia poſito actu imperii, ſupereſt aliqua difficultas in applicandis potentiis executivis ad actum, vincenda per actum uſus; cùm autem in Deo iſta difficultas non detur, imò nec detur potentia executiva diſtincta ab intellectu practico, cujus imperium eſt formaliter ipſa executio; ideò ceſſat totaliter neceſſitas actus uſus imperium ſubſequentis. Utraque reſponſio probabilis eſt.

XXIII. Sed dices. Secundùm D. Thomam actus productivus creaturarum debet eſſe actus ſcientiæ, cùm ſcientia Dei ſit cauſa rerum; ſed actus imperii non eſt actus ſcientiæ: vel enim imperat factibilia, & ſic eſt actus proprius artis: vel imperat agibilia, & ſic eſt actus prudentiæ; ergo &c.

Reſpondeo, negando min. Et dico, quòd, cùm ſecundùm D. Thomam hôc *art.* 8., & alibi frequenter, ſcientia Dei ſe habeat ad res creatas, ſicut ſcientia artificis ad artificiata, & ſicut ſcientia artificis cauſa artificiatorum eſt, ità ſcientia Dei ſit cauſa rerum; nullum video inconveniens, quòd imperium, quod eſt proprium artis, ſit actus proprius ſcientiæ divinæ, ut reſpicit factibilia. Eſto enim ſcientia ſpeculativa contradiſtinguatur ab arte, ſcientia tamen practica, quæ eſt ſicut ſcientia artificis (qualem eſſe ſcientiam divinam, dùm cauſat res, docet D. Tho.) coincidere poteſt cum arte, & imperium circa factibilia actus utriuſque eſſe poteſt.

DUBIUM V.

An Scientia, quà Deus cauſat res, ſit Scientia Viſionis, an Simplicis Intelligentiæ.

§. I.

Prænotantur aliqua.

I. Statuimus in precedenti Dubio, Potentiam executivam Dei, ſeu Omnipotentiam, eſſe ipſum divinum intellectum, & actualem rerum productionem eſſe actum intellectus, ſeu ſcientiam practicam. At quia, ut vidimus, ſcientia Dei, alia eſt viſionis, alia ſimplicis intelligentiæ; ideò quærimus, quânam ex his duabus actu Deus producat creaturas. Pro quo

II. Adverto, quòd circa productionem creaturarum plures actus in intellectu divino concipere poſſumus. Nam, præter actum imperii, quem diximus, eſſe ipſam actualem rerum productionem, alii ante ipſum concipiuntur actus dirigentes voluntatem divinam, ſive ad intentionem finis, ſive ad electionem mediorum. Sicut enim (ait D. Thom. in 1. diſt. 38. quęſt. 1. art. 1.) *eſt iſte proceſſus in productione artificiati. Primò ſcientia artificia-*

lis oſtendit finem. Secundò voluntas ejus intendit finem illum. Tertiò voluntas imperat actum, per quem educatur opus, circa quod opus ſcientia artificis ponit formam conceptam. Ità Scientia Dei, quæ ſe habet ad modum ſcientiæ artificis in cauſando res, ut diximus ex eodem S. Doct., primò noſtro modo intelligendi oſtendit divinę voluntati finem., deinde voluntas intendit, rursùs ſcientia proponit media, quæ voluntas eligit, inde ſequitur imperium. De his ergo actibus intellectus, ſeu ſcientię divinæ quærimus modò.

§. II.

Reſolvitur de actibus ſcientiæ præcedentibus imperium.

III. Dico primò. Scientia, quæ ſolùm directivè ad rerum productionem concurrit, qualis eſt ſcientia oſtendens finem, & media, eſt ſcientia ſimplicis intelligentiæ. Prob. Scientia, quæ directivè concurrit, vel eſt cognitio dirigens intentionem finis, & oſtendens finem, vel eſt conſilium, ſeu judicium proponens media, & dirigens electionem; ſed utraque eſt notitia ſimplicis intelligentiæ; ergo &c. Ma. patet, quia prçter dictas cognitiones non datur, niſi imperium, quod, ut vidimus, non directivè ſolùm, ſed effectivè concurrit. Min. verò prob. Cognitio, quæ concipitur præcedere exiſtentiam, & futuritionem rei eſt ſcientia ſimplicis intelligentiæ, quæ reſpicit rem, ut poſſibilem, nondum determinatam ad exiſtendum; ſed tàm cognitio regulans decretum intentivum, quàm electivum præcedunt rei futuritionem; ergo &c. Min. prob. Finis non eſt determinatè futurus, niſi futura ſint media, media non ſunt determinatè futura, niſi ſint electa, & ordinata ad executionem; ergo cognitio præcedens, & dirigens decretum intentivum, electivum, & executivum præcedit noſtro modo concipiendi rerum futuritionem, cum hæc habeatur ex decreto executivo.

IV. Sed dices. Cognitio regulans decreta intentiva Dei circa rerum productionem eſt cognitio practica, quia ordinatur ad faciendum extra Deum; ſed omnis cognitio practica eſt in Deo ſcientia viſionis, quia ſcientia ſimplicis intelligentiæ eſt pura notitia eorum, quæ nec ſunt, nec fuerunt, nec erunt, nec reſpicit faciendum, ſed factibile; ergo &c.

Reſpondetur, diſt. min., omnis cognitio practica effectivè eſt &c., conc. min., cognitio practica ſolùm remotè, & directivè, nego min. Cognitio practica eſt duplex, alia factiva, alia directiva, non ſolùm enim practicum eſt, quod producit, ſed etiam id, quod dirigit ad productionem. Scientia ergo ſimplicis intelligentiæ, eſto non poſſit eſſe practica productivè, poteſt tamen eſſe practica directivè, quatenus dirigit actus intentivos voluntatis circa rerum productionem.

V. Dices tamen. Scientia ſimplicis intelligentiæ non reſpicit res, ut producendas, ſed ut producibiles; at ſcientia practica etiam directiva reſpicit creaturas, non ut merè producibiles, ſed ut producendas, ſeu ut futuras ſaltem pro ſigno poſteriori; ergo non eſt ſcientia ſimplicis intelligentiæ.

Reſpondetur, diſt. maj., ut producendas executivè, ultimatè, & conſummativè, conc. maj., intentivè, indeterminatè, & inchoativè, nego maj.: & diſtinctâ ſimiliter mi., nego conſeq. Scientia ergo ſimplicis intelligentiæ, eſto non poſſit reſpicere creaturas, ut producendas, vel ut futuras ultimatè, executivè, & determinatè, poteſt tamen reſpicere illas, ut producendas, vel non producendas indeterminatè, ſeu ut producendas ſolùm intentivè, & inchoativè. Sic autem ſunt creaturæ pro priori ad decretum executivum: cognitio enim oſtendens finem, ſolùm oſtendit bonitatem finis volun-

voluntati: conſilium verò, teſte D. Thom. 1.2. *qu.* 14. *art.* 5. *ad* 3., ſolùm proponit media, ut congrua fini. Quare ſi poſità oſtenſione finis, voluntas eum non intenderet, finis remaneret poſſibilis: & ſi poſità intentione finis, & conſilio de mediis, ea voluntas non eligeret, media adhuc eſſent poſſibilia: & tandem ſi poſità electione, non daretur decretum ordinans executionem, nec media, nec finis eſſent unquam futura abſolutè. Ex quibus ſequitur, quòd, etſi Scientia Dei ſupponat actum voluntatis, adhuc poteſt eſſe ſcientia ſimplicis intelligentiæ; Tunc autem ſolùm eſſe ſcientiam viſionis, quando ſupponit decretum executivum: tunc enim ſunt ultimatè futura, & præſentia Deo, ideòque objectum ſcientiæ viſionis.

§. III.

Reſolvitur de actu Imperii executivi.

VI. Dico ſecundò. Scientia, quâ Deus in actu ſecundo res producit, quam vocamus actum imperii, eſt ſcientia viſionis. Probo. Scientia, quę verſatur circa res actu exiſtentes, eſt ſcientia viſionis, non ſimplicis intelligentiæ, quæ reſpicit res, vel ut merè poſſibiles, vel ſolùm ut in actu primo producendas, & inchoativè futuras; ſed ſcientia, quæ eſt actualis rerum productio, reſpicit res in actu ſecundo exiſtentes: quia terminus actualis productionis eſt res actu exiſtens; ergo &c.

VII. Dico tertiò. Scientia, quę eſt rerum productio, non eſt ſcientia viſionis, quatenus præcisè, & formaliter viſionis eſt: ſed ſolùm quatenus eſt approbationis, ſeu quatenus applicata per decretum executivum divinæ voluntatis. Eſt D. Thom. hìc 1. *part. quæſt.* 14. *art.* 8., ubi concludit: *Unde ſcientia Dei, ſecundùm, quòd eſt cauſa rerum conſuevit nominari ſcientia approbationis.* Ut explicetur hæc concluſio, ſuppono, quòd, licèt ſcientia viſionis, & approbationis ſit unica ſcientia in Deo, dicit tamen diverſum reſpectum. Ut enim viſionis eſt, reſpicit objectum, quod intuetur. Ut verò approbationis, reſpicit decretum divinæ voluntatis, quo applicatur. Ut ergo viſionis eſt, & ut purè intuitiva, ac ſui objecti contemplativa, non dicit eſſe cauſam rerum, ſed eas potiùs ſupponit in aliquo priori naturæ jam factas, & productas à ſe ipſa, quatenus eſt practica, & approbationis: Ad eum modum, quo eadem cognitio, licèt ſit productiva verbi, & contemplativa ejuſdem, quatenus tamen eſt contemplativa, non eſt productiva verbi, ſed illud ſupponit productum à ſe ipſa, quatenus dictio eſt.

VIII. Probatur ergo prima Pars ſic. Si ſcientia Viſionis, quatenus præcisè Viſionis eſt, eſſet productio rerum, omnis ſcientia viſionis eſſet productio, quia cauſalis æquivalet univerſali, & à cauſali ad univerſale eſt bona conſequentia; ſed non omnis ſcientia viſionis eſt actualis productio, etiam in Deo. Tùm quia ſcientia, quâ cognoſcit ſe ipſum eſſentialiter eſt viſio: & tamen nihil producit. Tùm quia Deus ſcientiâ viſionis cognoſcit peccata prę-terita, præſentia, & futura: & tamen illa non producit.

IX. Secunda autem Pars probatur ſic. In tantum ſcientia viſionis eſſe poteſt productio rei, in quantum habet efficaciam ultimò, & completè in ordine executivo; ſed hanc efficaciam habet ex participatione voluntatis, quæ eſt primum movens quoad exercitium, & executionem; ergo &c. Utramque partem docet D. Thomas, tùm hîc *art.* 8., tùm in 1. *diſt.* 38. *qu.* 1. *art.* 1. his verbis: *Sciendum eſt ergo, quòd ſcientia ſecundùm rationem ſcientia non dicit aliquam cauſalitatem, aliàs omnis ſcientia cauſa eſſet: ſed in quantum eſt ſcientia artificis.* Inde proſequitur, quòd ſicut ſcientia artificis non ponit in opere formam conceptam, niſi ex imperio voluntatis; ità ſcientia divina. Et ex hoc

tandem

tandem concludit: quòd *ſicut quidquid accidit in effectu per defectum à forma artis, vel à fine, non reducitur in ſcientiam artificis, ſicut in cauſam; ità malum, quod eſt deviatio à forma, & à fine, non cauſatur à ſcientia Dei; ſed tantùm cauſalitatem habet reſpectu bonorum, ſecundùm quòd conſequuntur formam divinæ artis, & finem: non tamen quòd reſpectu horum dicat perfectam rationem cauſalitatis, niſi ſecundùm quòd adjungitur voluntati. Et ideò in littera dicitur, quòd ſcientia beneplaciti eſt cauſa rerum. Et propter hoc etiam Avicenna dicit* [Lib. de intellig. c. 1.] *quòd, in quantum Deus cognoſcit eſſentiam ſuam, & amat, vel vult eam, ſecundùm quòd eſt principium rerum, quarum vult, ſe eſſe principium, fluunt res ab eo*. Idem docet *qu. 2. de veritate art. 14*.

X. Sed oppones contra ſuperiùs dicta. Actualis rei productio nequit ſupponere rem productam; ſed ſcientia viſionis ſupponit res à Deo productas; ergo &c. Min. prob.

Primò, *Geneſ. 1. v. 31.* dicitur *vidit Deus cuncta, quæ fecerat*.

Secundò, ſcientia viſionis, utpote cognitio rei exiſtentis, ſupponit rem exiſtentem, & conſequenter jam productam.

Tertiò, in nobis intuitiva cognitio ſupponit rem jam productam; ergo & in Deo.

Quartò, ſicut ſimplex notitia reſpicit poſſibile, ità ſcientia viſionis reſpicit objectum exiſtens; ſed ſimplex notitia ſupponit poſſibile, nec illud poſſibile facit; ergo ſcientia viſionis ſupponit exiſtens objectum, nec illud facit exiſtens.

Quintò, nulla ſcientia facit, ſed ſupponit objectum ſuum; ſed ſcientiæ viſionis objectum eſt res exiſtens; ergo illam non facit, ſed ſupponit exiſtentem.

XI. Reſpondetur, diſt. min., ſcientia ut viſionis eſt, & contemplativa rei factæ, conc. min., ſcientia viſionis habens adjunctam voluntatem faciendi, nego mi. Talis autem eſt ſcientia viſionis, quam dicimus eſſe rerum productionem. *Res enim naturales* (ait D. Thom. hôc *art. 8. ad 3.*) *ſunt media inter ſcientiam Dei, & ſcientiam noſtram. Nos enim ſcientiam accipimus à rebus naturalibus, quarum Deus per ſuam ſcientiam cauſa eſt: unde ſicut ſcibilia naturalia ſunt priora, quàm ſcientia noſtra, & menſura ejus: ità ſcientia Dei eſt prior, quàm res naturales, & menſura ipſarum: ſicut aliqua domus eſt media inter ſcientiam artificis, qui eam fecit, & ſcientiam illius, qui ejus cognitionem ex ipſa jam facta capit.*

Ad primam prob. min. dico, quòd ſicut artifex per ſuam ſcientiam facit domum, & domum jam factam contemplatur, & probat; ità Deus per ſuam ſcientiam imperantem fecit omnia: & hoc indicant illa verba Gen. 1. *Dixit, fiat, & facta ſunt*. Deinde ea jam facta intuitus eſt, ac probavit: & hoc indicant verba allata *vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona*. Hæc tamen inter ſcientiam artificis creati, & Dei differentia eſt, quòd ſcientia artificis creati, dùm opus à ſe factum contemplatur, eſt purè ſpeculativa, opus enim etſi in ſuo fieri pendeat à ſcientia artificis creati, ab ea tamen non pendet in facto eſſe, & conſervari. At res naturales à Dei ſcientia pendent, nedùm in fieri, ſed etiam in facto eſſe, & conſervari: unde ſcientia Dei, quâ intuetur res à ſe factas, eaſque probat, eſt conſervativa illarum, & ideò practica.

Ad ſecundam dico, viſionem non petere, ut ſuum objectum ſupponatur per aliam actionem productum, & exiſtens, ſed ſufficere, ut terminetur ad exiſtens: quod verum eſt, ſive ſit factum exiſtens antecedenter ab alio, ſive concomitanter, & à ſe.

Ad tertiam dico, in nobis, ut nuper dicebam cum D. Thoma, notitiam intuitivam eſſe purè contemplativam rei factæ, non verò practicam, & factivam, ſicut in Deo.

Ad

Digitized by Google

Ad quartam pariter dico, ſcientiam ſimplicis intelligentiæ eſſe purè ſpeculativam rei poſſibilis; ſcientiam tamen viſionis poſſe eſſe practicam: & hoc modo poſſe efficere objectum præſens.

Ad quintam dico, verum eſſe de ſcientia ſpeculativa, non verò de ſcientia practica, qualis eſt ſcientia Dei, ut productio creaturarum eſt: ſicut enim eadem intellectio producit Verbum, & in Verbo contemplatur, ità eadem Dei ſcientia creaturam producit, & eam intuetur.

An autem res ideò ſint, quia ſciuntur à Deo, vel potiùs oppoſitum, fusè tractatum eſt ſupra hâc *qu. Dub.* 3. §. 3., quò lectorem remitto.

QUÆSTIO V.

De Divina ſcientia circa futura contingentia abſoluta.

Futurum illud dicitur, quod, eſto nunc non ſit, aliquando tamen erit. Duplex autem eſt; aliud neceſſarium; aliud contingens. Primum illud eſt, quod ità erit, ut non poſſit non eſſe, ut craſtinus ortus Solis. Contingens verò eſt, quod taliter eveniet, ut abſolutè aliquando poſſet non evenire, ut adventus Anti-Chriſti. Hìc loquimur de Scientia Dei circa futura contingentia. Hæc verò rurſus, alia ſunt futura abſoluta, quæ ſcilicet independenter ab omni conditione aliquando erunt; alia conditionata, quæ erunt, ſi ponatur aliqua conditio. De his ſequenti quæſtione; in præſenti agemus de primis. Utraque quæſtio magnâ contentione agitata diviſos tenet Theologos.

DUBIUM I.

An Deus cognoſcat futura contingentia abſuluta.

§. I.

Quædam prænotantur.

I. De hoc agit D. Thom. hâc 1. *p. qu.* 14. *art.* 13., & *qu.* 2. *de veritate art.* 12. Et noto cum eodem, quòd *contingens aliquid dupliciter poteſt conſiderari. Uno modo in ſe ipſo, ſecundùm quòd jam actu eſt: & ſic non conſideratur, ut futurum, ſed ut præſens; neque ut ad utrumlibet contingens, ſed ut determinatum ad unum; & propter hoc infallibiliter ſubdi poteſt certæ cognitioni, utpote ſenſui viſus, ſicut cùm video Sortem ſedere. Alio modo poteſt conſiderari contingens, ut eſt in ſua cauſa: & ſic conſideratur, ut futurum, & ut contingens nondùm determinatum ad unum, quia cauſa contingens ſe habet ad oppoſita; & ſic contingens non ſubditur per certitudinem alicui cognitioni. Unde quicumque cognoſcit effectum contingentem in cauſa ſua tantùm, non habet de eo, niſi conjecturalem cognitionem.* Hæc D. Thom. Quærimus ergo, an Deus futura contingentia cognoſcat, & quomodo?

II. In re tam certa non defuerunt, qui turpiter erraverint. Mitto blaſphemiam Waltheri Lolhardi, qui ſeculo 14. per Germaniam, Auſtriam, & Bohemiam inter cætera ſparſit, Deum *neſcire mala, quæ ſub terra fiunt*, meritò propterea exuſtus Coloniæ anno 1321. In quo errore cùm quædam puella pertinaciter verſaretur, & propterea flammis eſſet damnata, dùm ad ſupplicium cremanda duceretur, interrogata, an eſſet Virgo, reſpondiſſe fertur, *ſum Virgo ſuper terram, non ſub terra.* Hæc inquam prætereo. *Circa hoc* [ait S. Thomas quæſt. 2. de verit. art. 12.] *diverſimodè eſt erratum. Quidam enim de divina ſcientia judicare* vo-

volentes ad modum ſcientiæ noſtræ dixerunt, quòd Deus futura contingentia non cognoſcat. Sed hoc non poteſt eſſe, quia ſecundùm hoc non haberet providentiam de rebus humanis, quæ contingenter eveniunt. Et ideò alii dixerunt, quòd Deus omnium futurorum ſcientiam habet, ſed cuncta ex neceſſitate eveniunt, aliàs ſcientia Dei falleretur de eis. Hoc ut evitaret Cicero *Lib. de divinatione cap.* 2., & ut in Deo providentiam, liberumque arbitrium in homine tueretur, & ne omnia fato evenire cogerentur, abſtulit à Deo præſcientiam futurorum. Quare, ut ait D. Auguſtinus *lib.* 5 *de Civit. Dei c.* 9., *dùm vult facere liberos, fecit ſacrilegos. Nos igitur* [loquor cum Auguſtino laudato] *adversùs iſtos ſacrilegos auſus, atque impios: & Deum dicimus omnia ſcire, antequam fiant; & voluntate nos facere, quidquid à nobis nonniſi volentibus fieri ſentimus, & novimus*. Primum in præſenti; ſecundum præſtabimus in ſequentibus.

§. II.

Veritas Catholica.

III. DIco. Deus ab æterno certò, & infallibiliter novit omnia futura, etiam contingentia. Hanc veritatem clamant Scripturæ. Pſal. 138. v. 3. & 4. *Intellexiſti cogitationes meas de longè, ſemitas meas, & funiculum meum inveſtigaſti, & omnes vias meas prævidiſti. Daniel.* 13. *v.* 42. exclamavit Suſanna: *Deus æterne, qui abſconditorum es cognitor, qui noſti omnia, antequam fiant*. Et *c.* 2. *v.* 28. *ſed eſt* (inquit Daniel) *Deus in Cœlo, revelans myſteria, qui indicavit tibi, Rex Nabuchodonoſor, quæ ventura ſunt in noviſſimis temporibus*. Et *v.* 29. *qui revelat myſteria, oſtendit tibi, quæ ventura ſunt*. Hinc

IV. Hoc idem confirmant ii textus, qui Dei prædictiones de rebus futuris enunciant. Quare, inquit Origenes *libro* 5. contra Celſum, *futurorum prædictio divinitatis nota eſt, & character*. Et Tertullianus *Apologetic.* cap. 20. *Idoneum* [inquit] *teſtimonium divinitatis, veritas divinationis*, ſumens divinationem pro prophetia. Hoc idem teſtatur Iſaias *c.* 41. *v.* 22., ubi, ut oſtendat Gentilium numinum inanitatem, provocat ea ad annuncianda futura: *Accedant* [inquit] *& nuncient nobis quæcumque ventura ſunt*. Et v. 23. *Annunciate, quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus, quia Dii eſtis vos*. Hinc lumen Propheticum, alicui homini communicatum, eſt participatio quædam præſcientiç Dei. *De præſcientia Dei quid dicam, quæ tantos habet teſtes, quantos fecit Prophetas?* ait Tertullianus *lib.* 2. *adv. Marcion. cap.* 5.: Ideòque prophetia dicitur divinatio, quia inhabitantis divinitatis in homine ſignum eſt. At ſuperfluum eſt pro re tàm certa quærere teſtimonia, quùm Auguſtinus loco cit. *lib.* 5. *de Civit. cap.* 9. apertè dicat de Cicerone negante Deo præſcientiam futurorum: *Multò ſunt tolerabiliores, qui vel ſyderea fata conſtituunt, quàm ille, qui tollit præſcientiam futurorum. Nam & confiteri eſſe Deum, & negare præſcium futurorum, apertiſſima inſania eſt.*

V. Ratio hoc idem demonſtrat. Primò, cùm Deus omnium futurorum, etiam contingentium, cauſa ſit, ea cognoſcit, quando in tempore illa producit, ne dicamus, eum agere cæco, & ignaro modo, neſciens quid agat. Ergo cùm divina cognitio ſit invariabilis, nec poſſit aliquid cognoſcere modò, quod non cognoverit ſemper, ne admittamus pro tempore anteriori in eo ignorantiam, dicendum, eum habuiſſe ſemper, & conſequenter ab æterno, futurorum cognitionem.

VI. Secundò, futura contingentia ſunt ab æterno cognoſcibilia; ergo Deus, cujus ſcientiam, utpote infinitam, nihil cognoſcibile latere unquam potuit, ea ab æterno cognovit. Ant. prob. Futura contingentia ſunt verè ab æterno futura, quidquid enim ve-

rè

Digitized by Google

rè exiſtit pro aliquo tempore, toto tempore, ſeu duratione antecedente ejus exiſtentiam, ſive finita ſit, ſive infinita, verè eſt futurum, ſeu verum eſt, quòd aliquando erit; ergo vel Deus ab æterno aliquod verum non cognovit, vel cognovit futura contingentia.

VII. Tertiò. Quòd certò, & infallibiliter ea cognoſcat, probat S. Thom. hôc *art.* 13., & *qu.* 2. *de verit. art.* 12. citatis, ſic. Deus videt contingentia, non ſecundùm eſse contingens ad utrumlibet, prout ſunt in ſuis cauſis proximis, ſed ſecundùm eſſe determinatum, quod habent; prout ſunt in ſe ipſis; ergo illa certò, & infallibiliter cognoſcit. Conſequentia patet ex prænotatis §. 1. Antecedens, priùſquàm probem, explico. Contingens eſto ſuaptè naturâ ſemper ſit contingens, ideſt, potens non eſſe, non ſemper eſt in ſtatu contingentiæ, ſeu indifferentiæ ad utrumlibet. Dùm eſt in cauſa contingenti, eſt in ſtatu contingenti, dùm verò in ſe eſt, eſto contingens ſit, non eſt tamen in ſtatu contingentiæ, ſed determinationis ad eſſe, quia unumquodque, quod eſt, quando eſt, neceſſe eſt eſſe. Sic ergo explicatum antecedens probo ex D. Thoma hôc *art.* 13. ſic. Deus cognoſcit omnia futura contingentia ſecundùm quòd actu ſunt ab æterno ſimul; ſed ab æterno ſimul ſunt actu præſentia Deo; ergo &c. maj. prob. Æternitas tota ſimul exiſtens ambit omne tempus, & cognitio Dei menſuratur æternitate; ergo & ſimul, quæ ſucceſſivè fiunt, novit Deus, & omnia, quæ ſunt in tempore, ſunt præſentia Deo ab æterno, non ſolùm *ea ratione, quâ habet rationes rerum apud ſe præſentes*, ideſt, ut cognita cognoſcenti: *Sed quia ejus intuitus ab æterno fertur ſuper omnia, ut ſunt in ſua præſentialitate*, ideſt, ut ſunt æternitati præſentia. Quod ſuperiùs oſtendimus *qu.* 4. *dubio* 1. Hinc aperitur via dubitandi, an realis futurorum præſentia in æternitate conducat ad certitudinem divinæ cognitionis: quare ſit.

§. III.

An præſentia futurorum in æternitate requiratur, ut Deus certò illa cognoſcat?

VIII. Dum diximus, *Deum certò cognoſcere futura contingentia, quia cognoſcit illa ut præſentia in æternitate*, non intendimus, quòd ipſa præſentia futurorum ſit objectum immediatum, vel medium, in quo futura cognoſcat: dicemus enim, Deum non cognoſcere futura (ſicut de quacumque creatura jam diximus) immediatè in ſe ipſis: ſed intendimus, quòd Deus videns ſuam æternitatem, ſeu ſuam eſſentiam ut determinatam æternitate, videat omnia, quæ in æternitate exiſtunt, & proinde etiam futura; ſicut dicemus, quòd videns ſua decreta, ſeu ſuam eſſentiam determinatam per decretum, quo ſtatuit, hoc aliquando fore, videat futurum.

IX. Difficultas eſt, an hæc præſentia futurorum in æternitate ſit conditio neceſſariò requiſita, ut cognitio Dei certa, & infallibilis ſit: an verò ſolùm requiratur, ut cognitio Dei ſit invariabilis? in quo non concordes invenio D. Thomæ Diſcipulos; Quid autem ſentiam, ſequentibus breviter exponam.

X. Dico primò. Præſentia futurorum in æternitate eſt ſufficiens ad fundandam in Deo cognitionem certam, & infallibilem de illis. Eſt expreſſa S. Doctoris, cujus ratione ſupra relatâ prob. Id eſt ſufficiens ad fundandam cognitionem certam, & infallibilem de futuris contingentibus, quod facit, ut cognoſcantur, non quatenus contingentia ſunt ad eſſe, vel non eſſe, ſed ut determinata ad eſſe, ſeu quod ea repræſentat in medio, non indifferenter, ſed determinatè ea continente; ſed futura cognita ut præſentia in æternitate, non cognoſcuntur ut contingentia, ſed ut determinata ad eſſe, & æternitas eſt medium ea determi-

naiè continens; ergo futura viſa in æternitate præſentia fundant cognitionem certam, ac infallibilem de illis. Sicut qui ab alta turri ſimul videns omnes ſucceſſivè tranſeuntes per viam, quia omnes habet præſentes, certam de illis habet cognitionem. Exemplum eſt S. Thomæ *hûc art. 13. ad 3.*, *& qu. 2. de verit. art. 12.*

XI. Confirmo ex eodem D. Thom. Ideò qui cognoſcit contingentia, ut futura in ſua cauſa proxima contingente, ea non cognoſcit certò, ſed ſolùm conjecturaliter, quia ea cognoſcit in cauſa, & medio contingente, & ſe habente ad oppoſita; ſed futura cognita, ut præſentia in æternitate, cognoſcuntur, non in medio indifferente, ſed determinatè continente futura, ut præſentia; ergo futura ſic cognita ſubduntur infallibili, ac certæ cognitioni.

XII. Dico ſecundò. Præſentia futurorum in æternitate non eſt unicum medium, in quo Deus poſſit illa certò, ac infallibiliter cognoſcere. Quare licèt per impoſſibile in æternitate præſentia non eſſent, adhuc in alio medio certò, & infallibiliter ea cognoſceret, nempe in ſuo decreto æterno, & immutabili, ut ſuo loco dicemus. Hanc quoque indicat S. Thomas hôc *art. 13.* his verbis: *Omnia, quæ ſunt in tempore, ſunt Deo ab æterno præſentia, non ſolùm eâ ratione, quâ habet rationes rerum apud ſe præſentes, ſed quia ejus intuitus fertur ab æterno ſupra omnia, prout ſunt in ſua præſentialitate.* Ubi D. Thomas, præter modum cognoſcendi futura ratione præſentialitatis phyſicæ in æternitate, ſupponit alium modum certò cognoſcendi ea, ut objectivè præſentia in earum rationibus, ſeu ideis, quas in ſe habet, non abſolutè ſumtis, ſed adjuncto decreto de illis producendis.

XIII. Confirmatur hoc ex eodem S. Doctore *qu. 3. de verit. art. 6.*, ubi docet, omnium ideas eſſe in Deo, & in ſuis ideis omnia habere, etiam ea, quæ nec ſunt, nec fuerunt, nec erunt, aliter tamen, & aliter. Nam *ad ea, quæ ſunt, vel erunt, vel fuerunt producenda, determinatur ex propoſito divinæ voluntatis, non autem ad ea, quæ nec ſunt, nec erunt, nec fuerunt.* Ergo ea, quæ ſunt, vel erunt, vel fuerunt, poteſt cognoſcere in ſuis ideis, ut per decretum determinatis. Sed de his infra. Quapropter quando S. Thomas pro adſtruenda certitudine divinæ cognitionis circa futura contingentia recurrit ad eorum præſentiam in æternitate, non intendit excludere omne aliud medium infallibile, & præſertim ſuam eſſentiam, vel rationes rerum per decretum factas illi præſentes, ſed ſolùm cauſas proximas contingentes, quæ præciſâ quâcumque determinatione, & ſecundùm ſe ſumtæ indifferentes ſunt ad utrumlibet. Unde rationem reddens ait: *quia cauſa contingens ſe habet ad oppoſita. Unde quicumque cognoſcit effectum contingentem in ſua cauſa tantùm* [ideſt nondum determinata] *non habet de eo, niſi conjecturalem cognitionem.*

XIV. Dico tertiò. Præſentia phyſica futurorum in æternitate neceſſariò requiritur, ut Deus habeat de illis invariabilem notitiam. Hanc docet D. Auguſtinus *lib. 2. quæſt. ad Simplician. quæſt. 2.* dicens: *Quid eſt enim præſcientia, niſi ſcientia futurorum? Quid autem futurum eſt Deo, qui omnia ſupergreditur tempora? Si enim ſcientia Dei res ipſas habet, non ſunt ei futura, ſed præſentes; ac per hoc non jam præſcientia, ſed tantùm ſcientia dici poteſt. Si autem ſicut in ordine temporalium creaturarum, ità & apud eum, nondum ſunt, quæ futura ſunt, ſed ea prævenit ſciendo, bis ergo ea ſentit: Uno quidem modo ſecundùm futurorum præſcientiam: altero verò ſecundùm præſentium ſcientiam. Aliquid ergo temporaliter accedit ſcientiæ Dei; quod abſurdiſſimum, atque falſiſſimum eſt. Nec enim poteſt, quæ ventura prænoſcit, noſſe, cùm venerint, niſi bis innoteſcant; & prænoſcendo, antequam ſint, & cognoſcendo, cùm jam ſunt. Ità ſit, ut*

[*quod*

[*quod longe à veritate ſeclusum eſt*] *temporaliter aliquid accedat ſcientiæ Dei, cùm temporalia, quæ præſciuntur, etiam præſentia ſentiuntur, quæ non ſentiebantur antequam fierent, ſed tantummodo præſciebantur.*

XV. Ex his pulcherrimis S. Auguſtini verbis formatur hic diſcurſus. Si futura contingentia toto tempore futuritionis eſſent, ac cognoſcerentur à Deo, ut futura, & ſolum eſſent, ac cognoſcerentur ab ipſo, ut præſentia, quando in tempore adveniunt, jam bis ea cognoſceret: uno quidem modo ut futura per præſcientiam ab æterno, & toto futuritionis tempore: alio autem modo per ſcientiam in tempore, cùm fiunt exiſtentia; & inſuper, dùm in tempore, quæ futura erant, fiunt exiſtentia, aliquid temporaliter accideret divinæ ſcientiæ: mutaretur enim de præſcientia in ſcientiam, de abſtractiva in intuitivam; ſed hoc abſurdiſſimum reputat Auguſtinus; ergo præſentia futurorum Deo in æternitate neceſſaria eſt, ne ſcientia Dei mutetur.

XVI. Urgetur, & præoccupatur reſponſio. Ex eo, quòd Deus bis cognoſcat futura, uno modo antea, ut futura, alio modo poſt, nempe ut præſentia, vel Deo accedit novus modus intrinſecus cognoſcendi ea, ſeu nova cognitio, vel accedit ei ſolùm nova extrinſeca denominatio. Si dicas primum; ergo concedis in Deo, quod abſurdiſſimum reputat Sanctus Auguſtinus. Si verò dicas ſecundùm; ergo ex eo, quòd Deus bis cognoſcat futura, nullum ſequitur abſurdum contra mentem Auguſtini.

XVII. Confirmatur primò. Eo ipſo, quòd Anti-Chriſtus non ſit ab æterno præſens Deo, Deus format judicium, quo affirmat, Anti-Chriſtum eſſe ſibi futurum; ſed hoc judicium nequit ſubſiſtere, adveniente tempore Anti-Chriſti; ergo deficeret hoc judicium Deo, & adveniret aliud Judicium, quo affirmaret, Anti-Chriſtum non eſſe ſibi ampliùs futurum, ſed præſentem. Sicut ergo, ſi Deus decerneret aliquid in tempore aliter ac ab æterno decreviſſet, ex quo creatura fieret in tempore de poſſibili futura, ſequeretur mutatio, nedùm ex parte creaturæ, ſed etiam ex parte divinæ voluntatis; ità ſi Deus judicaret aliter in tempore ac judicavit ab æterno, ex quo creatura de futura facta ſit præſens, jam ſequeretur mutatio, nedùm ex parte creaturæ, ſed etiam ex parte ſcientiæ divinæ.

XVIII. Confirm. ſecundò. Relatio ſcientis ad ſcitum, ſicut & volentis ad volitum, non terminatur ad ſcitum, & volitum, ut eſt in ſe ipſo, ſed ut eſt in ſciente, & volente; ergo ſi res, ut eſt in ſcientia Dei, variaretur, nimirùm modò eſſet à Deo ſcita, ut ei futura, modò ut ei præſens, variaretur non ſolùm res ſcita, ſed etiam ſcientia. Ant. eſt D. Thomæ *hâc quæſt. 14. ar. 15. ad primum*, ubi ſtatuens differentiam inter relationem ſcientis, & relationem Domini, & Creatoris: *Dominus* [inquit] *& Creator, & hujuſmodi important relationes ad creaturas, ſecundùm quòd in ſe ipſis ſunt. Sed ſcientia Dei importat relationem ad creaturas, ſecundùm quòd ſunt in Deo; quia ſecundùm hoc eſt unumquodque in actu, ſecundùm quòd eſt in intelligente. Res autem creatæ ſunt in Deo invariabiliter, in ſe ipſis autem variabiliter.*

XIX. Sed dices primò. Deus ſcivit, Chriſtum naſciturum, nunc autem non ſcit, Chriſtum naſciturum, quia Chriſtus naſciturus non eſt, ſed natus; ergo non quidquid Deus ſcivit, ſcit.

Reſpondeo ex D. Thom. *art. 15. cit. ad 3.*, & *qu. 2. de verit. art. 13. ad 7.*, conſequens eſſe verum, *ſi ad enuntiabilia referatur: ſed ex hoc non ſequitur, quòd ſcientia Dei ſit variabilis. Sicut enim abſque variatione divinæ ſcientiæ eſt, quòd ſciat, unam, & eandem rem quandoque eſſe, & quandoque non eſſe; ità abſque variatione divinæ ſcientiæ eſt, quòd ſcit, aliquid enuntiabile*

quandoque eſſe verum, & quandoque eſſe falſum, quia [ut ait qu. 2. de verit. cit. ad 7.] *ſimul intuetur utrumque tempus, quo utrumque enuntiabile eſt verum*. Quod in ſententia contraria non accideret: ut enim probatum eſt, cognitio, quâ Deus cognoſceret Chriſtum, ut natum, eſſet diverſa ab ea, quâ cognovit eundem, ut naſciturum.

XX. Dices ſecundò. Si ablatâ præſentiâ futurorum in æternitate non ſtat invariabilitas, & immutabilitas divinæ ſcientiæ, neque ſtabit certitudo, & infallibilitas ejuſdem; ſed hoc eſt contra dicta concluſione præcedente, ergo &c. Major prob. Nam non poteſt ſtare omnimoda certitudo divinæ cognitionis, ſi ad mutationem objecti illa mutetur.

XXI. Reſpondetur, neg. maj., cujus oppoſitum oſtendunt aſſenſus fidei, & cognitio prophetica, quæ licèt variabilis ſit, & mutabilis ratione objecti, dum illi tranſit de futuro in præſens, habet tamen omnimodam certitudinem, & infallibilitatem ex medio, in quo fundatur, divinâ nempe revelatione, quæ eſt veluti quædam impreſſio, & participatio divinæ ſcientiæ, ejuſque certitudinis, ut docet D. Thom. 2. 2. *qu.* 171. *art.* 6. *in corp.*, & *ad* 1. Unde, quamvis ſublatâ præſentiâ futurorum coram Deo in æternitate, immutabilitas divinæ ſcientiæ, imò & ipſius æternitatis non ſubſiſteret, ſubſiſteret tamen certitudo ſcientiæ divinæ, quia hæc fundatur in decreto divinæ voluntatis, quod adhuc fixum, & immutabile manere poſſet, etſi mutaretur ſcientia ad mutationem objecti; eſto enim mutatâ divinâ ſcientiâ per conſequentiam materialem ſequeretur mutatio omnium prædicatorum divinorum, mutatâ tamen ſcientiâ non ſequeretur per conſequentiam formalem mutatio in Decreto: licèt enim aliâ cognitione Deus cognoſceret futurum, aliâ præſens, eâdem tamen voluntate immobiliter permanente, poſſet adhuc velle, hoc uno tempore eſſe futurum, alio præſens, nunc fieri hoc, & poſtea fieri contrarium, ut docet D. Thom. 1. *p. qu.* 19. *art.* 7.

XXII. Dico quartò. Præſentia phyſica futurorum in æternitate neceſſariò requiritur, ut Deus illa intuitivè cognoſcat. Hoc aſſertum tetigimus *qu.* 4. *dub.* 2. §. 4. Nunc probo ex D. Thom. *qu.* 3. *de verit. art.* 3. *ad* 8., ubi dicit, quòd ſimplex notitia excludit *admixtionem ejus, quod eſt extra genus notitiæ, ſicut eſt exiſtentia rerum, quam addit ſcientiæ viſionis*. Ex quibus ſic formo rationem. Ut Deus ab æterno cognoſcat futura contingentia intuitivè, & ſcientiâ viſionis, ut diſtinctâ à ſimplici notitia, neceſſariò requiritur, quòd illi ſint exiſtentia per exiſtentiam, quæ ſit extra genus notitiæ; ſed talis exiſtentia non eſt ea, quæ purè eſt objectiva, hâc enim exiſtit etiam objectum ſimplicis notitiæ, ſed eſt exiſtentia realis, & phyſica; ergo hâc gaudere debent futura, ut à Deo ſcientiâ intuitivâ ab æterno videantur; ſed hâc non gaudent ab æterno in ſe ipſis; ergo eâ gaudere debent in æternitate præcontentâ.

XXIII. Confirmatur. Quod eſt futurum, vel præteritum, non eſt phyſicè præſens, ſed abſens: eſto enim concernat exiſtentiam, eam tamen reſpicit, illud ut habendam, iſtud ut jam habitam, nam futurum nunc non eſt, ſed erit, præteritum nunc non eſt, ſed fuit; ſed quod actu exercitè non eſt exiſtentiâ, quæ ſit extra genus notitiæ, nempe reali, & phyſicâ, non eſt objectum notitiæ intuitivæ, & ſcientiæ viſionis: cognitio namque prophetica, quamvis terminetur ad futura, ut objectivè in mente Prophetæ præſentia, quia tamen non ſunt Prophetæ phyſicè præſentia, cognitio Prophetica intuitiva non eſt, ſed abſtractiva; ergo &c. Sic ergo de ratione intuitionis eſt habere objectum præſens, ſicut de ratione gaudii habere bonum poſſeſſum; ſed ad gaudium requiritur bonum actu realiter poſſeſſum, & non ſolum in apprehenſione, nec ſufficit bonum poſſidendum; ergo ad viſio-

nem,

Digitized by Google

nem, ſeu intuitionem non ſat erit objectum eſſe videnti objectivè præſens, niſi etiam ſit præſens realiter.

XXIV. Tandem oſtenditur ſæpe dicto exemplo, quo nititur D. Thomas. Tranſeunti per aliquam viam poſſunt eſſe objectivè præſentes, & qui ante ipſum tranſierunt, & qui poſt ipſum tranſituri ſunt: & tamen ſolus ille dicitur propriè videre illos, cui, utpote eos contemplanti ex alta ſpecula, omnes ſunt etiam phyſicè præſentes; ergo ad viſionem non ſufficit, ut objectum ſit objectivè præſens videnti, niſi ſit etiam phyſicè.

XXV. Dices. Si dùm cognoſco Petrum abſentem, ejus eſſentiam, & exiſtentiam per propriam ſpeciem, Petrus fiat mihi phyſicè præſens, manebit eadem cognitio; ſed poſitâ Petri præſentiâ, erit intuitiva; ergò & ante intuitiva erat.

Urgeo. Cognitio infuſa Titio exiſtenti Bononiæ de Joanne exiſtente Romæ attingens quidditatem ejus, ac cætera accidentia, eſſet intuitiva, & tamen objectum non eſſet Titio phyſicè præſens; ergo &c.

XXVI. Reſpondeo primò in ſententia eorum, qui notitiam intuitivam ſpecie eſſentiali diſtinguunt ab abſtractiva, negando maj. Mihi enim adveniente Petro, & facto phyſicè præſenti, exurgit in me nova cognitio, quæ ſit intuitiva, diſtincta à priori abſtractiva. Reſpondeo ſecundò in ſententia illorum, qui volunt, notitiam abſtractivam, & intuitivam diſtingui ſolùm accidentaliter, eò quia notitia intuitiva ſolùm addit ſupra abſtractivam aliquid extra genus notitiæ, nempe phyſicam exiſtentiam, Conceſſis præmiſſis, neg. conſ. Sicut enim non valet. Si, dum, Petrô ſedente, affirmo, Petrum ſedere, Petrus à ſeſſione ceſſet, & ſurgat, manet eadem propoſitio formalis; ſed, Petrô à ſeſſione ceſſante, eſt falſa; ergo erat falſa, Petro ſedente. Ità non valet. Si, dùm cognoſco Petrum abſentem, Petrus fiat præſens, manet eadem numero cognitio; ſed, Petro facto præſente, eſt intuitiva; ergo & priùs.

Ad id, quod urgetur, admiſſo antecedente, nego conſequentiam. Nam Joannes exiſtens Romæ, eſto non eſſet Petro exiſtenti Bononiæ præſens localiter, eſſet tamen in ſe abſolutè phyſicè exiſtens, ideòque poſſet per ſpeciem infuſam Titio intuitivè repræſentari; ſecus de eo, qui nec localiter, nec abſolutè in ſe foret exiſtens.

Adverto demùm, quòd eſto futura ſint Deo phyſicè præſentia in æternitate, ſumta non adæquatè, ſed inadæquatè, ut nimirùm æquivalet tempori, quo de facto exiſtent, quia tamen illa differentia temporis ſemper Deo præſens eſt, licèt non pro ſemper, ideò ſemper à Deo videtur, & cum eâ omnia, quæ in illa ſunt extitura, Deo ſemper præſentia ſunt.

§. IV.

An Scientia Dei de futuris contingentibus ſalvet eorum contingentiam?

XXVII. Modus hic ſolutu difficillimus ſemper viſus eſt nedum Theologis, & Patribus, ſed peritioribus Philoſophis, quorum aliqui, ut ponerent in Deo præſcientiam, à rebus ſuſtulere contingentiam, & omnia neceſſitate evenire dixerunt; alii, ne à rebus contingentiam tollerent, negarunt Deo præſcientiam, ut ſupra tetigimus. A nobis utrumque conciliandum eſt. Nimirùm & præſcientia in Deo ſtatuenda, & contingentia rerum ſalvanda.

XXVIII. Dico ergo: Divina præſcientia, ſeu ſcientia de futuris contingentibus, eſto infallibilis, non deſtruit rerum contingentiam; & probatur. Quotieſcumque, eſto cauſa prima, & univerſalis ſit neceſſaria, & neceſſariò inferens effectum, cauſa tamen proxima contingens eſt, effectus contingenter evenit, non neceſſariò; ſed eſto ſcientia Dei de contingentibus neceſſaria, & infallibilis ſit, cauſæ tamen

tamen proximæ ſunt contingentes; ergo effectus contingenter eveniunt. Maj. probatur. Effectus enim contingens à cauſa univerſali non præſcitur, niſi ut ponendus à cauſa proxima. & ſub eadem præſcientia, ſub qua cadit effectus contingenter futurus, cadit etiam ordo cauſarum, à quibus, & per quas proximè ponendus eſt. Ità diſcurrit D. Thomas tum 1. *p. qu.* 14. *art.* 13., tùm *qu.* 2. *de verit. art.* 14. *in c. & ad* 5.

XXIX. Eodem ferè modo diſcurrit S. Auguſtinus *lib.* 5. *de Civit. Dei c.* 9., ubi ex quo præſciat Deus non ſolùm, quod futurum eſt, ſed etiam cauſas proximas, quibus in eſſe ponitur, arguit, quòd contingenter futura præſciat, quæ ex cauſis proximis contingenter futura ſunt: *Non eſt autem* [inquit] *conſequens, ut ſi Deo certus eſt omnium ordo cauſarum, ideò nihil ſit in noſtra voluntatis arbitrio. Et ipſæ quippe noſtræ voluntates in cauſarum ordine ſunt, qui certus eſt Deo, ejuſque præſcientiâ continetur, quoniam & humanæ voluntates humanorum operum cauſa ſunt. Atque ità qui omnes rerum cauſas præſcivit, profectò in eis cauſis etiam noſtras voluntates ignorare non potuit, quas noſtrorum operum cauſas eſſe, præſcivit*. Et poſt multa. *Quomodo igitur* [ſubdit] *ordo cauſarum, qui præſcienti certus eſt Deo, id efficit, ut nihil ſit in noſtra voluntate, cùm in ipſo cauſarum ordine magnum habeant locum noſtræ voluntates?*

XXX. Sed audiamus, quibus momentis ducebantur, qui, ne everterent in rebus contingentiam, negabant in Deo præſcientiam. Primò dicebant. Poſitâ in Deo ſcientiâ de futuris contingentibus, ſequitur, vel quòd ſcientia Dei ſit fallibilis, vel quòd ampliùs contingentia non ſint, ſed neceſſaria. Nam futurum à Deo ſcitum, vel poteſt non evenire, & ſic ſcientia Dei poteſt falli, vel non poteſt non evenire, & ſic non eſt contingens, ſed neceſſarium.

Reſpondet D. Thom. *quæſt.* 2. *de verit. art.* 12. *ad* 2., negando, ſequi utrumque inconveniens allatum. Nam Deus cognoſcit futurum, non ut futurum, quo pacto eſt contingens, & potens non evenire, ſed ut præſens, quo pacto eſt determinatum ad eſſe, unumquodque enim ex quo eſt, determinatè eſt, & neceſſe eſt eſſe. *Non tamen ſequitur* [inquit D. Thom.] *quòd ſimpliciter dicatur neceſſarium: nec quòd ſcientia Dei fallatur, ſicut & viſus meus non fallitur, dùm video, Petrum ſedere, quamvis hoc ſit contingens*.

Aliter reſponderi poteſt, quòd eſto futurum, ut ſtat ſub ſcientia Dei, non poſſit non evenire, abſolutè tamen poteſt non evenire; ex quibus primum ſatis eſt, ut ſcientia Dei non ſit fallibilis: ſecundum verò, ut futurum contingenter exiſtat.

XXXI. Dicebant ſecundò. Si ſcientia Dei eſt infallibilis reſpectu alicujus objecti, non poteſt terminari ad illud aliter ac terminatur; ergo objectum non poteſt aliter evenire.

Reſpondet D. Thom. *in* 1. *diſt.* 39. *q.* 1. *art.* 1. *ad* 3., quòd ſi Deus ſcivit aliquid, non poteſt aliter ſcire, non abſolutè, ſed ex ſuppoſitione, quòd ſcivit, & voluit: quia ſcientia ejus eſt immobilis, & voluntas immutabilis, & ſic res ex hac ſuppoſitione, quòd ſit ſcita, non poteſt aliter evenire; quod neceſſitatem abſolutam non infert. *Illud, quod eſt* [ait D. Thom. laudatus] *neceſſe eſt eſſe, dùm eſt; abſolutè tamen loquendo, non neceſſe eſt eſſe; ità & Deo ſcire neceſſe eſt, dùm ſcit: non tamen neceſſe eſt eum ſcire, niſi neceſſitate immobilitatis, quæ voluntatis libertatem non excludit; & hæc libertas ſignificatur, cùm dicitur, quòd Deus poteſt hoc non ſcire, vel non velle*.

XXXII. Dicebant tertiò. In omni conditionali, cujus antecedens eſt neceſſarium abſolutè, conſequens eſt neceſſarium abſolutè; ſed hæc eſt quædam conditionalis vera, *ſi Deus ſcivit, hoc contingens futurum eſſe, hoc erit*, quia ſcientia Dei non eſt niſi verorum:

rum: Hujus autem conditionalis antecedens neceſsarium eſt abſolutè, tùm quia eſt æternum, tùm quia ſignificatur, ut præteritum; ergo & conſequens eſt neceſſrium abſolutè. Maj. probatur. Sic enim ſe habet antecedens ad conſequens, ſicut principia ad concluſionem; ſed ex principiis neceſſariis non ſequitur concluſio, niſi neceſſaria; ergo &c.

Confirmatur. Si Deus præſcit infallibiliter Petri fletum poſt negationem, nequit Petrus tollere illud antecedens, nempe quòd Deus ſciverit illum fletum; ergo neque poteſt tollere illum fletum: in bona enim conſequentia, qui non poteſt tollere antecedens, neque poteſt tollere conſequens; ergo fletus Petri non erit contingens.

XXXIII. Reſpondet D. Thomas huic argumento, quod ſibi objicit, tùm hòc *art. 13.*, & eſt 2., tùm *qu. 2. de verit. art. 12.*, & eſt 7., negando abſolutè min. Nam hoc antecedens *Deus ſcivit* non eſt neceſſarium abſolutè, potuit enim Deus non ſcire, hoc contingens eſſe futurum, ſed ſolùm ex ſuppoſitione, nempe, cùm ſciverit, neceſſe eſt, ut ſciat, quia ſcientia ejus eſt invariabilis, & immobilis, ſicut & voluntas. Hoc eodem modo neceſſarium eſt, eſſe futurum id, quod eſt à Deo ſcitum futurum, neceſſarium inquam, non abſolutè, ſed ut ſubeſt divinæ ſcientiæ, ſeu ut illatum ex illo antecedente *Deus ſcivit*: cum quo optimè ſtat, quòd abſolutè, & in ſe ſit contingens. *Quando enim* [ait D. Th. hìc ad 2.] *in antecedente ponitur aliquid pertinens ad actum animæ, conſequens eſt accipiendum, non ſecundùm eſſe, quod in ſe eſt, ſed ſecundùm quòd eſt in anima. Aliud enim eſt eſſe rei in ſe ipſa, & eſſe rei in anima. Ut puta ſi dicam: ſi anima intelligit aliquid, illud eſt immateriale, intelligendum eſt, quod illud eſt immateriale, ſecundùm quòd eſt in intellectu, non ſecundùm quòd eſt in ſe ipſo. Et ſimiliter ſi dicam: ſi Deus ſcivit aliquid, illud erit: conſequens intelligendum eſt, prout ſubeſt divinæ ſcientiæ, ſcilicet pro ut eſt in ſua præſentialitate: & ſic neceſſarium eſt, ſicut anteeedens: Quia*: omne, quod eſt, dùm eſt, neceſſe eſt eſſe, *ut dicitur 1. Periermenias cap. 6.* Eodem modo reſp. *qu. 2. de verit.* citatâ *art. 12. ad 7.*

XXXIV. Hinc ad confirm., diſt. conſequens: ergo neque poteſt tollere illum fletum, ut ſubeſt illi antecedenti, conc. conſequent.; abſolutè, nego conſequentiam. Qui enim non poteſt tollere antecedens inferens infallibiliter conſequens, eſto non poſſit tollere conſequens, ut ſubeſt illi antecedenti, poteſt tamen illud tollere abſolutè, & in ſe: quia, cùm in antecedente ponitur aliquid pertinens ad actum animæ, conſequens debet accipi ſecundùm eſſe, quod habet in anima, non ſecundùm eſſe, quod habet in ſe; & maximè ſi antecedens inferat conſequens, ut liberè ponendum, ſicut in caſu de fletu D. Petri: tunc enim licèt fletus ut à Deo ſcitus ſit neceſſariò ponendus, neceſſitate conſequentię, ut tamen in re ponendus à voluntate D. Petri, eſt ponendus liberè, ſic, ut poſſit abſolutè non poni.

XXXV. Dicebant quartò. Omne ſcitum à Deo neceſſe eſt eſſe; ſed nullum contingens futurum neceſſe eſt eſſe; ergo nullum contingens ſcitur à Deo.

XXXVI. Confirmatur. Ex una majori neceſſaria, & alia minori *de ineſſe* ſequitur concluſio de neceſſitate, ut patet in hoc ſyllogiſmo: omne ſcitum à Deo neceſſe eſt eſſe verum; ſed *Petrus curret* ſcitur à Deo; ergo neceſſe eſt, eſſe verum, quòd Petrus curret; ergo ſcientia Dei tollit contingentiam.

XXXVII. Reſpondetur diſtinctione ſuperiùs datâ, concedendo maj. de ſcito ut ſcito, & ut dicit ordinem ad ſcientem, negando verò maj. de re, quæ eſt ſcita. Pro majori tamen intelligentia advertit S. Thomas hìc *ad 3.*, & citatâ *qu. 2. de verit. art. 12. ad 4.*, quòd hæc propoſitio *omne ſcitum à Deo eſt*

Digitized by Google

eſt neceſſarium conſuevit diſtingui : aut enim eſt *de re*, aut *de dicto*. Si intelligatur de re, eſt diviſa, & falſa : & eſt ſenſus : *Omnis res, quam Deus ſcit, eſt neceſſaria*. Si intelligatur *de dicto*, eſt compoſita, & vera : & eſt ſenſus : Hoc dictum *ſcitum à Deo eſſe eſt neceſſarium ut ſit*, quia non poteſt eſſe, quòd Deus ſciat aliquid eſſe, & illud non ſit.

XXXVIII. Sed obſtant quidam dicentes, hanc diſtinctionem locum habere in formis ſeparabilibus à ſubjecto, & quæ ſibi invicem ſuccedere poſſunt in ſubjecto, ut ſi dicam, *album poſſibile eſt eſſe nigrum*, quæ quidem *de dicto* eſt falſa, & *de re* eſt vera : res enim, quę eſt alba, poteſt eſſe nigra, quia ab ea ſeparari poteſt albedo, & ſuccedere nigredo ; Non tamen habet locum in formis inſeparabilibus à ſubjecto, ut ſi de corvo dicas, *Corvum nigrum poſſibile eſt eſſe album* : hæc enim ſive ſumatur *de dicto*, ſive *de re* falſa eſt. Atqui eſſe ſcitum eſt inſeparabile à re, quia, quod eſt ſcitum à Deo, non poteſt eſſe non ſcitum, vel ſcitum, & poſtea neſcitum ; ergo &c.

XXXIX. Reſpondeo ex D. Thom. laudatis locis, diſcurſum factum vim habiturum, ſi *hoc, quod dico ſcitum, importaret aliquam diſpoſitionem* ex natura rei *ſubjecto inhęrentem*, ſicut nigredo eſt diſpoſitio ex natura rei inhęrens corvo. *Sed cùm importet actum ſcientis, ipſi rei ſcita extrinſecum [licèt ſemper ſciatur] poteſt aliquid attribui ſecundùm ſe, quod non attribuitur ei, in quantum ſtat ſub actu ſciendi. Sicut eſſe materiale attribuitur lapidi ſecundùm ſe, quod non attribuitur ei, ſecundùm quòd eſt intelligibile.* Addit idem S. D. qu. 2. de verit. cit. ad 4., *quòd quamvis ſcientia Dei invariabilis ſit, & ſemper eodem modo : tamen diſpoſitio, ſecundùm quam res refertur ad Dei cognitionem invariabilem, non ſemper eodem modo ſe habet ad ipſam ; refertur enim res ad Dei cognitionem, ſecundùm quòd eſt in ſua prꝧſentialitate, prꝧſentialitas autem rei non ſemper ei convenit : unde res poteſt accipi cum tali diſpoſitione, vel ſine ea, & ſic per conſequens poteſt accipi illo modo, quo refertur ad Dei cognitionem, vel alio modo.*

Ad confirm. eodem modo dico, quòd hęc propoſitio, *omne ſcitum à Deo neceſſe eſt, eſſe verum*, ſi eſt *de dicto*, facit ſenſum compoſitum, & eſt vera, non enim poteſt eſſe, quòd Deus ſciat aliquid eſſe, & illud non ſit : ſi verò *de re*, facit ſenſum diviſum, & eſt falſa, quia falſum eſt, quòd omnis res à Deo ſcita, ſit neceſſaria.

XL. Dicebant tandem. Poſitâ ſcientiâ Dei de his futuris, tollitur de medio humana cura, ſi enim Deus aliquid prꝧſcivit fore, illud erit, ſive humana cura adhibeatur, ſive non.

Hoc argumentum inferiùs tractabitur ; Interim reſpondeo ex doctrina Sancti Auguſtini ſupra relata : quòd ſicut Deus præſcivit, futura videlicet, ità prꝧſcivit etiam curam, & diligentiam humanam, & cætera media, quibus ſuo tempore in eſſe ponentur ; ſicut enim præſcivit meſſem hoc anno colligendam, ità labores, & ſudores ruſticorum in colenda terra, ſeminando, & metendo, præſcivit. Quare tantùm abeſt, quòd divina præſcientia tollat de medio humanam curam, quin potiùs illam inferat. Quæ hactenus dicta ſunt de præſcientia circa contingentia, viam parant ad ea, quę inferiùs de divinis decretis dicturi erimus. Eapropter benè notanda ſunt.

In præſenti tota controverſia inter Nos, & Moliniſtas vertitur in deſignando medio, in quo Deus cognoſcat futura contingentia. Hoc in ſequentibus tractabimus.

DU-

Digitized by Google

DUBIUM II.

An Deus cognoſcat futura contingentia abſoluta in ſua eſſentia, & divinis ideis pro priori ad ſuum decretum exercitè exiſtens?

§. I.

Non cognoſcit in Eſſentia pro priori ad decretum.

I. Dico primò. Deus non poteſt cognoſcere futura contingentia abſoluta in ſua Eſſentia habente rationem Ideæ pro priori ad decretum ſuæ voluntatis exercitè exiſtens. Probatur. Eſſentia divina, ſive per modum ſpeciei, ſive per modum ideæ conſiderata, pro priori ad decretum exercitè exiſtens non repræſentat futura contingentia; ergo non poteſt Deus ea cognoſcere in ſua eſſentia pro illo priori. Anteced. prob. Primò ex D. Thoma *qu. 3. de Verit. art. 6.*, ubi ait. *Idea propriè dicta reſpicit practicam cognitionem, non ſolùm in actu, ſed in habitu. Unde cùm Deus de his, quæ facere poteſt, quamvis nunquam ſint facta, nec futura, habeat cognitionem virtualiter practicam, relinquitur, quòd idea poſſit eſſe ejus, quod nec eſt, nec fuit, nec erit; non tamen eodem modo, ſicut eſt eorum, quæ ſunt, vel erunt, vel fuerunt. Quia ad ea, quæ ſunt, vel erunt, vel fuerunt producenda, determinatur ex propoſito divinæ voluntatis, non autem ad ea, quæ nec ſunt, nec erunt, nec fuerunt, & ſic hujuſmodi habent quodammodo indeterminatas ideas.* Tunc ſic; ſed idea divina pro priori ad decretum non concipitur, ut determinata ad producenda futura, ſed ut indeterminata, cùm ſolùm determinetur per propoſitum ſuę voluntatis; ergo pro illo priori non repræſentat determinatè futura contingentia.

Secundò. Omnis repręſentatio divinę eſſentiæ pro priori ad decretum liberum eſt omnino neceſſaria, quia decretum eſt primum prædicatum formaliter liberum; ergo ſi pro illo priori repręſentarentur, repręſentarentur neceſſariò futura, & non eſſent contingentia.

Tertiò. Id, quod non eſt futurum, nequit ut futurum ab Eſſentia divina repræſentari, neque ut tale à Deo cognoſci: *Quomodo enim rectè dicitur præſciri futurum, quod non eſt futurum?* [inquit S. Auguſt. *lib. 1. de anima, & ejus origine c. 12.*]; ſed pro priori ad decretum nihil eſt, aut poteſt concipi, ut futurum; ergo &c. Min. ex dicendis conſtabit. Effectus enim nequit præcedere, aut prævię cognoſci ad cauſam; ſed decretum Dei ſicut eſt prima cauſa, quare res ſit, ità eſt prima cauſa, quare res contingens, utpote indifferens, potiùs futura ſit, quàm non futura; ergo &c.

II. Ex hoc præcluditur ratio præcipua contrariæ ſententiæ volentis, quòd divina eſſentia pro priori ad decretum repræſentet futura contingentia, quia eſt infinita in repræſentando. Procedit enim ex falſo ſuppoſito, nempe quòd pro illo priori res ſit, vel concipiatur futura; at cùm pro eo ſigno res non ſit futura, ſed contingens ad utrumlibet, quomodo poterit eſſentia divina repræſentare, ut futurum, quod non eſt futurum? Equidem eſſentia divina in repræſentando eſt infinita: ſed eſt etiam vera; atqui ſi repræſentaret futurum, quod futurum non eſt, repræſentaret falſum, & divinus intellectus ſi cognoſceret, falſum cognoſceret; ergo &c. Nec tamen proinde tollitur, quin etiam pro illo priori ſit infinita in repræſentando, repræſentat enim quidquid pro eo priori repræſentabile eſt; Quòd autem non repræſentet futurum, non eſt ex defectu ſuę repræſentationis, ſed ex defectu objecti, nempe futuri, quod, cùm pro illo priori nondum ſit, repræſentabile non eſt.

III. Nec valet, ſi dicas, quòd datâ hypotheſi, quòd non eſset cauſa futurorum eſſentia divina, adhuc illa

illa repræſentaret, quia infinita.

Nam hæc hypotheſis deſtruit ſe ipſam. Si namque divina eſſentia non eſſet cauſa futurorum, non eſſet idea, nec haberet rationes illorum. Quomodo ergo ea repræſentaret? repræſentaret, quia infinita, non repræſentaret, quia eorum idea non eſſet.

IV. Ergo (inquies) eſſentia divina eſt idea futurorum; ergo ea præciſo quocumque decreto repræſentat.

Reſpondeo ex D. Thom. *cit. quæſt.* 3. *de verit. art.* 6., quòd eſſentia divina aliter eſt idea rerum ante decretum, aliter ſuppoſito decreto. Nam ante eſt idea ſolùm in habitu, & indeterminatè, ſolùm autem eſt idea actu, & determinatè repręſentans producenda, ex propoſito ſuę voluntatis. Quare diſting. ſecundum conſequens, ea repræſentat indeterminatè, & in habitu, co. conſequentiam, determinatè, & actu, nego conſequentiam.

V. Replicas. D. Thom. 1. *p. qu.* 14. *art.* 13. loquens de Deo cognoſcente futura contingentia dicit, quòd ea certò cognoſcit, non ſolùm quia habet rationes, ſeu ideas rerum apud ſe pręſentes, ſed etiam quia ipſæ res ſunt ipſi pręſentes. *Non ſolùm* (inquir) *eâ ratione, quâ habet rationes rerum apud ſe præſentes, ſed quia ejus intuitus fertur ab æterno ſupra omnia, prout ſunt in ſua præſentialitate.* Ergo duos modos cognoſcendi admittit, unum in ſuis ideis, alterum in eorum præſentia æternitati.

Reſpondeo, diſt. conſequens, in ſuis ideis jam per propoſitum ſuæ voluntatis determinatis, & factis in actu ad rerum productionem, concedo conſequentiam (ideòque non ſolùm dicit, *quia habet rationes rerum apud ſe*, ſed addit, *præſentes*) in ſuis ideis nondum per propoſitum ſuæ voluntatis determinatis, & factis actu Deo objectivè præſentibus, nego conſequ. Hæc eſt doctrina ejuſdem S. Doct. ſupra relata ex *qu.* 3. *de verit. art.* 5. Intendit ergo S. Doct. in loco adducto aſſignare duplicem modum, quo Deus cognoſcit futura ex duplici eorum præſentia: una quidem objectiva in ideis cognitis, ut determinatis per decretum ad eorum productionem: altera phyſica, quâ ſunt illi in æternitate præſentia.

§. II.

Non in Decreto, ut futuro.

Videntes aliqui, inter quos Suarez, eſſentiam divinam per modum ideæ non eſſe ſufficiens medium in Deo ad certam futurorum contingentium cognitionem, dicunt, ea cognoſcere in ſuo decreto pro illo priori futuro. Contra quos

VI. Dico ſecundò. Deus non cognoſcit futura contingentia abſoluta in ſuo decreto, ut futuro. Prob. Decretum Divinum nequit eſſe, nec concipi futurum; ergo decretum, ut futurum nequit eſſe medium ad cognoſcenda futura. Antec. prob. Primò ex D. Thom. *qu.* 6. *de verit. art.* 3. *ad* 10., ubi de actu prædeſtinationis, qui in ejus ſententia includit actum voluntatis dicit: *Actus prædeſtinationis, cùm menſuretur æternitate, numquam cadit in præteritum, ſicut numquam eſt futurum.*

Secundò ſic. Creaturæ eſto ſint futuræ reſpectu proprię durationis, non tamen ſunt futuræ Deo, neque pro aliquo priori, quia videt illas in ſua æternitate, reſpectu cujus nihil eſt futurum, ſed totum pręſens; ergo multò minùs decreta poſſunt à Deo videri, ut futura, eique futura eſſe, quæ æternitate, ut menſurâ ſibi propriâ menſurantur.

Tertiò. Ut aliquid ſit verè futurum, omnino requiritur, ut de eo verificetur, *nunc non eſt, & poſtea erit*, ut Adverſarii volunt; ſed nullum eſt aſſignabile inſtans, in quo de divino decreto circa futura verificetur, *nunc non eſt, ſed immediatè erit*, cùm ſit æternum; ergo &c.

VII. Reſpondebis, quòd eſto, ut aliquid formaliter, & in re ſit futurum, re-

Digitized by Google

requiratur, ut de eo in aliquo inſtanti reali verificetur *nunc non eſt*, *ſed erit poſtea:* ut tamen aliquid concipi poſſit cum fundamento, ut futurum, ſufficit, quòd pro aliquo priori rationis concipiatur, antecedere ſuam exiſtentiam, ſeu, ut in aliquo priori concipiatur, ut non exiſtens, & in poſteriori exiſtens; ſicut in noſtra ſententia, quâ ſtatuimus actum intentionis, quâ Prædeſtinati eliguntur ad gloriam, præcedere prioritate *in quo* actum electionis meritorum, in eo priori, in quo concipimus actum intentionis, non concipimus actum electionis, ut jam exiſtentem, ſed ut extiturum pro alio poſteriori.

VIII. Sed contra primò. Ut aliquid intelligatur futurum, ut diſtinctum à præſenti, requiritur, quòd in aliquo ſigno concipiatur, ut poſitivè non exiſtens; ſed contra rationem æterni eſt, quòd in aliquo ſigno concipiatur, ut poſitivè non exiſtens: aliàs non conciperetur, ut æternum; ergo &c.

Contra ſecundò. Si Deus in illo priori ad decreta cognoſceret ſua decreta, ut futura, ea cognoſceret in ſua voluntate comprehenſa, & ut determinata ad ea ponenda; ſed pro ſigno antecedente ad decreta voluntas divina non concipitur determinata ad decernendum, ſed prorsùs indifferens ad utrumlibet, cùm non determinetur, niſi per ſuum decretum; ergo &c.

Contra tertiò. Si pro illo priori verificatur, quòd decretum erit; ergo pro illo priori voluntas divina eſt determinata ad decernendum; ſed non determinatur ad decernendum, niſi per decretum; ergo pro illo priori concipitur decretum, ut exiſtens.

Quod confirmo ſic. Voluntas divina pro illo priori ad decreta, vel eſt indifferens; & ſic in ea non poteſt certò, & determinatè cognoſci decretum potiùs futurum, quàm non futurum. Vel eſt determinata; & ſic quæro: an ſit determinata neceſſariò ad decernendum, vel liberè? Si primum; ergo ejus decreta neceſſariò ponentur, non liberè. Si liberè; ergo eſt determinata per propoſitum ſuæ voluntatis; ergo per decretum.

IX. Tandem ſic diſcurro. Vel illud decretum, quod fingitur futurum, eſt ab intrinſeco efficax, & per ſe infallibiliter inferens futuritionem rei, vel ab intrinſeco indifferens? Si primum; ergo jam Deus cognoſcit futura contingentia in ſuo decreto, ſaltem ut futuro. Si ſecundum (quod reverâ dicunt Adverſarii); ergo in eo, ſive futuro, ſive præſenti nequit Deus certò cognoſcere futura: cùm in medio intrinſecè indifferente ad utrumlibet, nequeat aliquid determinatum cognoſci.

X. Neque id, quod adducitur pro exemplo, aut obeſt nobis, aut ipſis favet. Nam primò nos in Deo actum intentionis non diſtinguimus ab actu electionis ex parte Dei, ſed ſolùm ex parte connotatorum, & ex modo concipiendi. Secundò non dicimus, quòd Deus in eo ſigno, quo intendit finem, concipiat electionem mediorum, ut futuram; Sed dicimus, quòd Deus uno, & indiviſibili actu intendit finem, & eligit media: Quia tamen finis, ut intentus, eſt cauſa mediorum, ideò ex noſtro imperfecto modo cognoſcendi concipimus, actum divinum priùs terminari ad finem, quàm ad media, & dùm terminatur ad finem, vocamus intentionem, dùm verò ad media, electionem nominamus. Tolerabiliores tamen eſſemus nos, ſi in ſigno intentionis conciperemus electionem futuram, quia in eo ſigno conciperemus divinam voluntatem determinatam per intentionem ad eligenda media. Verùm Adverſarii in ſigno antecedente decreta non poſſunt in voluntate divina concipere, niſi vel abſolutam neceſſitatem, vel omnimodam indeterminationem, & indifferentiam, ut diximus.

XI. Dices. Deus antequam quidquam decerneret, ſcivit, quid voluntas ſua decretura erat; ergo in ſuo decreto ut futuro potuit futura cognoſcere.

Digitized by Google

ſcere. Anteced. prob. Deus de ſua voluntate pro priori ad decretum cognovit quidquid pro illo ſigno eſt verum; ſed pro illo ſigno eſt verum, quòd divina voluntas decernet, ſeu actum liberum eliciet: nam pro illo ſigno hęc eſt falſa, *voluntas divina non decernet*, ſeu non eliciet actum liberum; ergo iſta vera erit, *voluntas divina eliciet*: quia ex duabus contradictoriis, ſi una eſt falſa, altera debet eſſe vera.

Reſpondeo, neg. ant. Divinum enim decretum, cùm ſit æternum, nunquam potuit cognoſci, ut futurum. Illa autem prioritas, de qua loquimur, cùm ſit prioritas, non durationis, ſed intelligentiæ, non ſufficit ad hoc, ut res cum fundamento concipi poſſit, ut futura: aliàs etiam divina attributa, quæ virtualiter ſunt poſteriora eſſentiâ, & Filius, ac Spiritus Sanctus poſſent pro priori originis eſſe, aut ſaltem concipi, ut futuri.

Ad prob. dico, quòd ſi illud ſignum indicet *nunc*, ſeu inſtans *in quo*, ſeu reale, negativa propoſitio eſt vera: nam voluntas divina non eliciet, quia de facto elicit: & ſic affirmativa, nempe voluntas divina eliciet, eſt falſa. Si verò ratione ſigni intelligatur prioritas illa *à quo*, quâ concipitur divina voluntas ſecundum ſe, ut indifferens ad ponendum, vel non ponendum decretum, in ea neque cognoſci poteſt decretum, ut ponendum, neque ut non ponendum, cum concipiatur in actu primo libera, & nondum ad aliquid determinata. Quare ex illis duabus propoſitionibus nulla eſt determinatè vera, aut falſa, cum objectum illarum determinatè nec ſit, nec non ſit, ſed præſcindat ab eſſe, vel non eſſe, ut infra dicemus. Unde neque eſt verum, quòd eliciet, neque quòd non eliciet, determinatè loquendo.

XII. Si dicas, cur decreta, quę in illo ſigno concipi poſſunt, ut poſſibilia, non poterunt concipi, ut futura?

Reſpondeo, rationem eſſe, quia, ut aliquid concipiatur poſſibile, ſufficit, ut pro aliquo priori concipiatur aliqua cauſa, vel ratio à priori potens illud ponere, ex quo appareat ejus non repugnantia ad eſſe, vel non eſſe; quod de eo, quod ab æterno eſt, verificari poteſt: in ſigno enim priori ad exiſtentiam decreti concipi poteſt voluntas divina, ut potens decernere, vel non decernere. At, ut aliquid concipiatur futurum, requiritur, ut pro ſigno antecedente ejus exiſtentiam concipiatur cauſa, vel ratio à priori determinata ad dandum ei eſſe. Quod cùm in illo ſigno priori ad decreta non concipiatur, omnia enim, quę pro illo concipiuntur, ſunt indifferentia, ideò non eſt fundamentum ad concipiendum decretum, ut pro illo ſigno futurum. Quare à ſtatu poſſibili tranſit ex modo concipiendi immediatè ad eſſe pręſens, ſicut ſi Angelus eſſet productus ab æterno, concipi poſſet in ſigno priori, ut poſſibilis, ſed non ut futurus, & immediatè à ſtatu poſſibili ad ſtatum præſentię tranſiret. Et ſic etiam creaturæ immediatè tranſeunt à ſtatu poſſibilitatis ad ſtatum præſentiæ reſpectu ęternitatis, quamvis reſpectu noſtri inter utrumque ſtatum mediet ſtatus futuritionis.

DUBIUM III.

An Deus cognoſcat futura ante decretum in ſupercomprehenſione voluntatis creatæ?

§. I.

Reſolutio negativa.

I. Dico. Deus non poteſt certò, & infallibiliter cognoſcere futura contingentia libera abſoluta in voluntate creata ſupercomprehenſa ante decretum ſuæ voluntatis. Hæc eſt perpetua mens S. Thomę, ut videri poteſt in 1. *diſt.* 38. *quæſt.* 1. *art.* 5., ubi tria genera cauſarum diſtinguit. *Quædam enim ſunt, ex quibus*

bus neceſſariò ſequitur effectus, quæ impediri non poſſunt; & in iſtis cauſis habet cauſatum eſſe certum, & determinatum, adeò, quòd poteſt ibi demonſtrativè ſciri; ſicut eſt ortus Solis, & eclipſis, & hujuſmodi. Quædam autem ſunt cauſæ, ex quibus conſequuntur effectus, ut in majori parte; ſed tamen deficiunt in minori parte; unde in illis cauſis effectus futuri non habent certitudinem abſolutam: ſed quandam, in quantum ſunt magis determinatæ cauſæ ad unum, quàm ad aliud: & ideò per iſtas cauſas poteſt accipi ſcientia conjecturalis de futuris, quæ tantò magis erit certa, quantò cauſæ ſunt magis determinatæ ad unum: ſicut eſt cognitio Medici de ſanitate, & morte futura, & judicium Aſtrologi de ventis, & pluviis futuris. Sed quædam cauſæ ſunt, quæ ſe habent ad utrumque: & in iſtis cauſis effectus de futuro nullam habet certitudinem, vel determinationem: & ideò contingentia ad utrumlibet in cauſis ſuis nullo modo cognoſci poſſunt. Quare concludit, quòd, cùm contingentia ſolùm tunc habeant eſſe determinatum, quando in actu ſunt in ſe ipſis, tunc, quando ſunt in actu, certitudinaliter cognoſcuntur, & ſic Deus cognoſcit certò contingentia, non ut futura in ſuis cauſis, ſed ut ſibi præſentia ratione æternitatis. Idem docet *qu. 16. de malo art. 7.*, & quæſtione præſenti 14. *ar.* 13. D. Thomam ſequuntur nedum Thomiſtæ, ſed Scotus, imò communiter PP. Societatis contra Molinam.

II. Probatur ratione D. Thomæ. In cauſa indifferente ad utrumlibet neutrum extremum poteſt certò cognoſci, ut futurum; ſed voluntas creata pro priori ad conſenſum ſuum, & præciſo quocumque Dei decreto, ſub quibuſcumque circumſtantiis, & diſpoſitionibus ponatur, ex parte actus primi eſt omnino indifferens ad conſenſum, vel diſſenſum; ergo Deus non poteſt in ea certò cognoſcere futura abſoluta libera. Minorem admittunt Adverſarii, qui imò in hoc pugnant, quòd voluntas creata poſitis omnibus requiſitis pro priori ad ſuum actum ſit omnino libera ad conſenſum, vel diſſenſum. Major etiam probatur, quia effectus nequit aliter in ſua cauſa cognoſci, quàm in ea eſt, aliàs cognitio non eſſet vera, ſi terminaretur ad illum aliter ac in ſua cauſa eſt.

III. Si dixeris, ex complexione individuali, ſicut ex quacumque alia circumſtantia, voluntatem fieri magis propenſam, & inclinatam ad unam, quàm ad aliam partem, ex quo fiet, ut Deus illam ſupercomprehendens, poſſit certò cognoſcere, quid factura ſit.

Sed contra ex D. Thom. laudato. Licèt naturalis complexio, aliæve circumſtantiæ, faciant voluntatem magis propendere ad unum, quàm ad alterum, & proinde parere poſſint aliquam conjecturalem, & probabilem cognitionem de eo, quod poſita in tali complexione, & circumſtantiis factura ſit, non tamen adeò certam, ut oppoſitum contingere non poſſit, & aliquando de facto non contingat. Tùm quia, ut ait D. Thom., eſto in majori parte non deficiat, in minori tamen parte, ſeu aliquando deficit. Tùm quia nec complexio, nec quæcumque circumſtantiæ faciunt, quin voluntas maneat libera, & indifferens plenè ad utrumlibet. Ergo in ea, adhuc cum omnibus iſtis cognita, certò non continetur conſenſus, vel diſſenſus futurus determinatè, & conſequenter in ea ſic cognita certò cognoſci non poteſt.

IV. Si iterum dixeris, quòd eſto, quid factura ſit, non poſſit certò explorari ab eo, qui voluntatem creatam purè comprehendit, puta ab Angelo, poteſt tamen certò explorari à Deo, qui eam, & omnia ſupercomprehendit. Ità Molina.

Contra eſt. Nam cognitio etiam ſupercomprehendens cauſam nequit in ea certò, & determinatè cognoſcere, quod in ea certò, & determinatè non eſt; ſed in humana voluntate, etiam ſtante complexione, & circumſtantiis,

adhuc

Digitized by Google

adhuc certò, & determinatè non eſt conſenſus, vel diſſenſus, ſed indifferentia ad utrumlibet; ergo &c.

Secundò, ut docet Molina in ſua *Concordia diſp.* 50. *§. Quares*, Deus comprehendens voluntatem ſuam, pro priori ad exercitam ſuorum decretorum exiſtentiam non cognoſcit in ea determinatè, quid decretura ſit, aliàs non liberè, ſed neceſſariò decerneret; ergo, etſi ſupercomprehendens voluntatem creatam, in ea, priuſquam aliquid eligat, non cognoſcet determinatè, quid electura ſit, aliàs non liberè eligeret, ſi antequam eligeret, eſſe determinata, & non indifferens.

Imò, cùm non poſſet Deus ſupercomprehendens certò cognoſcere, quid in tali circumſtantia electura eſſet voluntas humana, quin cognoſceret etiam, quid in ea decreturus eſſet ipſe, quia electio humana eſſentialiter dependet etiam à decreto Dei, ſequeretur, quòd cognoſceret etiam, quid factura eſſet ſua voluntas, priuſquam actu decerneret, & proinde rueret non ſolùm libertas creata, ſed & divina in ſuis principiis.

§. II.

Fundamenta Molinæ.

V. PRimum fundamentum petere conatur Molina ex D. Thoma, qui 1. *contrag. cap.* 67. ratione 3. ait: *ſicut ex cauſa neceſſaria ſequitur effectus certitudinaliter: ità ex cauſa contingenti completa, ſi non impediatur.* Ergo ſicut in cauſa neceſſaria certò cognoſcit effectus neceſſarios, ità in cauſa contingenti completa, & non impedita certò cognoſcet effectus contingentes; ac proinde etiam in libero arbitrio non impedito certò cognoſcet actus liberos futuros.

Reſpondeo, P. Molinam debuiſſe advertere, ut benè advertit Ferrarienſis ibi, Sanct. Doctorem non loqui de cauſa libera, ſed de cauſa naturali, quę, cùm poſſit impediri à ſuo effectu ab alia cauſa, ut arbor, quæ poteſt impediri à ferendo fructu, & de facto interdum impeditur, ideò adnumeratur à D. Thom. inter cauſas contingentes. Et de hac benè addit S. Doctor, quòd *cùm Deus cognoſcat omnia... ſcit non ſolùm cauſas contingentium, ſed etiam ea, quibus poſſunt impediri: ſcit igitur per certitudinem, an contingentia ſint, vel non ſint;* quia cùm ex ſua natura arbor ſit determinata ad ferendos fructus, cognito, quòd à nulla cauſa impedietur, certò cognoſcitur, fructus ex ea prodituros. Sed quid hinc pro libero arbitrio? Nunquid eſt naturaliter determinatum, puta ad amandum, ut ſi cognoſcatur, à nulla cauſa fore impediendum, certò cognoſci poſſit, amorem ex illo proditurum? an non potiùs, eſto non impediatur, manet ſemper indifferens ad amandum, vel non amandum? exemplum ergo ad rem non eſt.

VI. Secundum fundamentum tale eſt. Deus ſupercomprehendens voluntatem creatam cognoſcit omnes ejus determinationes; ergo cognoſcit, quid factura ſit.

Reſpondetur, diſt. antec., ejus determinationes, ut poſſibiles, vel ad ſummum, ut futuras, conjecturaliter, & probabiliter, conc. antec., ut certò, & infallibiliter futuras, nego anteced. Deus ergo ſupercomprehendens humanum arbitrium, & omnem ejus inclinationem, ſolùm cognoſcere poteſt in eo determinationes liberas eo modo, quo in eo ſunt. Cùm autem in eo, priuſquam actu ſe determinet, non ſint determinationes, niſi ut poſſibiles, vel attentâ inclinatione ejus, ad ſummum probabiliter futuræ, quia quâcumque inclinatione ſuppoſitâ manet ſemper in actu primo liberum, & plenè indifferens ad agendum, vel non agendum: ideò Deus in eo neque ex vi ſupercomprehenſionis cognoſcere poteſt, quid certò acturum ſit, ſed quid poſſit agere, vel ad ſummum quid probabiliter ageret, & ſic cognitionem ſolùm conjecturalem habere, ut

ut ſuperiùs advertimus cum D. Thom.

Neque, ex quo Deus ſupercomprehendat liberum arbitrium, evinci poteſt oppoſitum. Nam ſupercomprehenſio dicit quidem plus, quàm comprehenſio ex parte cognoſcentis, nimirum quòd ſupercomprehendens perfectiori modo, & majori fortè claritate cognoſcat, quàm purè comprehendens: non tamen quòd ſupercomprehendens videat in objecto aliquid, quod non videat comprehendens, & maximè, ſi in objecto non contineatur. Imò cùm ſupercomprehendens perfectiùs videat objectum, non poteſt videre in illo, ut determinatè futurum, quod determinatè futurum non eſt, aliàs falleretur, videret enim illud aliter ac reverà eſt.

VII. Tertium fundamentum eſt tale. Ex cauſa omnino indifferente oriri poteſt effectus determinatus liber; ergo & poteſt in ea cognoſci, antequam exiſtat. Antecedens prob. Non minùs opponitur cauſa infallibiliter determinata effectui contingenti, quàm effectus determinatus cauſæ indifferenti; ſed, ut dicemus, ex cauſa infallibiliter determinata à Deo oritur effectus contingens; ergo ex cauſa omnino indifferente poteſt oriri effectus determinatus.

Reſpondetur, negando antec., quod retorqueo in Adverſarios. Nam juxta illos ex cauſa determinata etiam à Deo non poteſt oriri effectus contingens, & liber, unde dicunt, quòd ſi voluntas efficaciter determinaretur à Deo, actus illius non eſſent contingentes, & liberi: & Molina docet, quòd ſi voluntas divina pro priori ad decreta eſſet determinata, decreta Dei non eſſent ampliùs libera, ut ſuperiùs notavimus. Ergo ſimiliter ab oppoſito ex cauſa prorsùs indifferenti non poteſt oriri effectus determinatus.

Reſpondeo ergo, tollendo æquivocationem à minori, eam diſtinguendo, oritur effectus contingens, qui ità ſit, ut abſolutè poſſit non eſſe, conc. min., qui nec ſit, nec non ſit, ſed ſit prorsùs indifferens ad eſſe, vel non eſſe, nego min. Cùm ergo dicimus, quòd à voluntate determinata à Deo oritur actus contingens, & liber, non intendimus, quòd oriatur actus contingens, & liber, libertate actus primi, quaſi indeterminatus in actu ſecundo ad eſſe, vel non eſſe: ſed dicimus, quòd ſicut voluntas determinata à Deo ità liberè agit in actu ſecundo, ut poſſit abſolutè non agere, ità actus ejus ità infallibiliter eſt, ut contingenter, & liberè ponatur, quia eſto, dùm eſt, non poſſit non eſſe, abſolutè tamen poteſt non eſſe. Et ſic volumus, quòd ex cauſa libera in actu ſecundo poſita oriatur actus liber libertate actus ſecundi. At contrarii vellent, quòd ex cauſa indifferenti in actu primo, nec determinatè continente effectum, oriretur effectus in actu ſecundo determinatus, quod impoſſibile judicamus.

DUBIUM IV.

An Deus certò ſciat futura abſoluta libera in eorum veritate objectiva pro priori ad decretum?

§. I.

Reſolutio negativa.

IN ſententiam affirmativam propendunt recentiores ex ſocietate, hàc in parte Molinâ rejecto. Ego tamen cum diſcipulis D. Thomæ, imò cùm verioribus Scotiſtis, ut videre eſt apud Fraſſen,

I. Dico. Deus non cognoſcit certò, & infallibiliter futura abſoluta contingentia libera immediatè in ſe ipſis, ſeu in eorum veritate objectiva, antecedenter ad Decretum Dei ab intrinſeco efficax. Probatur primò ex dictis ſupra. Nulla veritas creata poteſt per ſe immediatè determinare, & movere intellectum divinum ad ſui cognitionem, aliàs eſſet objectum primarium, vel motivum, vel terminativum divinæ cognitionis, & conſe-

quen-

Digitized by Google

quenter ſpecificativum; ſed ſi Deus cognoſceret futura &c. immediatè in eorum veritate objectiva, jam futura ratione ſuæ veritatis immediatè, & per ſe moverent, ac determinarent divinum intellectum ad ſui cognitionem, non enim moverent ratione Divinę Eſſentiæ, vel Omnipotentiæ, quæ non ſupponitur determinata, ſed indifferens, nec ratione decreti, quod non ſupponitur adhuc exiſtens, nec futurum; ergo moverent, ac determinarent immediatè divinum intellectum, eumque moverent ratione ſuæ veritatis objectivæ creatæ.

Quod oſtendo magis. Nam Deus in oppoſita ſententia ideò cognoſceret futura, quia ſunt; ergo veritas objectiva futurorum objectivè eſſet cauſa, vel motivum determinans ad eorum cognitionem.

II. Prob. ſecundò ratione ſpeciali de futuris. Ut Deus cognoſceret certò liberum conſenſum Petri, ut in ſe futurum, independenter ab omni decreto ſuo, neceſse foret, ut conſenſus Petri eſſet in ſe ipſo futurus independenter ab omni decreto, & prædicato divino; ſed conſenſus Petri non eſt in ſe ipſo certò futurus independenter ab omni prædicato divino; ergo &c. Maj. patet, aliàs illa cognitio eſſet fallax. Min. prob. Conſenſus Petri in ſe conſideratus, ſecluſo divino decreto ſtatuente ejus exiſtentiam, ſolùm exprimit ſua prædicata intrinſeca connaturalia, & eſſentialia; ſed iſta non determinant ipſum potiùs ad eſſe futurum, quàm non futurum, aliàs futuritio, & exiſtentia eſſet neceſſria illi, & non libera; ergo &c.

III. Confirm. primò. In tantum Deus cognoſceret liberum conſenſum Petri in ſe ipſo futurum, ſecluſo divino decreto, quia conſenſus Petri, ſecluſo divino decreto, talem cognoſcibilitatem in ſe haberet; ſed eſto, ſecluſo decreto, conſenſus Petri in ſe ipſo habeat cognoſcibilitatem ſuæ poſſibilitatis, ſeu non repugnantię ad eſſe, non tamen habet cognoſcibilitatem ſuæ futuritionis; ergo &c. Min. prob. Tùm quia, ſecluſo divino decreto, eam ſolam cognoſcibilitatem habet in ſe, quæ ad ejus entitatem, ſecluſo omni extrinſeco, conſequitur; ad entitatem autem conſenſus ſecundùm ſe ſolùm ſequitur cognoſcibilitas ſuæ poſſibilitatis, non verò ſuæ futuritionis: non enim ex ſua entitate ſe ipſo futurus eſt. Tùm quia futuritio eſt prædicatum adæquatè extrinſecum, ut dicemus; ergo non poteſt haberi veritas futuri independenter ab omni extrinſeco. Tùm denique, quia cognoſcibilitas futuri eſt cognoſcibilitas rei determinatæ ad eſſe; ſed ab ipſa entitate conſenſus, ſecluſo omni extrinſeco, non poteſt haberi cognoſcibilitas determinata ad eſſe; ergo &c. Min. prob. Nam ab indifferente ad eſſe, vel non eſſe, ut tali, ſecluſo omni extrinſeco, haberi non poteſt cognoſcibilitas determinata ad eſſe; ſed entitas conſenſus ſecundùm ſe eſt indifferens ad eſſe, vel non eſſe; ergo &c.

IV. Dices, quòd eſto entitas conſenſus abſolutè non fundet veritatem determinatam futuritionis, illam tamen fundat ex ſuppoſitione, quòd ſit futura.

Sed contra. Ergo conſenſus Petri ſolùm ex ſuppoſitione ſuæ futuritionis fundat veritatem, quâ cognoſci poteſt, ut futurus; ſed pro priori ad divinum decretum nulla fieri poteſt ſuppoſitio certa futuritionis; ergo &c. Mi. prob. Nequit fieri ſuppoſitio futuritionis ante cauſam ejuſdem; ſed cauſa omnis futuritionis eſt divina voluntas, ſeu decretum: ablato enim decreto Dei de exiſtentia conſenſus, nil remanet, niſi entitas conſenſus, in qua, utpote indifferente ad fore, vel non fore, ſuppoſitio determinata futuritionis fundari nequit; ergo &c.

V. Dices, ſuppoſitionem attendi ex facto. Ex quo enim D. Petrus egit pœnitentiam, verum fuit toto tempore antecedente, quòd ejus pœnitentia fuit futura.

Sed urgeo rursùs. Ante decretum divi-

divinum nulla eſt via dignoſcendi factum, quia, ut dicemus, divinum decretum eſt cauſa, & facti, & futuritionis; ergo ante divinum decretum non poteſt fieri ſuppoſitio futuritionis ex facto.

VI. Confirmantur ſecundò hactenus dicta. Veritas objectiva hujus propoſitionis *conſenſus eſt futurus* conſiſtit in connexione prædicati cum ſubjecto, nempe conſenſus cum futuritione, ſeu cum exiſtentia habenda; ſed in ſigno antecedente divinum decretum nulla poteſt eſſe connexio conſenſus cum futuritione, quippe cùm nulla ſit cauſa, neque divina, neque creata, quę illa invicem conjungat: non quidem creata, quia creata voluntas pro illo ſigno ſupponitur indifferens, nec poteſt jure concipi determinata ante determinationem divinam: non etiam divina, quia hæc eſſet, vel Divinus Intellectus, vel Divina Omnipotentia; ſed nec Intellectus, nec Omnipotentia quidquam agunt circa determinatam rerum exiſtentiam etiam habendam, niſi conſequenter ad divinum decretum; ergo &c.

VII. Ex hactenus dictis relinquitur, quòd ſuppoſitio iſta futuritionis ex eventu, & ex facto, quam Adverſarii adeò magnificant, vel non ſubſiſtit: quomodo enim fieri poteſt ſuppoſitio certa, futurum eſſe eventum rei penitùs contingentis, nullâ ſuppoſitâ cauſâ, neque creatâ, neque increatâ eam ad eventum ordinante? Vel quòd ſi ſubſiſtit, eventus ille futurus ſit neceſſariò, & non contingenter, aut liberè. Quod ſic oſtendo. Nam ſuppoſitio illa de conſenſu futuro Petri, ſi fieri poteſt ante omne decretum, & ſuppoſitionem liberam, fieri poterit pro omni ſigno, etiam pro ſigno poſſibilitatis, & pro ſigno antecedente productionem Verbi: quod enim non dependet à prædicato libero Dei, ut habeat eſſe determinatum, non eſt ratio, cur illud habeat in uno ſigno, & non in alio; ergo in ſigno poſſibilitatis rerum, & pro ſigno antecedente productionem Verbi futurus erit eventus conſenſus Petri, & verum erit *Petrus conſentiet*, quia etiam pro præfatis ſignis formari poterunt propoſitiones contradictoriæ *Petrus conſentiet*, *Petrus non conſentiet*, quarum una apud Contrarios debet eſſe determinatè vera; ſed hoc ſemel dato, conſenſus ille eſſet futurus neceſſariò, quia quod futurum eſt pro ſignis antevertentibus omne exercitium liberum, futurum eſt ex cauſis neceſſariis, & conſequenter neceſſariò.

VIII. Nec juvat recurrere ad decretum indifferens, quod concipitur eſſe in ſigno poſteriori ad productionem Verbi, & poſſibilitatem creaturarum.

Nam in primis juxta principia Adverſariorum decretum indifferens ſupponit conſenſum Petri, ſaltem ſub conditione futurum; ergo illud non facit. Deinde decretum illud, eo ipſo quòd ſit indifferens, non poteſt eſſe determinativum veritatis de conſenſu futuro; ergo in ſigno hujus decreti non poteſt concipi ut primò incipiens veritas illa potiùs, quàm in præcedentibus: quod enim ex natura ſua indifferens eſt ad conſenſum, non poteſt dare conſenſui futuritionem potiùs, quàm non futuritionem; ergo vel in ſigno hujus decreti nondum intelligitur veritas determinata conſenſus futuri, vel eſt determinata ex natura ſua.

§. II.

Solvuntur argumenta.

IX. ARguunt primò. Hæc propoſitio *Petrus conſentiet* ex ſuppoſitione, quòd conſentiet, eſt ab æterno infallibiliter vera, independenter à quocumque decreto Dei intrinſeco efficaci; ergo independenter ab eo poterit cognoſci. Anteced. probant primò ex D. Auguſtino *lib. 26. contr. Fauſtum cap.4.* dicente: *tàm non poſſunt futura non fieri, quàm non fuiſſe facta*

præterita. Secundò ex D. Anſelmo *lib. De concordia præſcientiæ, & prædeſtin. c. 2.*, ubi ait: *rem verò futuram neceſſe eſt eſſe futuram, quoniam futurum eſſe nequit, & non futurum*. Tertiò omnis propoſitio de futuro contingenti regulatur per ſuam de ineſſe, & illa, quæ habet in tempore ſuam de ineſſe veram, oportet, ut ſit ab æterno vera, ſecluſo quocumque; ergo ſi in tempore aliquando verum eſt, *Petrus conſentit*, debet fieri ſuppoſitio, quòd ab æterno verum ſit, *Petrus conſentiet*.

X. Reſpondeo, negando ſuppoſitum antecedentis, nempe, quòd, præciſo decreto Dei ab intrinſeco efficaci, fieri poſſit ſuppoſitio certa, quòd Petrus conſentiet: præciſo enim decreto, Petrus concipitur indifferens ad conſenſum, vel non conſenſum, nec determinatè affirmari poteſt de eo potiùs conſenſus, quàm diſſenſus. Hinc pronuntians iſtam propoſitionem, *Petrus cras conſentiet*, vel attendit conſenſum, præciſo divino decreto de ejus exiſtentia craſtina, vel illum attendit, ſupponendo divinum decretum. Si primum; propoſitio erit falſa, quia incertum, ut certum, pronunciat: conſenſus enim Petri, præciſo divino decreto, eſt prorsùs indifferens ad eſſe, vel non eſſe cras. Si verò ſecundum; erit vera propoſitio, & ſuppoſitio, quia ſupponit decretum, à quo unicè ſuppoſitio futuritionis dependet.

Quapropter D. Auguſtinus loco ab arguente relato: *ſi mihi* (inquit) *dicatur, poſſe fieri, ut caro, verbi gratia, hujus, vel illius hominis in corpus cœleſte mutetur: concedo, fieri poſſe. Sed utrum futurum ſit, neſcio: & ideò neſcio, quia, quid habeat de hac re Dei voluntas, me latet: illud me tamen non latet, ſine dubio futurum, ſi hoc Dei voluntas habet*. En quàm infeliciter in ſui Patrocinium Adverſarii vocant Auguſtinum; dum ergo ait: *tàm non poſſunt futura non fieri, quàm non fuiſſe facta præterita*: loquitur, ſuppoſitâ Dei voluntate, tàm de futuritione, quàm de præteritione, unde ſtatim ſubdit: *quoniam non eſt in Dei voluntate, ut eo ſit aliquid falſum, quo verum eſt*.

Nec magis feliciter advocant Anſelmum, dicit enim, *rem futuram neceſſe eſt eſſe futuram*, quia Deus præſcivit, eam eſſe futuram, præſcientiâ ſupponente voluntatem, quâ præſcivit, aliqua fieri ſine neceſſitate, ut ea, quæ à voluntate libera facienda ſunt, & eo modo fiant, quo præſcivit fieri: & hoc modo conciliat liberum arbitrium cum præſcientia.

Ad tertium verò concedo totum. Sed ut fiat ſuppoſitio, quòd hæc de ineſſe, *Petrus conſentit*, aliquando ſit vera, & ut ab æterno ſit vera hæc, *Petrus conſentiet*, debet recurri ad aliquod liberum ab æterno exiſtens, quo ſubjectum indifferens connectatur cum prædicato, aliàs propoſitio illa, vel erit falſa, vel neceſſaria, ut oſtenſum eſt; dicere enim, eſſe verum ex eventu, eſt petere principium: nam æquè dubitamus de eventu, ac de futuritione eventus.

XI. Secundò arguunt. Pro priori ad decretum divinum hæ duæ propoſitiones de futuro contingente *Petrus conſentiet*, *Petrus non conſentiet* ſunt verè contradictoriæ; ſed ex contradictoriis una debet eſſe vera, & altera falſa; ergo pro priori ad decretum divinum futura libera habent ſuam veritatem objectivam, & conſequenter ſunt certò cognoſcibilia.

Confirm. Hæc disjunctiva, *Petrus conſentiet, vel non conſentiet* eſt neceſſariò vera pro omni ſigno; ergo aliqua pars pro quocumque ſigno eſt determinatè vera: quia veritas propoſitionis disjunctivæ requirit veritatem unius partis.

XII. Reſpondeo, petendo ab Adverſariis, an præfatæ duæ propoſitiones ſint verè contradictoriæ, & una illarum determinatè vera, altera falſa, pro omni ſigno, etiam poſſibilitatis, & antecedente productionem Verbi Divini, & determinationem cujuſcumque liberi? Si affirment; ergo una illarum erit neceſſariò vera, altera neceſſariò

riò falſa. Si negent; ergo ſtat quòd pro aliquo ſigno dentur contradictoriæ, quarum neutra ſit determinatè vera, & neutra determinatè falſa.

XIII. Obſervo igitur, quòd propoſitiones contradictoriæ de futuro poſſunt fieri, vel in materia neceſſaria, vel in materia contingente. Si ſint in materia neceſſaria, cùm habeant pro fundamento ſuæ veritatis intrinſecam, & neceſſariam connexionem prædicati cum ſubjecto, ideò ab intrinſeco, & pro omni ſigno una eſt determinatè vera, altera determinatè falſa. Si verò ſiant in materia contingente, cùm nulla adſit ab intrinſeco determinata connexio inter ſubjectum, & prædicatum, ſed ſolùm contingens, ab intrinſeco, & abſolutè nulla ex eis determinatam habet veritatem, vel falſitatem, ſed eam accipit per ordinem, & connotationem ad divinum decretum, à quo una ex eis accipit determinatam futuritionem, vel non futuritionem, ideòque in ſigno priori ad illud neutra habet determinatam futuritionem, vel non futuritionem. Et hæc eſt Doctrina D. Thomæ in 1. *Periermen. lect.* 13. his verbis. *In præteritis, & præſentibus neceſſe eſt, quòd altera oppoſitarum determinatè ſit vera, altera falſa, in quacumque materia. Sed in ſingularibus, quæ ſunt de futuro, hoc non eſt neceſſe, quòd una determinatè ſit vera, & altera falſa. Et hoc quidem dicitur quantùm ad materiam contingentem*. Idem docet *in* 1. *diſt.* 38. *quæſt.*1. *art.* 5. *ad* 2, *& quæſt.* 16. *de malo artic.* 7., ubi ait: *ea, quæ ſunt ad utrumlibet, non poſſunt præcognoſci in ſuis cauſis determinatè, ſed ſub diſtinctione, utpote quia erunt, vel non erunt: Sic enim habent veritatem*.

XIV. Quare in forma reſpondeo, negando abſolutè minorem de contradictoriis de futuro contingente, quales ſunt præfatæ, *Petrus conſentiet*, *Petrus non conſentiet*. Neque lex contradictionis eſt, quòd pro omni ſigno una contradictoria de futuro contingenti ſit determinatè vera, altera falſa, ſed vagè, & indeterminatè, ideſt, ſi una eſt vera, altera ſit falſa. Quòd ergo una ſit determinatè vera, altera falſa unicè provenit ex determinatione cauſæ liberæ, quæ ſi ponit effectum, propoſitio illum affirmans eſt determinatè vera, negans verò falſa.

Et in hoc, ut ſuperiùs obſervavi, nobiſcum convenire debent Adverſarii, cum hoc tamen diſcrimine; quòd illi ad ponendum effectum ſolùm requirunt determinationem cauſę ſecundæ, decreto Dei indifferente inſtructæ, quando effectus ab ea liberè cauſatur: unde juxta eorum principia veritas determinata propoſitionis affirmativæ de conſenſu incipit à ſigno, quo Deus decernit dare illi auxilium cum præviſione, quòd Petrus ſub eo conſentiet. Nos verò priùs requirimus determinationem cauſæ primæ, à qua oritur determinatio cauſæ ſecundæ liberæ, & in ſigno, quo intelligitur determinatio Dei, intelligitur determinatè futura determinatio creaturæ, & ejus effectus: & propoſitio illum affirmans eſt determinatè vera, & negans falſa.

XV. Ad confirm. nego conſeq. Nam ex eo, quod propoſitio disjunctiva ex duabus conſtans contradictoriis ſit pro omni ſigno neceſſariò vera, non ſequitur, aliquam ejus partem eſſe pro omni ſigno determinatè veram, ſicut ex eo, quòd disjunctiva ſit pro omni ſigno neceſſaria, non ſequitur, aliquam partem eſſe determinatè neceſſariam. Et ratio eſt, quia ut disjunctiva pro omni ſigno ſit vera, ſufficit, quòd utraque pars ſit incompoſſibilis: quod ratione contradictionis neceſſariò verum eſt, ut patet in iſta, *Petrus eſt albus, vel non albus*, impoſſibile enim eſt, quòd Petrus ſimul ſit albus, & non albus. At veritas determinata unius partis præ alia pendet, & accidit ei ex aliquo contingente, vel libero, nempe ex determinatione cauſæ. Quod nedum nos, ſed & Adverſarii fateri coguntur, ut oſtendimus.

Cætera argumenta, quæ petuntur ex

ex impugnatione decreti efficacis Dei, proponentur, & ſolventur nedum in *ſequenti dubio*, ſed ulteriùs *q. ſequenti*, & *in tractatu de voluntate*.

DUBIUM V.

An Deus cognoſcat certò futura contingentia abſoluta in decreto ab intrinſeco efficaci ſuæ Voluntatis?

§. I.

Firmatur reſolutio auctoritate?

I. DAri in Deo circa futura abſoluta decretum, conveniunt nobiſcum Patres Societatis. In hoc tamen diſſident, quòd illi aſſerunt, tale decretum regulari per ſcientiam mediam, per quam Deus priùs vidit futurum in ſtatu conditionato, & ex hac prævisione ſortiri efficaciam. Nos autem ponimus in Deo decretum ab intrinſeco efficax, non ſupponens, ſed faciens futura. Et de hoc in præſenti quærimus, an ſit *medium in quo* Deus certò cognoſcat futura contingentia, & libera?

II. Dico. Deus certò cognoſcit futura libera abſoluta in ſuo decreto ab intrinſeco efficaci, ſeu in ſua eſſentia, ut per illud determinata. Sequitur ex dictis. Nam Deus certò ea non cognoſcit ſive in ſua eſſentia, ſive in ſuis ideis pro priori ad decreta, ſive in voluntate creata ſupercomprehenſa, ſive in decreto cognito ut futuro, ſive in eorum veritate objectiva, ut probatum eſt; ergo, cùm non ſuperſit aliud medium, ſecundùm regulam bonæ diviſionis ſequitur, quòd ea cognoſcat in decreto ab intrinſeco efficaci exercitè in Deo exiſtente. Ità ſentiunt omnes Diſcipuli S. Thomæ, imò & veri Scotiſtę, ut videre eſt apud Fraſſen. *tract. 2. diſp. 1. art. 2. ſect. 2. qu. 2. de ſcientia viſionis*.

III. Probatur directè primò ex Patribus. D. Hilarius 9. *de Trinit.* dicit: *Quæ Deus facere decrevit, in ſua voluntate cognovit*. Et Auguſtinus *lib. 26. contr. Fauſtum cap. 4.* ſupra relato, ubi reddens rationem, cur neſciat aliquid futurum: *Ideo* (inquit) *neſcio, quia, quid habeat hac de re Voluntas Dei, me latet. Illud tamen me non latet, ſine dubio futurum, ſi hoc Dei Voluntas habet.* Quæ conſequentia nulla eſſet, ſi Voluntas Dei non eſſet medium certum ad cognoſcenda futura, & horum cognitio Voluntatem Dei circa illa non ſupponeret. Item *lib. de Prædeſt. SS. cap. 10.* ait. *Prædeſtinatione quippe Deus ea præſcivit, quæ fuerat ipſe facturus*; ſed præſcientia prædeſtinationis, nempe præparationis gratiæ, eſt cognitio innixa decreto efficaci electivo ad gloriam, & prædeſtinatio, ſecundùm S. D. ibi, differt à præſcientia, quia Deus prædeſtinat ea ſolùm, quę facit, & vult, præſcit autem ea etiam, quæ non facit, nec vult, ut peccata; ergo Dei præſcientia eſt &c. Idem repetit *cap. 17.* hiſce verbis: *electi ſunt itaque ante Mundi conſtitutionem, eâ prædeſtinatione, in qua Deus ſua futura facta præſcivit*; ergo in ſua præparatione, quâ Deus fecit futura, ea pręſcivit.

IV. In hoc perpetuus eſt S. Auguſtini Diſcipulus Angelicus noſter. Nam in *1. diſt. 38. qu. 1. art. 5.* *Deus* (inquit) *ab æterno, non ſolùm vidit ordinem ſui ad rem, ex cujus poteſtate res erat futura, ſed ipſum eſſe rei intuebatur*: ubi duplicem modum Deo tribuit cognoſcendi futura, unum in eorum pręſentia æternitati, alterum in ordine (libero quidem, non neceſſario) quem ipſe dicit ad rem, & quo facit ea futura. Item in *1. diſt. 39. qu. 1. art. 1. ad 5.* aſſignans differentiam inter eſſe Dei, & ejus ſcire: *licèt* (inquit) *eſſe, & ſcire ſint idem ſecundùm rem; tamen ſcire ſequitur voluntatem, ut imperatum ab ipſa, eſſe autem non: & ideò eſſe ſuum non ſubjacet libertati voluntatis, ſicut ſcire operativum creaturæ*. At ſcientia operativa creaturæ eſt ſcientia futurorum. Ergo &c. Præcipuè verò (omiſſis

altis

aliis teſtimoniis) 1. *contrag. cap.* 68., ubi poſtquam ratione quartâ oſtendit, quòd Deus cogitationes noſtras, & motus cordis cognoſcit, ſicut artifex artificiata, per intellectum, & voluntatem, & ſicut ea, *quæ à propoſito aguntur*: ratione quintâ, poſtquam hanc veritatem variis ſcripturæ locis confirmavit, ait: *Dominium autem, quod habet voluntas ſupra ſuos actus, per quod in ejus eſt poteſtate velle, vel non velle, excludit determinationem virtutis ad unum, & violentiam cauſæ exterioris agentis; non autem excludit influentiam ſuperioris cauſæ, à qua eſt ei eſſe, & operari: & ſic remanet cauſalitas in cauſa prima, quæ Deus eſt, reſpectu motuum voluntatis, ut ſic* [nota] *Deus ſe ipſum cognoſcendo, hujuſmodi cognoſcere poſſit*. Et 3. *contrag. cap.* 56. dicit, intellectum creatum cognoſcere non poſſe, quid alius velit, niſi aut per cauſam: *ſicut Deus voluntates noſtras, & alios ſuos effectus cognoſcit per hoc, quod eſt nobis cauſa volendi*. Quę adeò clara ſunt, ut ea videns Molina ingenuè fateri coactus ſit, Angelicum Doctorem, & Sanctum Auguſtinum ſibi eſſe contrarios. Videri poteſt in Concordia *diſput.* 35. *§. in his duobus*, & *§. Caiet.*

V. Sed quæres: hæc cum ità ſint: cur D. Thomas plerumque, ut Deo adſtruat cognitionem futurorum, ad eorum in æternitate præſentiam recurrit?

Reſpondeo, hoc variis titulis feciſſe. Primò, ut oſtenderet, duos modos certò cognoſcendi futura ineſſe Deo, unum ſcilicet in ſe ipſo, ut cauſam eorum, alterum in æternitate, ut eorum menſuram. Secundò recurrit ad præſentiam eorum in æternitate, ut oſtendat, cognitionem, quam Deus de illis habet, eſſe non ſolùm certam, ſed claram, & intuitivam, ſicut cùm videmus res nobis actu præſentes. Tertiò, ut manifeſtet, Scientiam Dei non auferre ab eis contingentiam, quamvis ſit infallibilis, quia terminatur ad illa, ut jam præſentia. Quartò tandem, ut indicet, Deum ea non cognoſcere ſecundùm eſſe contingens, & indeterminatum, quod habent in ſuis cauſis proximis, ſed ſecundùm eſſe determinatum, quod habent, dum ſunt in ſe, ut inde inferat, cognitionem divinam eſſe non conjecturalem, ſed certam, & infallibilem. Porro hoc pro comperto habendum eſt, quòd Decretum Dei efficax, ſicut eſt radix, ut ſuo tempore res ponantur in eſſe, ità conſequenter eſt radix, ut ponantur, & ſint æternitati præſentes. Quapropter Decretum eſt præcipuum fundamentum, ut Deus utroque modo illa cognoſcat, nempe in ſe ipſo, ut in cauſa, & in ſe ipſis, ut ſunt in æternitate præſentes: quod præ oculis habendum eſt.

§. II.

Firmatur concluſio ratione.

VI. PRobatur ratione ſic. Cauſa efficaciter determinata ad ponendum effectum eſt medium aptiſſimum ad cognoſcendum effectum ejus futurum: quod nihil aliud eſt, niſi id, quod habet eſſe determinatum in cauſa, ſeu id, quod nunc non eſt, præparatum tamen, determinatum, & ordinatum, ut poſtea ſit; At Divina Eſſentia, ut conjuncta decreto de poſitione effectus tali tempore, eſt cauſa efficaciter determinata ad illum ponendum; ergo &c.

VII. Reſpondebis, hunc diſcurſum benè probare de futuris, quorum poſitio à ſolo Deo pendet, non de iis, quæ à Deo, & principio creato libero oriri debent: horum enim determinatio Dei eſt cauſa ſolùm inadæquata; in cauſa autem inadæquata non poteſt certò videri effectus futurus, niſi prævideatur futura determinatio alterius cauſæ liberæ, ideòque reſpectu horum Decretum Dei non eſt unicum, & ſufficiens medium.

VIII. Sed contra. Quotieſcumque determinatio unius cauſæ cauſat, vel infal-

infallibiliter, & inimpedibiliter infert determinationem alterius cauſæ, qui certò videt determinationem illius, in ea videt etiam determinationem alterius infallibiliter futuram, & effectum ponendum; ſed determinatio, ſeu decretum Voluntatis Divinæ efficax cauſat, vel infallibiliter, & inimpedibiliter infert determinationem voluntatis creatæ; ergo Deus videns determinationem ſuam &c. Minorem ſusè oſtendemus *tractatu de Voluntate Dei*, ubi ſtatuemus, ejus decreta eſſe ab intrinſeco efficacia, & cauſare determinationes cauſarum, etiam liberarum, abſque ulla læſione libertatis, & dominii, quod habent ſupra ſuos actus. Pro præſenti id evincunt auctoritates Sancti Auguſtini, & S. Thomæ ſupra relatæ ex Pſal. 134. v. 6. *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit in Cœlo, & in Terra, in Mari, & in omnibus Abyſſis*. In quæ verba D. Aug. in *Pſal.* 134. poſtquam oſtendit, Deum omnia pro ſua voluntate facere, non ità nos, veniens ad noſtros actus liberos ait: *Ipſe tibi dat gratiam, ut in te ipſo facias, quod vis: niſi enim ipſo adjuvante, nec in te facis, quod vis*. Et inferiùs concludit: *Intelligite, Deum*, qui omnia quæcumque voluit, fecit in Cœlo, & in Terra: *ipſe & in vobis faciet, quod vultis*. Et Iſaiæ 14. v. 27. *Dominus enim exercituum decrevit: & quis poterit infirmare?* ubi Hieronymus *non pro difficili* (inquit) *debemus accipere..... ſed pro impoſſibili. Nullus enim poterit Domini infirmare conſilium*. In hac ergo ſuppoſitione procedit præſens noſtra reſolutio. Quòd ſi quis non acquieſcit, in *tract. de voluntate* ipſum audiemus. Hinc

IX. Secundò probatur concluſio. Illud eſt certiſſimum medium cognoſcendi futura contingentia, etiam libera, à quo, ut à cauſa deſumitur eorum formalis futuritio; ſed formalis futuritio &c. habetur à divino decreto; ergo &c. Mi. probatur. Primò. Futuritio enim eſt prædicatum omnino extrinſecum rei futuræ: quia res dùm de merè poſſibili tranſit in futuram, minimè mutatur; ergo debet deſumi ab aliqua cauſa extrinſeca, quę toto tempore futuritionis exiſtat, ſicut toto tempore futuritionis exiſtit denominatio futuri; ſed hęc alia eſſe nequit, niſi divinum decretum: quia futuritio exiſtit ab æterno; nil autem ab æterno exiſtit, niſi divinum decretum; ergo &c.

Secundò prob. min. Omne prædicatum rei intrinſecum, vel eſt eſſentiale, vel accidens proprium, vel accidens commune. Sed futuritio non eſt prædicatum eſſentiale: nulla enim res creata habet ex ſua eſſentia, quòd ſit futura. Neque eſt accidens proprium. Tùm quia accidens proprium nequit naturaliter ſeparari à re, futuritio autem naturaliter ſeparari poteſt à re futura, cùm tranſit in præteritam. Tùm quia accidens proprium oritur ex principiis eſſentialibus rei; ſed futuritio non oritur ex principiis eſſentialibus rei, quia nulla res creata ex ſuis intrinſecis eſt determinata, ut ſit, ſed purè non repugnans, ſeu poſſibilis, ut ſit. Neque eſt accidens commune, quia futuritio ſoli convenit rei futuræ, non vero rei præſenti, aut præteritæ. Relinquitur ergo, quòd ſit denominatio purè extrinſeca, deſumta à forma extrinſeca, nempe à Divina Scientia, & Voluntate, quâ dicatur ſcita, & volita pro tali tempore, ut ſit.

X. Dices, quòd eſto futuritio radicaliter ſit extrinſeca, formaliter tamen eſt intrinſeca rei, nempe carentia exiſtentiæ nunc cum exiſtentia habenda poſtea.

Fateor, quòd futurum dicit carentiam exiſtentiæ nunc cum exiſtentia poſtea habenda. Sed quæſo, quòd res, quæ caret exiſtentia nunc, reſpiciat, & connectatur cum exiſtentia habenda poſtea, unde habet? Non habet ex ſua eſſentia. Non eſt ejus proprietas. Non eſt accidens commune illi intrinſecum. Ego remanet, quòd ſit illi extrinſecum, & pura denominatio extrinſeca,

pro-

proveniens à decreto Dei volente, rem, quæ non exiſtit nunc, aliquando habituram eſſe exiſtentiam.

XI. Secundò inſto. Illa eſt forma conjungens rem non exiſtentem nunc, cum exiſtentia poſtea, quâ poſitâ concipitur, quòd res non exiſtens nunc exiſtentiam habebit, quâ præciſâ, non concipitur; ſed poſitâ voluntate Dei de exiſtentia Anti-Chriſti ſuo tempore, nullo alio intellecto, habetur, quòd Anti-Chriſtus nunc non exiſtens exiſtentiam habebit, voluntate verò Dei ſecluſâ, hoc non ampliùs concipi poteſt, ſicut ſecluſâ Voluntate Dei, non poteſt concipi Anti-Chriſtus volitus, ut ſuo tempore ſit; ergo &c.

XII. Tertiò. Ideò, prẹter omnipotentiam, concipio in creaturis intrinſecam poſſibilitatem, quia in creaturis invenio intrinſecam non repugnantiam ad eſſe, ex ſuis intrinſecis ortam; ſed in re futura nihil intrinſecum invenio, fundans ejus determinatam futuritionem: non carentiam exiſtentiæ nunc, quia hæc non fundat futuritionem magis, quàm non futuritionem, etenim poſſibilia carent exiſtentia nunc, & tamen non fundant futuritionem: non exiſtentiam, quia exiſtentia ex ſui natura non dicit magis eſſe habendam, quàm non habendam; erit ergo conjunctum ex utroque. Verùm, cùm in neutro inveniam prædicatum tale conjunctum formans, & conſtituens, dicam, illud conſtitui in eſſe conjuncti per formam extrinſecè utrumque extremum determinantem.

XIII. Scio, aliquos ex noſtris, inter quos Magi. Ferre, eſſe in opinione, quòd Decretum Dei non ſit cauſa formalis, ſed ſolùm effectiva futuritionis. Hæc tamen opinio, etiam admiſſa, non infirmat noſtræ aſſertionis veritatem: nam ejus Auctores diſtinguunt in divino decreto duas comparationes, unam, quâ Deus ab æterno vult, rem eſſe in tali tempore: & in hac voluntate dicunt, non haberi determinationem de futuritione rei, ſed de ipſa phyſica præſentia rei in tali, vel tali tempore; quare, inquiunt, prima comparatio decreti ad rem futuram eſt præſentis ad præſens Ex determinatione autem hac ſequitur, quòd Deus ſit effecturus rem in tempore determinato, & hæc eſt ſecunda comparatio decreti ad futurum, ut futurum. Unde hæc opinio eſto non ſumat rei futuritionem ex prima comparatione decreti determinantis exiſtentiam, eam tamen ſumit ex determinatione eam conſequente, quâ Deus definivit, rem tempore ſtatuto efficere.

XIV. Quomodocumque ergo decretum comparetur ad futuritionem, certum eſt, ait D. Thomas 1. *p. quæſt.* 16. art. 7. ad 3., *quòd illud, quod nunc eſt, ex eo futurum fuit, antequam eſſet, quia in cauſa ſua erat, ut fieret. Unde ſublatâ cauſâ non eſſet futurum illud fieri; ſola autem cauſa prima eſt æterna. Unde ex hoc non ſequitur, quòd ea, quæ ſunt, ſemper fuerit verum, ea eſſe futura, niſi quatenus in cauſa ſempiterna fuit, ut eſſent futura, quæ quidem cauſa ſolus Deus eſt.* Quibus nil clarius pro noſtra aſſertione.

§. III.

Fundamenta oppoſitæ ſententiæ.

XV. Objiciunt primò D. Thomam, qui agens de cognitione futurorum contingentium, maximè pendentium à voluntate creata, recurrit ad eorum præſentiam in æternitate, ut ſalvet in Deo certam illorum cognitionem, non verò ad cauſarum determinationem, ut in præſenti *art.* 13., *in* 1. *diſt.* 38. *qu.* 1. *art.* 5. *in corp. ad* 2. 3. & 6., imò dicit, ex cognitione cauſæ non ſequi in Deo cognitionem infallibilem effectus futuri. Et *quæſt.* 2. *de verit. artic.* 12. addit, quòd futura, ut futura, nequeunt certò cognoſci, ſed dùm cognoſcuntur in cauſis, cognoſcuntur ut futura; ergo &c.

Ad hæc jam dictum eſt, ſequi ſolùm,

Digitized by Google

lùm, quòd Deus duplici medio res futuras cognoſcat, & in ſuo decreto, ſeu in ſua eſſentia, ut determinata ad eas producendas. & in ſua æternitate, in qua ſunt præſentes; nimirum divina cognitio non ſiſtit in ipſa cauſa cognita, ut determinata, ſed ab ipſa noſtro modo concipiendi tranſit ad eas cognoſcendas, ut in æternitatè præſentes, cujus tamen præſentię radix eſt, & cauſa ipſum decretum: quia in tantum ſunt æternitati præſentes, quia fuerunt determinatæ ad exiſtendum pro aliquo tempore. Quando verò D. Thomas opponit cognitionem certam cognitioni in cauſa, & cognitioni rei, ut futuræ, loquitur de cognitione in cauſa contingente, nondum determinata: Sic enim neque eſt certò futura: unde qui eam ſic futuram in cauſa contingente cognoſceret, non certam, ſed conjecturalem haberet cognitionem, & in hoc ſenſu loquitur D. Thomas; non verò de cognitione futuri in cauſa, ſive divina, ſive etiam creata, ut determinata à Deo: oppoſitum enim docet ſupra laudatis locis.

XVI. Sed dices. 2. 2. *qu.* 171. *art.* 6. *ad* 2. docet S. Doctor, prophetiam comminatoriam non eſſe ſemper certam abſolutè, ut patet in Ninive ſubverſione, & morte Ezechiæ; atqui per eam revelatur futurum, ut futurum eſt præcisè determinatum in ſuis cauſis; ergo in cauſa nequit certò cognoſci &c.

Reſpondeo, diſt. min., in ſuis cauſis ſecundis, & impedibilibus, conc. mi., in cauſa prima, & inimpedibili, nego min. Prophetia comminationis revelat eventum futurum, non in ſe abſolutè, ſed quantum eſt ex præparatione cauſarum ſecundarum, quæ cùm poſſint à cauſa ſuperiori impediri, ne exequantur id, ad quod determinatæ ſunt, ideò ſæpè non evenit, quod prædictum fuerat; unde prophetia prædicta non ſupponit in Deo decretum abſolutum, ſed tantùm conditionatum. Quare, cùm effectus prænunciatus non evenit, hoc ideò eſt, quia in Deo adeſt decretum abſolutum, aliter decernens ac curſus, & determinatio cauſarum ſecundarum exigeret.

XVII. Addo, quòd eſto exitus rei comminatoriè prenunciatæ non ſemper eveniat, adhuc tamen prophetia vera eſt, non falſa, quia ejus objectum non eſt eventus, ut abſolutè in re ponendus, ſed ponendus, quantùm eſt ex præparatione cauſarum. Verum eſt autem, quòd cauſæ ità ſunt præparatę, ut niſi à ſuo curſu impediantur, ſequatur effectus. Hæc eſt doctrina D. Thomæ *quæſt.* 12. *de veritate artic.* 10. *in corpore*, *&* *ad* 7., ubi hæc ait *Aliquid poteſt dici eſſe futurum, non ſolùm ex hoc, quòd ità erit, ſed quia ità eſt ordinatum in cauſis ſuis, ut ſit futurum. Sic enim Medicus dicit, iſte ſanabitur, & iſte morietur: & ſi aliter contingat, non falſum dixit; ſic enim tunc futurum erat ex ordine cauſarum; quod tamen poſſibile eſt impediri, & tunc quod priùs futurum fuerat, conſequenter non erit futurum.... & ſecundùm hoc denunciatio Prophetæ comminantis nec falſa eſt, nec dubia, quamvis non eveniat, quod prædixit.* Quâ doctrinâ ſuppoſitâ negari poterat major ſyllogiſmi ab arguente oppoſiti.

XVIII. Objiciunt ſecundò. Poſitâ carentiâ exiſtentiæ nunc, & exiſtentiâ poſtea, nullo alio intellecto, habetur futurum; ergo in hoc, non in decreto, conſiſtet futuritio.

Nego conſequentiam. Quid enim eſt, exiſtentiam habendam eſſe poſtea, niſi rem ſuâptè naturâ indifferentem eſſe determinatam ad exiſtendum? Cùm ergo hæc determinatio ad exiſtendum non ſit rei intrinſeca, ut oſtenſum eſt, ſed prorsùs extrinſeca, & ab æterno ſit, quæſo, à qua cauſa provenire poteſt, niſi à Deo ſic determinante ab æterno?

XIX. Dices. Eodem modo loquendum eſt de futuritione rei, ac de ejus præteritione; ſed præteritio Adami non eſt extrinſeca Adamo, nec ſumi-

tur

Digitized by Google

tur decreto formaliter ; ergo neque futuritio ejuſdem, antequam eſſet. Unde ſicut nunc, ex quo Adamus non ſit, fuerit tamen, habemus, Adamum eſſe præteritum : ità antequam eſſet, ex quo exiſtentiam eſſet habiturus, habebatur, Adamum eſſe futurum.

XX. Dupliciter reſpondeo. Primò, negando maj. Res enim, antequam ſit, nihil habet in ſe, quod eam determinet ad exiſtendum : unde determinatio ab extrinſeco petenda eſt. At poſtquam fuit, & non eſt ampliùs, habet non eſſe jam ad non eſſe determinatum : quod enim fuit, & ampliùs non eſt, intrinſecè determinatum eſt ad non exiſtendum.

Secundò reſponderi poteſt, negando min. Eodem enim modo diſcurrendum eſt de præteritis, ac de futuris. Sicut enim eſſe futurum eſt denominatio extrinſeca à decreto Dei de re producenda ; ità eſſe præteritum eſt denominatio extrinſeca à decreto Dei volentis, rem exiſtere pro differentia temporis elapſa, & non pro iſta. Quare tàm præteritio, quàm futuritio deſumuntur à decreto comparativè ad diverſas differentias durationis. Ab eodem enim decreto, quo Adamus fuit denominatus, & volitus futurus, totâ duratione præcedente ejus exiſtentiam, denominatur præteritus, ejus exiſtentiâ, & duratione tranſactâ, & ab eodem decreto, à quo nunc Anti-Chriſtus denominatur futurus, denominabitur præteritus, poſtquam eſſe deſiverit. Hæc reſponſio communior eſt.

Tertiò reſponderi poteſt, quòd dato, decretum non eſſe cauſam formalem præteritionis, neque futuritionis, ſed ſolùm cauſam quaſi effectivam, non ſequitur, quòd in ſuo decreto Deus certò non poſſit cognoſcere preterita, & futura, ſicut & præſentia, cùm quodcumque ſit futurum, preſens, vel præteritum, quia Deus voluit.

XXI. Objiciunt tertiò. Peccatum dicitur futurum, antequam fiat, & tamen nequit à Deo cognoſci in decreto ab intrinſeco efficaci : non enim in Deo datur decretum definiens, aut determinans peccatum ; ergo &c.

Fateor, Deum præſcire quidem peccatum, ſed illud non prædeſtinare. *Prædeſtinatio* (ait Auguſt. *lib. de Prædeſt. SS.* cap. 10.) *ſine præſcientia non poteſt eſſe, poteſt autem eſſe ſine prædeſtinatione præſcientia. Prædeſtinatione quippe Deus ea præſcivit, quæ fuerat ipſe facturus.... Præſcire autem potens eſt etiam, quæ ipſe non facit, ſicut quæcumque peccata.* Præſcit ergo Deus peccatum futurum quoad deformitatem in decreto permiſſivo illius, ſeu in decreto negandi gratiam, quâ peccator non cadat, aut non peccet. Ex decreto autem hoc permiſſivo, ſeu denegativo gratiæ ſequitur peccatum futurum, non quidem ſequelâ, & futuritione quaſi phyſicâ (ſic enim ſequitur à ſola cauſa deficiente) ſed ſequelâ, & futuritione logicâ. Ex quo enim ab æterno ſtatuit Deus, denegare gratiam Judæ, quâ vitaret proditionem, fuit logicè, & per bonam conſequentiam proditio Judæ futura. Verùm, cùm in peccato præter formale ſit etiam materiale, nempe entitas actionis, Deum circa iſtam poſitivâ voluntate etiam movendo concurrere, quin ſua motio malitiæ labe inquinetur, dicemus in *tractatu de voluntate Dei*, ubi etiam ea argumenta ſolvemus, quibus præſumunt contrarii, poſitionem decreti efficacis creatam evertere libertatem. Interim pro eo, quod præſentem tangit materiam, utar exemplo S. Auguſtini *lib. 3. contr. Julianum cap. 24.* In actione mala Deo moventi non tribui quod malum eſt, ſed quod in ea bonum eſt : *ſicut parentibus gignentibus, & malo concupiſcentiæ benè utentibus non imputandum eſt, quòd cum eo malo* (nimirum peccato originali) *filii naſcuntur, ſed quòd bonum ſunt.*

Porro ejuſmodi decretum permiſſivum, ex quo peccata logicè futura ſint, in Deo eſſe, oſtendunt Scripturæ. *Pſal. 29. v.8 Avertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus. Pſal.*

180. *v.* 13. *Dimiſi eos in deſideria cordis eorum.* Quid ſequitur? *Ibunt in adinventionibus ſuis.* Et D. Auguſtin. *in Enchirid. cap.* 95. *Non ergo* (inquit) *fit aliquid, niſi Omnipotens fieri velit, vel ſinendo, ut fiat, vel ipſe faciendo. Nec dubitandum eſt, Deum facere benè, etiam ſinendo fieri quæcumque fiunt malè. Non enim hoc niſi juſto judicio ſinit: & profectò bonum eſt omne, quod juſtum eſt.* Et D. Thom. *hâc quæſt.* 14. *art.* 9. ad 3.: *Non oportet* (ait) *quòd quęcumque ſcit Deus, ſint, vel fuerint, vel futura ſint; ſed ſolùm ea, quę vult eſſe, vel permittit eſſe.*

QUÆSTIO VI.

De Scientia futurorum contingentium conditionatorum.

QUæſtio hęc olim Auguſtini temporibus inter Semipelagianos, & Catholicos agitata, ſeculis nuper elapſis iterum excitata, diviſas tenet præcipuas Theologorum Catholicorum Scholas, quorum aliqui in utramque partem tomos integros impleverunt. Sanè arduum eſt exploratò ſtatuere, quâ ſcientiâ, & in quo medio futura conditionata contingentia libera cognoſcat Deus. Utrinque enim anguſtiæ ſunt, à quibus, ut ſcitè ponderat Sanctus Auguſtinus *in Enchirid. cap.* 95., nonniſi poſiti in claritate beatitudinis liberabimur. Nos ergo hìc ſobriè, & quantum ſat erit ad Candidati mentem parandam, materiem hanc expediemus.

(***)

DUBIUM I.

An Deus futura conditionata contingentia certò cognoſcat?

§. I.

Præmittuntur aliqua.

I. SUppoſito ex dictis, futurum duplex eſſe; unum abſolutum, quod nimirum, ut ſit, nullam requirit conditionem; alterum conditionatum, cujus futuritioni aliqua apponitur conditio, ut, *ſi petieris, accipies.* Iſtud, de quo agimus, in duplici differentia eſſe poteſt. Vel enim ejus conditio infallibiliter Deo ſtatuente ponetur, & ſic tale futurum infallibiliter erit, quo ſenſu, cùm futura eſſet Incarnatio Verbi, ſi Adam cecidiſſet, poſito Adami peccato, Incarnatio peracta fuit. Vel ejus conditio nunquam ponetur, ut converſio Tyriorum, quę fuiſſet, ſi Chriſtus illis prędicaſſet, quia tamen Chriſtus illis non prędicavit, nec fuit, nec erit unquam, fuiſſet tamen, ſi Chriſtus ſuâ prædicatione illis potiùs, quàm Corozaitis inſonuiſſet. Hìc de conditionatis ſecundi generis ſermo eſt. Nam quæ ſunt primi generis, ſuppoſito decreto de conditione ponenda, tranſierunt in abſoluta.

II. Porro conditionata, quorum conditio nunquam ponetur; alia ſunt de conditione prorsùs impoſſibili, ut, *ſi homo eſset bos, mugiret*; alia de conditione prorsùs diſparata, ut, *ſi Turca dormiet, Papa orabit*; alia de conditione aliquam connexionem habente cum poſitione eventus. Talis autem connexio poteſt eſſe; vel neceſſaria; vel tantùm probabilis, & conjecturalis. Si eſt neceſſaria; vel eſt neceſſaria metaphyſicè, ut iſta, *ſi ſol luceret, dies eſſet*; vel neceſſaria ſolùm naturaliter, ut, *ſi ignis applicetur ligno arido, illud comburet*, vel neceſſaria, aut certa, ſolâ certitudine morali, ut,

ſi

Digitized by Google

ſi Petrus ponatur in graviſſima tentatione, & ſpeciali gratiâ non donetur, tentationi ſuccumbet. Si verò eſt tantùm conjecturalis, eſt ut iſta, *Si Tyrii, & Sidonii audirent prędicationem Chriſti, converterentur*.

III. Adverto inſuper, propoſitionem conditionalem ſumi poſſe; vel in vi illationis; vel ut enunciativam futuri. Si ſumatur in vi illationis; ejus veritas, vel falſitas regulabitur ex bonitate, vel malitia illationis, ideòque conditionalis, cujus conditio connectitur infallibiliter metaphyſicè cum poſitione eventus, eſt neceſſariò vera in vi illationis, ut iſta, *ſi Sol luceret, dies eſſet*, & iſta pariter, *ſi Deus decerneret efficaciter converſionem Tyriorum, Tyrii converterentur*, ubi decretum ponitur, ut expreſſa conditio, & ſimiliter iſta, *ſi Deus ſcit aliquid futurum, illud erit*, quia in omnibus iſtis conditio infallibiliter metaphyſicè connectitur cum eventu, & eſt bona conſequentia à poſitione conditionis ad poſitionem eventus. Eâdem ratione vera erit iſta de conditione impoſſibili, *Si homo eſſet bos, mugiret*, quia licèt impoſſibile ſit, quòd homo ſit bos, & quòd mugiat, & proinde falſum; attamen ſi eſſet bos, benè inferretur, quòd mugiret; ac propterea hujuſmodi veritates certò cognoſcit Deus ſcientiâ neceſſariâ.

IV. Oppoſitâ verò ratione propoſitiones conditionales de conditione non inferente infallibiliter metaphyſicè eventum, ſi ſumantur in vi illationis, erunt omnino falſæ, & ut tales certò à Deo cognoſcuntur ſcientiâ naturali, ſeu neceſſariâ. Nam veritas cujuſcumque propoſitionis in ſenſu illativo ſumtæ fundatur ſuper bonitate conſequentiæ; ſed in præfatis conditionalibus, in quibus conditio non connectitur infallibiliter cum eventu, non eſt bona conſequentia, quia etiam poſitâ conditione, poteſt non poni eventus: in bona autem conſequentia dari non poteſt anteced. verum, & conſequens falſum; ergo erunt falſæ; & cùm conſequentia, quæ ſemel eſt mala, ſemper ſit mala, & neceſſariò fallax; ergo cognoſcitur à Deo per ſcientiam neceſſariam. Quamobrem prænotatæ propoſitiones, ſive de conditione diſparata, ſive de conditione connexa quidem, ſed ſolùm conjecturaliter, vel etiam certitudine morali, quin etiam naturali, ſi in vi illationis ſumantur, erunt naturaliter falſæ, quia in eis mala eſt conſequentia, cùm abſolutè dari poſſit antecedens verum, & conſequens falſum.

Quia tamen præfatæ propoſitiones ſumi poſſunt, non in vi conditionalis, & illativæ, ſed ut enuntiativæ alicujus ſub conditione futuri; ideò in præſenti de illis hoc modo ſumtis quæſtio eſt, an Deus certò cognoſcat futura illa ſic enuntiata ſub conditione non connexa infallibiliter, ſed vel diſparata, vel connexa ſolùm probabiliter, ſive ſolâ certitudine morali, aliâve, quæ non ſit omnino infallibilis.

V. Noto tandem, ſcientiam Dei de futuris ſic explicatis dici poſſe infallibilem, tàm ex parte ſubjecti, quàm ex parte objecti, quia ſcilicet non ſolùm cognoſcat certò modum, quo illa futura ex vi conditionis futura ſunt, ſed ea cognoſcat, ut quoad eventum in ſe futura; dici etiam poſſe infallibilem ex parte ſubiecti tantùm, quatenus præcisè cognoſcat futura illa, ut futura ſunt, ex vi conditionis, nempe contingenter ſolùm. Hoc pacto quidem certò, & infallibiliter cognoſci à Deo, certiſſimum eſt. Nam, ut docet D. Thomas *qu. 2. de verit. artic. 12. ad 7.*, *Cùm dicitur, hoc eſt futurum, vel fuit futurum, deſignatur ordo, qui eſt in cauſis illius rei ad productionem ejus. Quamvis autem cauſa, quæ ſunt ordinata ad aliquem effectum, poſſint impediri, quòd non ſequatur effectus; tamen non poteſt impediri, quin fuerint aliquando ad hoc ordinatę. Unde licèt, quod eſt futurum, poſſit non eſſe futurum, nunquam tamen poteſt non fuiſſe futurum*. Ergo ſicut cùm cauſa eſt

Digitized by Google

connexa infallibiliter cum eventu, certò cognoſcit Deus eventum infallibiliter futurum; ità quando cauſa eſt connexa connexione morali, cognoſcit certò, & infallibiliter, eventum certò moraliter eſſe futurum: & quando cauſa habet conducentiam ſolùm conjecturalem, certò cognoſcit, quòd conjecturaliter eveniet effectus: & quando nullam habet conducentiam, ſed diſparatè ſe habet, certò cognoſcit, quòd ex vi talis cauſæ effectus neque evenit, nec non eveniet. Et hæc cognitio neceſſaria eſt, non libera. Quare quod quærimus eſt, num de præfatis futuris conditionatis etiam certò cognoſcat, an ſint de facto, poſitâ conditione, in re ponenda, ut aſſerit propoſitio, necne?

Catholici Theologi (uno, vel altero excepto, volente præfata conditionata ſolùm conjecturaliter à Deo cognoſci) aſſerunt, ea à Deo certò, & infallibiliter cognoſci, certitudine nedum ex parte ſubjecti, ſed etiam ex parte objecti, nimirum, an determinatè ſint eventura, vel non eventura?

§. II.

Aſſertio prima.

VI. Dico primò. Deus certò certitudine metaphyſicâ ex parte objecti cognoſcit futura contingentia conditionata de conditione conducente ad poſitionem eventus, vel determinatè fore, vel determinatè non fore. Prob. primò. In ſcripturis plura Deus revelavit, ut conditionatè futura ſub conditione non ponenda; ergo ea certò cognovit. Si enim ea, ut certò futura poſitâ conditione pronunciaſſet, & ea certò futura ſtante tali conditione certò non cognoviſſet, ejus infinita veritas in cognoſcendo, & veracitas in dicendo detrimentum pateretur. Antec. prob. primò ex 1. *Regum c.* 23., ubi David de tribus conditionatè futuris conſuluit Dominum. Primò, an, ſi iviſſet, percuſſiſſet Philiſthæos Ceilam obſidentes, & Ceilam liberaſſet? Cui reſpondit Dominus: *v.* 2. *Vade, & percuties Philiſthæos, & Ceilam ſalvabis:* quod factum eſt. Secundò, cùm reſciſſet David, Ceilæ manens, Saulem copias parare, ut Ceilam everteret, ipſumque caperet, rursùs conſuluit Dominum, an, ſi manſiſſet Ceilæ, Saul ad eam expugnandum deſcenſurus eſſet? Reſpondit ei Dominus v. 11. *Deſcendet*, ideſt (exponit Sanctus Hieron. *qu. Hebraicis in lib. Reg.*) *ſi hic ſteteris, deſcendet*. Tertiò, quùm timuiſſet David, ne ipſo Ceilæ manente, & Saule deſcendente, viri Ceilitæ tradituri ipſum eſſent, ac ſocios ejus in manus Saulis, & de hoc Dominum conſuluiſſet. Reſpondit Dominus v. 12. *Tradent*, ideſt, ut Hieron. citatus explicat: *Si deſcenderit Saul, & hic te invenerit, tradent*. Ex his tribus futuris conditionatis, de quibus David Deum conſuluit, primum fuit de conditione implenda, alia verò de conditione non implenda; ſed primum certò cognovit, & prænunciavit Deus: evenit enim, ut Deus prædixerat; ergo & alia duo certò cognovit, & poſitâ conditione, ut Deus prædixerat, eveniſſent.

VII. Secundò probatur anteced. ex 3. *Reg. cap.* 11. *v.* 2., ubi repetit Deus, quod *Exodi* 34. *v.* 15. olim vetuerat filiis Iſrael, nimirum ne connubia jungant cum alienigenis uxoribus ſibi vicinis: *Non ingrediemini ad eas, neque de illis ingredientur ad veſtras: certiſſimè enim avertent corda veſtra, ut ſequamini Deos earum;* quibus prædicit, quòd ſi Iſraelitæ ducerent uxores alienigenas, certiſſimè averterentur à vero Deo ad Deos alienos; eſto autem reſpectu Salomonis, & aliorum, qui de facto alienigenas duxerunt, fuerit de facto impleta prædictio, manſit tamen conditionata reſpectu aliorum, qui poterant connubia ducere cum alienigenis, nec tamen duxerunt.

VIII. Tertiò probatur illo celebri dicto Chriſti, qui *Matth.* 11. *v.* 21., & *Luca* 10. *v.* 13. exprobrans Corozaitis,

Digitized by Google

tis, & Bethſaiditis eorum obdurationem: *Væ tibi* (inquit) *Corozain, væ tibi Bethſaida, quia ſi in Tyro, & Sidone facta eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egiſſent*. Hic prædicit Chriſtus pœnitentiam Tyriorum, & Sidoniorum, ſi apud eos virtutes, & miracula patraſſet, quæ in Civitatibus Corozain, & Bethſaida patraverat; pœnitentia autem Tyriorum, & Sidoniorum erat futura ſub conditione nunquam implenda; Hanc ergo Chriſtus certò noverat futuram, ſi eis prædicaſſet: alioquin nec ità acriter exprobraſſet, nec ità certò Tyriorum, & Sidoniorum, præ Corozaitis, & Bethſaiditis pœnitentiam aſſeruiſſet.

Hinc D. Auguſtinus *lib. De dono perſeverantiæ cap.* 9. relatus à D. Thoma 3. *p. qu.* 1. *art.* 5. *ad* 2. ait. *Nunquid poſſumus dicere, Tyrios, & Sidonios talibus apud ſe virtutibus factis credere noluiſſe, aut credituros non fuiſſe, cùm ipſe Deus atteſtetur eis, quòd acturi eſſent magnæ humilitatis pœnitentiam, ſi in eis facta eſſent divinarum illa ſigna virtutum?*

IX. Quartò probatur ex *Sapientiæ cap.*4. *v.* 11., ubi de Juſto præmaturâ morte ex hac vita ademto dicitur: *raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius*. Certò igitur noverat Deus, juſtum illum fore in malum mutandum, & deceptioni obnoxium, ſi diutiùs vixiſſet, alioquin inconſultò præmaturâ morte ipſum rapuiſset è vivis. Unde D. Cyrillus *lib.* 3. *contra Julianum* de Adami lapſu, & mox inflicta ei pœna loquens, laudat Porphyrii dictum, quo ad Nemertium ſcribens, ait: *Deus autem, qui futura novit, alios quidem propter pietatem etiam juvenes vita præripit: alios verò propter eas, quæ neceſſariis clades futuræ ſunt per eos. Horum autem miſertus, futuris ob inexpiabilia calamitatibus eximit*. Et D. Jo: Chryſoſt. lib. 1. ad Stagirium à Dæmone vexatum: *Quid ergo de illis dices*, inquit, *qui antequam per ætatem bona, vel mala diſcernere poſſint, quaſi maximè peccaverint, ſupplieiis afficiuntur?* Cui inter alia reſpondet. *Cum plurimos illorum futuros nequam præſciverit Deus, eos veluti compedibus quibuſdam hujuſmodi ſupplicio coercet*. Præſcivit ergo Deus, quòd, ſi ſuppliciis, quaſi compedibus non frænarentur, nequam futuri eſſent, ideòque eos malis coercet.

X. Plura alia Scripturæ teſtimonia hanc veritatem confirmant, ut illud Ezech. 3. v. 5. *Non enim ad populum profundi ſermonis, & ignotæ linguæ tu mitteris &c.* & v. 6. *Et ſi ad illos mittereris, ipſi audirent te*. Illud *Jeremiæ* 38. *v.* 17. Sedeciæ Regi: *Si profectus exieris ad Principes Regis Babylonis, vivet anima tua, & Civitas hæc non ſuccendetur igni, & ſalvus eris tu, & domus tua... Quòd ſi nolueris egredi... non effugies manus eorum.... capieris, & Civitatem hanc comburet igni*. Cùm autem Sedecias non fuiſſet egreſſus ad eos, ſed fugiſset, captus fuit, eique effoſsi oculi fuerunt. Sciebat ergo Deus, quòd ſi Regi Babylonis occurriſſet, capiendus non fuiſſet Sedecias. Illud tandem Chriſti Matth. 24. v. 22. *Et niſi breviati fuiſſent dies illi, non fieret ſalva omnis caro: ſed propter Electos breviabuntur dies illi*. Sciebat ergo Chriſtus, omnes ferè perituros, ſi diù duraret Anti-Chriſti perſecutio, qui tamen ob breviatos perſecutionis illius dies non peribunt.

XI. Huic veritati ſuffragatur etiam ratio. Quidquid enim eſt verum, ſcitur, & certò cognoſcitur à Deo, quem, utpote infinitum in cognoſcendo, nihil verum latere poteſt; ſed futura conditionata non minùs ac futura abſoluta ſunt vera, & certò cognoſcibilia pro omni inſtanti reali; ergo &c. Min. probatur. Non minùs eſt contradictio immediata inter iſta duo conditionatè futura, *ſi Judas tali modo vocetur à Chriſto, convertetur*, & iſtud, *ſi Judas tali modo vocetur à Chriſto, non convertetur*, quàm inter iſta duo abſolutè futura, *Judas convertetur*,

Digitized by Google

tur, *& Judas non convertetur*; ſed ratione hujus contradictionis propoſitiones enuntiantes abſolutè futuram, & non futuram Judæ converſionem, ſunt contradictoriæ, & una illarum pro omni inſtanti reali determinatè vera, altera falſa; ergo ſimiliter duæ propoſitiones enuntiantes conditionatè futuram, & non conditionatè futuram Judæ converſionem, erunt contradictoriæ, & una determinatè vera, altera falſa: quia conditionalis ſupra abſolutam de eodem objecto non addit, niſi dependentiam à conditione, quâ poſitâ, ſi ſequitur eventus, erit vera, ſi poſitâ non ſequitur, erit falſa.

Confirmatur. Propoſitiones, quæ pro quolibet inſtanti reali habent cauſam ſuæ veritatis, vel falſitatis ſunt determinatè veræ, vel falſæ; ſed hujuſmodi ſunt propoſitiones de futuro conditionato; ergo &c. Minor probatur. Nam Deus vel ab æterno decrevit poſitionem futuri dependenter à conditione enuntiata, vel decrevit oppoſitum, vel ſuſpendit decernere. Si decrevit, propoſitio affirmans erit ab æterno determinatè vera, & negativa falſa. Si vel decrevit oppoſitum, vel nihil decrevit, propoſitio negativa erit determinatè vera, & affirmativa falſa; ergo &c.

XII. Probatur ſecundò. Omnis cognitio poſſibilis, quæ nullam dicat imperfectionem, Deo aſſerenda eſt; ſed notitia certa, & non conjecturalis tantùm de futuris conditionatis eſt poſſibilis, nec Deo indigna; ergo &c. Min., quòd ſit poſſibilis, patet ex dictis, nam conditionatè futura habent determinatè veritatem, vel falſitatem; ergo certò ſunt cognoſcibilia. Quòd verò non ſit Deo indigna, probatur. Tùm quia ſcire quodcumque eſt ſcibile ſumma perfectio eſt, imò imperfectio eſſet illud non perfectè ſcire. Tùm etiam, ſi futura conditionata revelare Deo indignum non eſt; ergo multò minùs ea certò ſcire. Nam ſi certò non ſciret Deus, ut certa non revelaret. Si enim, quod ſolùm nobis eſt certum moraliter, non poteſt à nobis veraciter affirmari abſolutè; multò minùs poſſet affirmari à Deo, cùm in eo non poſſit dari judicium, cui metaphyſicè poſſit ſubeſſe falſum. Ea enim, quæ à Deo revelata ſunt, gaudent certitudine fidei; quæ non ſolùm eſt moraliter, ſed etiam metaphyſicè certa. Ergo futura conditionata revelata à Deo in ſcripturis, vel non ſunt credenda fide divinâ, ſi ſunt certa ſolùm moraliter, & ut talia à Deo cognita. Vel ſi ſunt credenda fide divinâ erunt certa etiam certitudine metaphyſicâ, & ut talia à Deo ſcita.

§. III.

Secunda aſſertio.

XIII. Dico ſecundò. Deus certò cognoſcit futura conditionata diſparata, ſeu quæ enuntiantur futura ſub conditione impertinente ad poſitionem eventus. Probatur primò à pari. Deus certò cognoſcit, ut diximus in prima aſſertione, futura contingentia conditionata de conditione habente quidem aliquam conducentiam ad poſitionem effectus, non tamen certam, & infallibilem; ergo etiam certò cognoſcet ea conditionata, quorum conditio nullam habet conducentiam. Conſequentia prob. Neutrum futurum habet ex ſua natura nexum infallibilem cum conditione, & neutrum ex ſua natura fundat ex vi talis conditionis futuritionem determinatam; ergo ſi hoc non obſtante conditionata primi generis à Deo certò cognoſcuntur, cognoſcentur etiam certò conditionata ſecundi generis.

XIV. Confirm. primò. Ideò Deus certò cognoſcit conditionata de conditione conducente ad eventum, quia eſto ex natura ſua non conducens infallibiliter ad eventum, facta fuit tamen infallibiliter conducens ex diſpoſitione divina, ut dicemus dubio ſequenti; ſed eâdem diſpoſitione condi-

tio

tio ex natura ſua impertinens fieri poteſt pertinens, & conducens ad poſitionem eventus, imò de facto hoc contigit; ergo &c. Min. prob. Primò in illa prophetia Eliſæi ad Regem Iſrael, quæ refertur 4. Reg. 13. v. 19. *Si percuſſiſſes quinquiès, aut ſexiès, ſive ſeptiès, percuſſiſſes Syriam uſque ad conſumtionem*. Porro quam pertinentiam ſuâptè naturâ habebat terram jaculo ſexiès, aut ſeptiès percutere cum devaſtatione integra Syriæ? & tamen hanc habebat ex diſpoſitione divina. Secundò, aqua quam pertinentiam habet ad remiſſionem peccati originalis? & tamen aquæ baptiſmali eam Deus alligavit. Tertiò, Adami peccatum, nedum diſparatum, & impertinens, ſed potiùs averſivum erat à beneficio Incarnationis, & tamen Deus Incarnationem alligavit peccato Adæ tanquam conditioni: quare ſi Adam non peccaſſet, Verbum Incarnatum non fuiſset in hac Providentia, ut docet D. Thom. 3. *p. qu.* 1. *art*.3., & cum eo cæteri Theologi, excepto Scoto.

XV. Confirmatur ſecundò. Futura conditionata de conditione diſparata habent determinatam veritatem, vel falſitatem; ergo certò ſciuntur à Deo. Anteced. prob. Vel enim Deus decrevit poſitâ tali conditione eventum futurum, vel decrevit oppoſitum, vel nihil decrevit. Si decrevit, poſitâ tali conditione diſparatâ eventurum, erit determinatè verum. Si verò decrevit oppoſitum, vel nihil decrevit, erit determinatè falſum, quòd poſitâ tali conditione eveniet.

XVI. Quæres, quid dicendum de conditionato de conditione impoſſibili contingenter ſe habente ad utrumlibet, ut iſto, *ſi lapis eſſet homo, deteſtaretur Judæ proditionem*; certòne à Deo cognoſcitur?

Reſpondeo negativè: hoc enim nullam veritatem habet, nec ex ſe, ut ſuppono, neque ex ordinatione divina. Tale enim decretum eſset ridiculum, imò abſurdum; ſimili enim ratione poſſet Deus decernere, quid ipſe faceret, ſi eſſet peccabilis, ſi eſſet alter Deus, & an illi reſiſterèt, vel ſuccumberet ſub conditione, quòd alter Deus exiſteret. Tùm quia nequit Deus abſolutè decernere, quòd lapis homo deteſtetur Judæ proditionem; ergo neque poteſt hoc decernere, quod deteſtaretur ſub conditione, quod lapis eſſet homo.

§. IV.

Fundamenta contrariæ ſententiæ.

XVII. Objiciunt primò Curiel, Ledeſma, & alii, tribuentes Deo de futuris conditionatis cognitionem ſolùm conjecturalem, varia ſcripturæ teſtimonia, quibus Deus enuntiat eventus conditionatos futuros, appoſitis particulis *fortè, fortaſsè, forſitan*. Ut Gen. 3. *v*. 22. de Adam dicit Deus. *Ne fortè mittat manum ſuam, & ſumat etiam de ligno vitæ*. Illud ſuperiùs relatum Chriſti *Matth*. 11., ubi ſe probabiliter tantùm loqui teſtatur *v*. 23. dicens: *Si in Sodomis factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in te, fortè manſiſſent uſque in hanc diem*: cui addi poteſt illud *Exod. v*. 8. *&* 9, ubi Deus dans Moyſi Virgam illam prodigiorum operatricem ad conciliandam Pharaonis, & Ægyptiorum fidem. *Si non crediderint* [inquit] *tibi, neque audierint ſermonem ſigni prioris, credent verbo ſigni ſequentis. Quòd ſi nec duobus quidem his ſignis crediderint ..... ſume aquam fluminis*. Non cognoverat ergo certò Deus, an Ægyptii crediturі eſſent viſo primo ſigno, aut ſecundo, aut tertio.

XVIII. Reſpondeo, quòd ſi ex hujuſmodi locutionibus ſumamus argumentum, dicere etiam poterimus, Deum nec certò ſcire, non ſolùm quæ eventura ſunt ſive ſub conditione, ſive abſolutè, ſed nec etiam quæ actu fiunt; Nec ſciviſſe certò Turrim, quam ædificabant filii Adam, cum dicitur Geneſ. 11. v. 5. *Deſcendit autem Dominus*,

nus, ut videret &c.; Nec ſciviſſe certò peccatum Sodomorum: ſimiliter enim dicitur *Gen.* 18. v. 21. *Deſcendam, & videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint: an non eſt ità, ut ſciam?* Et neſciſſe, an aliquis juſtus Sodomis eſſet, cum dicat ibi v. 26. *Si invenero Sodomis quinquaginta juſtos in medio Civitatis, dimittam omni loco propter eos &c.*; Nec alia, quæ paſſim in ſcripturis ſub dubitatione à Deo pronunciantur.

Dicendum ergo eſt: Primò, particulam *fortè* prolatam à Deo non ſignificare dubitationem Dei aſſerentis, ſed contingentiam eventus, & arbitrii libertatem. Ità Sanctus Hieronym. *in cap.* 26. *Jeremię* ad illa verba, *Si forſitan audiant, & convertantur*, ait: *Verbum ambiguum forſitan majeſtati Domini non poteſt convenire; ſed noſtro loquitur affectu, ut liberum hominis ſervetur arbitrium: ne ex praſcientia ejus, quaſi neceſſitate, vel facere quid, vel non facere cogatur.*

Secundò. Verbum *forſitan* ſæpe eſt Dei increpantis. Ità Sanctus Auguſt. *tract.* 37. *in Joan. n.* 3., ubi ad illa verba: *Si enim me ſciretis, & Patrem meum forſitan ſciretis:* ait. *Ille, qui omnia ſcit, quando dicit forſitan, non dubitat, ſed increpat. Attende enim, quomodo increpativè dicatur ipſum forſitan, quod videtur eſſe verbum dubitationis. Sed dubitationis verbum eſt, quando dicitur ab homine, ideò dubitante, quia neſciente: cùm verò dicitur à Deo verbum dubitationis, cùm Deum nihil utique lateat, illâ dubitatione arguitur infidelitas, non opinatur divinitas.* Et ità ſumendam eſſe particulam *fortè* in loco citato ex *Gen. c.* 3. dicit idem Auguſtinus *lib.* 1. *contra Adverſarium legis, & prophet. c.* 15.

Tertiò. Particula *fortè* aliquando eſt particula expreſſiva, & confirmativa, & idem valet ac *utique*; & ſic ſumi debet *fortè* uſurpatum à Chriſto Matt. 10. *fortè*, ideſt, utique profectò *manſiſſent uſque in hanc diem*. Ità exponit S. Jo: *Chryſoſt. in dict. caput homil.* 38.

Quartò. Ut docet D. Thom. 2. 2. *qu.* 171. *art.* 6. *ad* 2. eſto Deus ſemper cognoſcat de conditionatè, vel abſolutè futuris, non ſolùm eventum contingentem, quem habent ex ordine cauſarum ſecundarum, ſed etiam exitum, quem de facto habituri ſunt in ſe ipſis: ſæpè tamen ea révelat ſolùm ſecundùm eſſe, quod habent in cauſis ſuis. Talis autem fuit revelatio facta Moyſi *Exodi* 4., nimirum, quòd, attento ordine cauſarum ſecundarum, & vi ſignorum, futurum erat, ut ſi non primo, ſaltem ſecundo ſigno crederent; quod ſi nec iſtis crederent, ad ulteriora procederet, cùm tamen Deus certò ſciret, nulli ſigno eos, quorum corda induraverat, credituros. Et hoc dicendum eſt, aliàs cogeremur negare Deo certam cognitionem nedum conditionatorum, quorum conditio nunquam ponetur, ſed eorum etiam, quæ poſitâ conditione tranſierunt in abſoluta, qualis fuit Iſraelitarum fides, & incredulitas obſtinata Ægyptiorum.

XIX. Objiciunt ſecundò. S. Auguſtinum, qui *lib. de prædeſt. SS. cap.* 14. exponens prælaudatum textum Sapientiæ c. 4. *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus*: ait: *dictum eſt ſecundùm pericula vitę hujus, non ſecundùm pręſcientiam Dei, qui hoc pręſcivit, quod futurum erat; non quod futurum non erat.* Et eodem libro *c.* 12. dixerat: *Unde talibus viris* [ideſt Semipelagianis, contra quos agebat] *in mentem venerit, ut futura, quę non ſunt futura, puniantur, vel honorentur merita parvulorum.* Item *l.* 2. *contra duas epiſt.* Pelagian. c. 7. *Quomodo enim* [inquit] *pręſcivit ea futura, quę illis in infantia morituris, quia pręſcientia ejus falli non poteſt, pręſcivit potiùs non futura?* quod repetit *lib.* 1. *de anima, & ejus origine c.* 12.

S. Auguſtino concinit S. Proſper *epiſt. ad S. Auguſt.* præfixâ libro citato de Prædeſtin. SS., ubi de Semipelagianis, *futura* [inquit] *quę non ſint futura, confingunt, novoque apud illos abſurditatis genere, & non agenda pręſcita ſint,*

ſint, & præſcita non acta ſint. S. quoque Damaſcenus *Dialog. adv. Manich. n.* 73. de Deo ſic loquitur. *Qui enim præſciret, quod futurum non eſt? Nam ſi quem peccaturum prænoſset, hunc non condidiſſet, præſcientia non foret, ſed error. Sicut enim cognitio eſt rerum illarum, quæ ſunt, ſic & præſcientia earum eſt, quæ certò futura ſunt*; Ergo iſti præſcientiam conditionatorum à Deo relegant.

XX. Reſpondeo primò, abſque injuria aſſeri non poſſe, Sanctum Auguſtinum negaſſe Deo ſcientiam futurorum contingentium conditionatorum, cùm *lib. de corrept.*, *& gratia c.* 8. apertè dicat, eam non niſi inſaniſſimè poſſe negari. *Reſpondeant* (inquit) *ſi poſſunt, cur illos Deus, cùm fideliter, & piè viverent, non tunc de vita hujus periculis rapuit, ne malitia mutaret intellectum eorum, & ne fictio deciperet animas eorum. Utrum hoc in poteſtate non habuit, an eorum mala futura neſcivit? nempe nihil horum, niſi perverſiſſimè, & inſaniſſimè dicitur*. Fatetur ergo, non niſi perverſiſſimè, & inſaniſſimè dici, Deum neſcire, quòd, ſi iſte diutiùs viveret, à malitia corrumperetur, & per talem præſcientiam potuiſſe impedire, ne illa corruptio re ipsâ eveniret, iſtum prematurè rapiendo è vivis.

Idem aſſerit S. Proſper reſponſ. 8. ad excerpta Genuenſium. *Cùm aliqui* (inquit) *pereunt, non dubitemus ipſorum meritis deputari, quòd pereunt; quos utique poſſet Deus miſericorditer liberare, ſi vellet. Et cùm aliqui liberantur, non audeamus definire, quòd digni fuerint liberari, quos utique poſſet Deus juſtè damnare, ſi vellet... De Tyriis verò, & Sidoniis quid aliud poſſumus dicere, quàm non eſſe eis datum, ut crederent, quos etiam credituros fuiſſe, ipſa veritas dicit, ſi talia, qualia apud non credentes facta ſunt, virtutum ſigna vidiſſent &c.* Si ergo eos ſub conditione ſignorum fuiſſe credituros, veritas dixit, & veriſſimè dixit; ergo ſentit S. Proſper, Deum præſciviſſe, & quidem certò, eos ſub talibus ſignis credituros.

XXI. Reſpondeo ergo ſecundò ad id, quod opponitur, Divos Auguſtinum, & Proſperum intelligendos eſſe juxta occaſionem, & intentum, in quo verba illa protulerunt, nimirum, ſeſe opponendi Maſſilienſibus Semipelagianis, aſſerentibus, homines puniri, aut præmiari propter bona, vel mala opera, ut conditionatè præviſa futura, ſi diutiùs viverent, ex quibus movebatur Deus ad eos abſolutè vel præſciendos, ideſt prædeſtinandos, aut reprobandos, ac ſi merita, vel demerita conditionatè futura, eſſent abſoluta merita, vel demerita. Benè ergo dicunt, quòd merita ſic præviſa ſive abſolutè, ſive conditionatè ante gratiam, & voluntatem Dei illam conferendi, non ſunt futura, &, ſi Deus ex tali præviſione moveretur ad prædeſtinandos adultos, ſive parvulos, prædeſtinaret, & præſciret merita non futura, & talis præſcientia non eſſet ſcientia, ſed error. *Quid enim eſt veriùs* (inquit Sanctus Auguſtinus lib. de prædeſt. SS. c. 9.) *quàm præſciſſe Chriſtum, qui, & quando, & quibus locis in eum fuerant credituri? ſed utrum prædicato ſibi Chriſto à ſe ipſis habituri eſſent fidem, an Deo donante ſumturi, ideſt, utrum tantummodo eos præſcierit, an etiam prædeſtinaverit Deus, quærere, atque diſſerere tunc* [ep. 102. q. 2. n. 14.] *neceſſarium non putavi*.

Ex alio etiam motivo dicit S. Doctor, merita illa, vel demerita non præſciri à Deo, ut futura, nam futura eſſent ſub conditione, quia tamen Deus decreverat, illa abſolutè non futura, non erant ampliùs futura, nec poterant, ut talia à Deo præſciri abſolutè. Hic eſt ſenſus verborum D. Auguſtini. *Non ſecundùm præſcientiam Dei* [abſolutam] *qui hoc præſcivit, quod futurum erat* [ideſt præparavit] *non quod futurum non erat: ideſt quòd ei mortem immaturam fuerat largiturus, ut tentationum ſubtraheretur incerto; non quòd peccaturus eſſet, qui*

permanſurus in tentatione non eſſet.

De præſcientia igitur præparatoria loquitur S. Doctor, & hanc negat Deo de conditionatis, quorum conditio non ponetur: unde S. Proſper *reſponſ.* 8. citatâ: *Agnoſcamus itaque* [inquit] *ſapienter, pièque fateamur, præſciſſe incommutabiliter Deum, quibus eſſet daturus, ut crederent, aut quod daturus eſſet filio ſuo, ut ex eis non perderet quemquam: & ſi hac præſcivit, beneficia ſua illum, quibus nos dignatur liberare, præſciſſe: & hanc eſſe prædeſtinationem Sanctorum, præſcientiam ſcilicet, & præparationem gratiæ Dei, quâ certiſſimè liberantur.*

Hoc eodem modo præſcientiam ſumſiſſe & Damaſcenum, teſtantur ejus poſtrema verba: *ſic & præſcientia earum rerum eſt, quæ certò futura ſunt.*

XXII. Objiciunt tertiò. Deus plura in Scripturis vel per ſe, vel per Prophetas prædixit, ſolùm per conjecturam, nempe ex diſpoſitione cauſarum ſecundarum, ut per Eſaiam (Ezechię) 38. v. 1. *diſpone* [inquit] *domui tuæ, quia morieris tu, & non vives*. Per Jonam Ninivitis *c.* 3. *v.* 4. *Adhuc quadraginta dies, & Ninive ſubvertetur:* quorum tamen neutrum evenit; ergo ex prędictionibus non colligitur certitudo divinę cognitionis.

XXIII. Reſpondeo ex D. Thom. 2. 2. *qu.* 174. *art.* 1., & *quæſt.* 12. *de verit. art.* 10., quòd triplex eſt prophetia, Comminationis, Prædeſtinationis, & Præſcientiæ. *Futurum* enim *eſt in divina cognitione dupliciter. Uno modo, prout eſt in ſua cauſa: & ſic accipitur Prophetia comminationis, quæ non ſemper impletur; ſed per eam prænuntiatur ordo cauſæ ad effectum, qui quandoque aliis ſupervenientibus impeditur. Alio modo cognoſcit Deus aliqua in ſe ipſis, vel ut fienda à Deo; & horum eſt prophetia prædeſtinationis ... Vel ut fienda per liberum arbitrium hominis; Et ſic eſt prophetia præſcientiæ, quæ poteſt eſſe bonorum, & malorum: quod non contingit de prophetia prædeſtinationis, quę eſt bonorum tantùm.* Ità D. Thomas.

Quamquam autem ſępe aliter evenit ac prophetiâ comminationis prę-nunciatum eſt, adhuc tamen hæc certa, & non purè conjecturalis eſt; non enim prænunciat, quid in re ſit eventurum, ſed quid in ordine, & præparatione cauſarum ſit. Ità S. D. 2. 2. *q.* 171. *art.* 6. *ad* 2. his verbis. *Quandoque verò prophetica revelatio eſt impreſſa ſimilitudo divinæ pręſcientię, prout ſcilicet cognoſcit ordinem cauſarum ad effectus. Et tunc quandoque aliter evenit, quàm prophetetur. Nec tamen Prophetiæ ſubeſt falſum, nam ſenſus Prophetię eſt, quòd inferiorum cauſarum diſpoſitio, ſive naturalium, ſive humanorum actuum, hoc habet, ut talis effectus eveniat. Et ſecundùm hoc intelligitur verbum Iſaiæ* 38. Morieris, & non vives: *ideſt diſpoſitio corporis tui ad mortem ordinatur. Et quod dicitur Jonæ* 3. Adhuc quadraginta dies, & Ninive ſubvertetur: *ideſt hoc merita ejus exigunt, ut ſubvertatur.* Ne autem ſecundùm cauſarum ordinem effectus eveniret, impedivit Ezechiæ oratio, & fletus, & Ninivitarum reſipiſcentia.

XXIV. Objiciunt quartò. Futura contingentia de conditione, ſive contingente, ſive diſparata, non habent determinatam veritatem, vel falſitatem: nam veritas conditionalis in illatione conſiſtit; ſed in prædictis conditio non habet infallibilem illationem eventus; ergo &c.

Quod magis urgetur. Propoſitio conditionata de futuro contingente, vel facit ſenſum, quòd ità eſſet, eſto Deus non decreviſſet, vel præſcindit à decreto, vel decretum includit, & ſubintelligit. Si primum, vel ſecundum; eſt omnino falſa, & impoſſibilis, & ut diximus, à Deo cognoſcitur per ſcientiam neceſſariam: quia cùm eventus debeat eſſe effectus Dei, nequit poni, nec cognoſci, ejus voluntate excluſâ, vel præciſâ. Si verò tertium; eſt quidem vera, ſed neceſſaria: quod enim, ſuppoſito decreto de eventu, eventus ſequatur, veritas neceſſaria eſt, non contingens.

XXV.

Digitized by Google

XXV. Reſpondeo, diſting. mi., non habet infallibilem illationem ex ſua natura, & prædicatis intrinſecis, ut iſta, *ſi Sol lucet, dies eſt*, conc. min., ex aliquo extrinſeco determinante, ut eâ poſitâ eventus ſequatur, nego min. Fateor, veritatem conditionalis in bona illatione fundari: hæc tamen non debet ſemper oriri ex prædicatis intrinſecis, ſed aliquando ex aliqua ſuppoſitione. Sicut autem in Mediiſtarum opinione, hæc oritur ex ſuppoſitione eventus ſub illa conditione futuri, ità per nos, ut dicemus, oritur ex ſuppoſitione divini decreti ſtatuentis, ut poſitâ illâ conditione, quamvis non connexâ ex ſua natura, ponatur eventus.

Ad id, quod urgetur, reſpondeo, propoſitionem conditionalem habere veritatem, ſuppoſito decreto, importato non quidem expreſsè, & ex parte conditionis, ſed ſubintellecto ex parte objecti, & effectus. Ut enim ſupra diximus, decretum Dei poteſt poni, vel ex parte conditionis, ut ſi dicas, *ſi Deus decreverit, hoc fore ſub tali conditione, hoc erit*, & ſic propoſitio eſt *de dicto*, & neceſſariò vera, ſicut iſta, *ſi Deus ſcivit, hoc futurum eſſe, hoc erit*, & in ſententia Mediiſtarum iſta, *ſi Deus hominem vocatione congrua vocaverit, infallibiliter conſentiet*. Poteſt etiam poni decretum, & ſubintelligi ex parte effectus ſub illa conditione ponendi, ut ſi dicas, *ſi Tyrii vidiſſent opera Chriſti, pœnitentiam agerent, Deo volente, & dante pœnitentiam*, & ſic propoſitio eſt *de re*, & pœnitentia manet contingens: contingens enim eſt, quòd, illis videntibus opera Chriſti, Deus velit dare illis pœnitentiam, cùm poſſit velle non dare, ſicut voluit non dare Bethſaiditis, & ſic etiam pœnitentia abſolutè manet contingens. Ità autem eſſe, docet D. Proſper *reſponſ.* 8. laudatâ ad excerpta Genuenſ. his verbis. *De Tyriis verò, & Sidoniis, quid aliud poſſumus dicere, quàm non eſſe eis datum, ut crederent, quos etiam credituros fuiſſe, ipſa veritas dicit &c.* Et infra. *Sed etiam Corozain, & Bethſaida potuiſſe converti, & fideles ex infidelibus fieri, ſi hoc in eis Dominus voluiſſet operari.*

XXVI. Objicit quintò P. Typhanius noviſſimus Societ. Scriptor, qui Anonymus nuncupari ſolet. Scientia conditionata plures arguit imperfectiones; ergo in Deo non datur. Antec. probat primò. Particula *ſi* eſt nota compoſitionis, nempe conditionati cùm conditione: imò & diſcurſus, idem enim eſt dicere, *ſi Sol lucet, dies eſt*, ac dicere, *Sol lucet, ergo dies eſt*. Secundò, dicit ſuſpenſionem, hæſitationem, & otioſitatem. Suſpenſionem, quia nihil videt determinatum, imò fingit, ut ſi eſſet, quod reverâ non eſt. Otioſitatem etiam, cùm enim habeat Deus ſcientiam abſolutam de exiſtentia, vel non exiſtentia conditionis, & conditionati, otioſè ſe gereret, ſicut qui videret Solem lucentem, & diem, otioſè diceret, *ſi Sol lucet, dies eſt*. Tandem cùm Deus non cognoſcat illa futura conditionata in ſe ipſis, quia in ſe ipſis nihil ſunt, neque in æternitate, cùm nunquam futura ſint, videt ea in ſuis cauſis; ſed de effectibus, ut in ſuis cauſis ſunt, haberi nequit cognitio, niſi conjecturalis; ergo &c.

XXVII. Primò retorqueo argumentum. Si enim ex ſcientia conditionatorum certa, quam nos admittimus, ſequuntur imperfectiones in Deo, multò majores ſequentur ex ſcientia, ſeu cognitione ſolùm conjecturali, quam ipſe admittere debet, cùm ex iſta ſequatur ulteriùs incertitudo. Addo. Hæ imperfectiones, quas ipſe fingit, ſequuntur etiam ex ſcientia de conditionatis neceſſariis; hanc autem quis Catholicus Deo denegabit?

XXVIII. Secundò reſpondeo directè, ex ſcientia conditionatorum non ſequi in divina cognitione, neque compoſitionem, neque diſcurſum, ſed quòd uno indiviſibili obtutu cognoſcat ea, quæ à nobis enuntiativè, compoſitivè, & diſcurſivè cognoſcuntur, ſeu

quòd cognoſcat enuntiabilia, non enuntiabiliter, diſcurſiva, non diſcurſivè, ut docet D. Thom. hâc *quæſt.* 14. *art.* 14.

Neque eſt ſuſpenſa, aut hæſitans, quia cognoſcit eventum determinatè futurum ſub conditione; quòd ſi non cognoſcit exiſtentiam conditionis, hoc ideò eſt, quia pro illo ſigno nondum eſt cognoſcibilis, quia pro eo ſigno nihil de ea ſtatuit.

Neque eſt otioſa: pro eo enim ſigno nondum habet ſcientiam de exiſtentia abſoluta conditionis, quia nondum concipitur, eam ſtatuiſſe; cognoſcit tamen, quòd ſi poneretur, ſequeretur eventus, quia ſic decreto ſuo conditionato ſtatuit, ut dicemus.

Tandem non ſequitur, cognitionem illam eſſe tantùm conjecturalem, quia videt effectus, non in cauſis ſuis contingentibus, nudè ſumtis, & in ſeipſis, ſed ut decreto ſuæ voluntatis ſubſunt, ex quo determinantur ad ponendum effectum ſub hypotheſi, quòd exiſtat conditio. Sed jam de iſto decreto, de quo apud nos, & Mediiſtas acerrimè controvertitur, agendum eſt.

DUBIUM II.

An circa contingentia conditionata ſint admittenda in Deo decreta abſoluta quidem ex parte ſubjecti, ſed conditionata ex parte objecti?

§. I.

Status difficultatis.

Ad ſternendam viam iis, quæ inferiùs dicturi ſumus, præmittendum hoc dubium eſt. Si enim circa futura conditionata dantur in Deo decreta actu, & ſubjectivè in eo exiſtentia, quibus ſtatuat, ea potiùs futura, poſitâ conditione, quàm non futura, jam ſcientia, quâ illa futura novit, utpote fundata in decreto de eorum conditionata futuritione, erit libera, non media inter liberam, & neceſſariam.

I. Notandum ergo eſt, triplex decretorum genus poſſe diſtingui in Deo. Primum abſolutum tàm ex parte ſubjecti, quàm ex parte objecti, quo Deus abſolutè, & abſque ulla conditione ex parte objecti ſtatuit, aliquid facere, vel per ſe ipſum, vel per cauſam creatam, quod his verbis exprimitur: *Volo producere mundum: Volo Anti-Chriſtum eſſe tali tempore*. Et hujuſmodi decreta in Deo dari, fatentur omnes; cùm hiſce decretis plenæ ſint Sacræ Paginæ; tùm etiam, quia videmus, multa abſolutè, & independenter ab omni conditione fieri; ergo vel dicendum eſt, hæc fieri præter Dei voluntatem, vel in Deo dari voluntatem, ſeu decretum abſolutum tàm ex parte ſubjecti, quàm ex parte objecti, quo voluit ea fieri.

II. Secundum genus decretorum eſt conditionatum tùm objectivè, ſeu ex parte objecti, tùm ſubjectivè, ſeu ex parte ſubjecti, hoc eſt, quod non exiſtit actu in Deo, exiſtet tamen, ſeu exiſteret, ſi ponatur, vel poneretur aliqua conditio, quod explicatur his verbis: *ſi Petrus oraverit, decernam, illi concedere, quæ poſtulaverit:* ſeu: *ſi Paulus iret ad concionem, vellem ipſum laudare*: quo non deſignatur actualis efficax volitio eum laudandi, ſed potiùs eam me habiturum, ſuppoſito, quòd eat ad concionem. Et hæc ſunt decreta, quæ Patres Societatis admittunt in Deo circa futura conditionata, non quæ actu ſint, ſed *quæ eſſent, ſi &c.* Sicut enim, inquiunt, futurum conditionatum eſt illud, quod non erit, ſed *erit, ſi ponatur &c.*, ità ad illud requiritur decretum, non quod ſit, ſed quod actu eſſet, ſi poneretur, vel quod erit, ſi ponatur illa conditio.

III. Tertium decretorum genus dicitur abſolutum ex parte ſubjecti, & conditionatum ex parte objecti, quod actu quidem exiſtit, de re tamen ponenda non abſolutè, ſed ſub aliqua

con-

Digitized by Google

conditione, ſeu quo Deus abſolutè ſtatuit aliquid futurum, ſi talis, vel talis conditio ponatur, quod ſic explicari poteſt: *Volo dare Petro, quæ poſtulaverit, ſi oraverit:* vel: *volo ipſi dare gratiam, ſi audiat concionem*. Dicitur autem hoc decretum ſubjectivè abſolutum, quia actu exiſtit in Deo, ad differentiam decreti ſubjectivè conditionati, quod actu non exiſtit, *ſed exiſteret, ſi &c.* Dicitur quoque conditionatum objectivè, quia res decretata non erit, niſi conditio præfixa ponatur, ad differentiam decreti abſoluti objectivè, quo res decreta independenter ab omni conditione erit. De hoc præſens eſt quæſtio, an in Deo reverà detur circa futura conditionata contingentia?

§. II.

Aſſertio affirmativa.

IV. Dico. Circa futura contingentia conditionata dantur in Deo decreta abſoluta ex parte ſubjecti, & conditionata ea parte objecti. Ità omnes diſcipuli S. Thomæ, & veriores Scotiſtæ. Prob. primò. Quia, ut vidimus, tota rerum contingentium futuritio pendet à decreto, & voluntate Dei; ergo, ſicut non poteſt aliquid eſſe abſolutè futurum, niſi Deus decreverit, illud abſolutè futurum eſſe: ità nequit aliquid eſſe futurum ſub conditione per ſe non connexa, niſi Deus decreverit, illud ſub tali conditione eventurum. Unde enim ſub tali conditione indifferente ad eventum, vel non eventum, eveniret potiùs, quàm non eveniret, niſi eſſet, qui talem conditionem ad eventum ordinaret?

V. Probatur ſecundò. Quia, ut diximus, & dicemus, pro priori ad decretum Dei nihil eſt determinatè futurum, ſed quidquid eſt, contingens eſt ad eſſe, vel non eſſe; ergo ablato divino decreto, non magis futura eſſet converſio mea ſub conditione auditionis concionis, quàm non futura, quia concio ſecundùm ſe nullam dicit connexionem cum exiſtentia meæ converſionis. Quot enim audiebant conciones Chriſti, quorum tamen pauci convertebantur, & credebant in ipſum, imò plures, & ſapientiores avertebantur ab ipſo? Qui ergo, audito Chriſto, convertebantur, hoc ideò erat, quia decreverat Deus, ut, ſi Chriſtum audirent, converterentur. Sed de his infra.

VI. Probatur tertiò pluribus Sacræ Scripturæ locis, quibus Deus revelavit, ſe multa facturum, ſi talis, vel talis conditio poneretur, quæ tamen conditio non erat implenda: ut *Geneſ.* 18. quòd deleturus non eſſet Sodomam, ſi in ea quinquaginta, vel triginta, vel viginti, vel decem Juſti fuiſſent: quòd Rex Joas expugnaturus eſſet Syros, ſi quinquiès, aut ſexiès, aut ſeptiès terram jacculo Rex ipſe percuſſiſſet 4. *Reg.* 13.: quòd Salomoni ſervaturus eſſet Regnum, ſi tàm Salomon, quàm ejus poſteri mandata divina ſervarent 3. *Reg.* 9.: & alia ejuſmodi; ergo aderat in Deo voluntas talia promiſſa implendi, ſi dictæ conditiones implerentur. Conſeq. probatur primò. Deus enim potuiſſet abſolutè, etiam poſitis Juſtis, Sodomam non ſalvare: ſtante percuſſione terræ jaculo factâ ſexiès, aut ſeptiès à Joas, ad Syriæ devaſtationem non concurrere: poſitâ etiam obſervantiâ mandatorum, Regnum Salomoni, & poſteris non ſervare; ergo, ne promiſſiones illæ falſitati exponantur, & minùs veraces reputentur, dicendum eſt, hæc Deum certò promiſiſſe, quia jam apud ſe certò ſtatuerat, omnia illa, etſi contingentia, determinatè futura, ſi appoſitæ conditiones implerentur.

Secundò probatur conſeq. Quando talia, & ſimilia pronunciabat Deus conditionatè futura, vel ejus voluntas erat determinata ad ea implenda, poſitis conditionibus, vel non? Si primum; habemus intentum; quia illa vo-

voluntas, utpote libera, erat aliquod decretum liberum; & cùm res volita non eſſet ponenda abſolutè, ſed dependenter ab aliqua conditione, non erat decretum prorsùs abſolutum, ſed conditionatum ex parte objecti. Secundum verò dici nequit. Tùm quia, ſi non erat in Deo voluntas determinata implendi, quæ promittebat, poſitis conditionibus, quomodo ſincera, & verax fuiſſet illa promiſſio, ſicut quomodo ſincera eſſet promiſſio illius, qui diceret, *ſi pugnaveris, dabo tibi equum*, quùm non haberet voluntatem implendi, poſitâ conditione? Tùm etiam, ſi voluntas divina actu non eſſet determinata ad ea ponenda ſub conditione, quomodo poterat res enunciata, & promiſſa eſſe determinatè ponenda ſub illa conditione, cùm voluntas divina, à qua ejus determinatio dependet, eſſet indeterminata?

Igitur, ſi non poteſt ſtare promiſſio verax, & ſincera abſque animo, & voluntate adimplendi, abſolutè quidem, ſi promiſſio ſit abſoluta, & conditionatè, ſi promiſſio ſit ex parte rei promiſſæ conditionata: ſi inſuper nequit aliquid eſſe ſive abſolutè, ſive ſub conditione futurum, quin intelligatur dependentia à voluntate Dei, à quo omnia pendent; non video, quomodo ſalvari poſſit, quòd aliqua ſint contingenter futura ſub tali conditione inconnexa, quin ſupponatur, à Deo ſic fuiſſe ſtatutum; nec Chriſtus *Matth. 26. v. 53.* adeò fidenter dixiſſet Petro: *An putas, quia non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò pluſquam duodecim legiones Angelorum?* niſi certus fuiſſet, Patrem ſuum decreviſſe, eas illi exhibere, ſi ipſum rogaſſet.

VII. Dicunt Adverſarii, quòd ſicut futurum ſub conditione non ponenda de facto non eſt, *ſed eſſet, ſi &c.*, ità non requirit decretum in Deo, quod actu ſit, ſed *quod eſſet, ſi &c.* Eſto autem divinis decretis repugnet futuritio abſoluta, non tamen conditionata.

Ut hæc reſponſio confutetur ſit:

§. III.

An pro priori ad decretum ſubjectivè in Deo exiſtens poſſit Deus futura conditionata certò cognoſcere?

VIII. DIco. Negare neceſſitatem decreti actu in Deo exiſtentis circa futura conditionata eſt Deo negare cognitionem certam illorum. Hâc aſſertione radicitùs evellitur ſcientia media, de qua in ſequentibus. Et probatur. Negare neceſſitatem decreti ſubjectivè actu in Deo exiſtentis circa futura conditionata eſt negare, ea certò eſſe, adhuc poſitâ conditione, futura; ergo eſt negare, ea certò à Deo cognoſci, ut conditionatè futura. Anteced. probatur. Negatâ cauſâ dante futuritionem, negatur effectus ex ea procedens; ſed, negato decreto actu, & ſubjectivè in Deo exiſtente circa futura conditionata, negatur cauſa futuritionis; ergo negatur, ea eſſe conditionatè futura. Min. ſuperiùs fusè oſtendimus, & iterùm, ut D. Thomæ doctrinam (quidquid obſtrepatur in contrarium) proponimus: nam *1. p q. 16. a. 7. ad 3. illud* [inquit] *quod nunc eſt, ex eo futurum fuit, antequam eſſet, quia in cauſa ſua erat, ut fieret*; UNDE SUBLATA CAUSA NON ESSET FUTURUM ILLUD FIERI. SOLA AUTEM CAUSA PRIMA EST ÆTERNA. *Unde ex hoc non ſequitur, quod ea, quæ ſunt, ſemper fuerit verum, ea eſſe futura*. NISI QUATENUS IN CAUSA SEMPITERNA FUIT, UT ESSENT FUTURA, QUÆ QUIDEM CAUSA SOLUS DEUS EST. Ubi obſervo, D. Thomam ibi reſpondere argumento conanti oſtendere, aliquam veritatem creatam eſſe æternam, eo quòd ab æterno fuit verum, res, quæ modo ſunt, eſſe futuras. Cui, juxta doctrinam in corpore illius articuli ſtatutam, nempe quòd *veritas in ſolo Deo æternitatem habet*, reſpondet, *futura vera non eſſe, niſi quatenus in cauſa ſempiterna fuit, ut eſſent*

Digitized by Google

eſſent futura, *quæ quidem cauſa ſolus Deus eſt: & quâ ſublatâ cauſâ*, nempe Deo, *non eſſet futurum illud fieri*. Quâ doctrinâ evertitur tota Moliniſtarum doctrina. Nam D. Thom. non diſtinguens inter futurum abſolutum, & conditionatum dicit primò, quòd futura, ex quo ſemper, & ab æterno ſint futura, debent habere cauſam, quæ ab æterno ſit: quibus excludit cauſam, quæ erit, vel quæ eſſet. Secundò, quòd hæc cauſa non alia eſt, quàm ipſe Deus, agens nimirum per voluntatem, utpote liberum, quibus ſtatuit Deum eſſe cauſam futuritionis per decretum. Tertiò, quòd futurum non habet veritatem in ſe, ſed ſolùm in Deo, ſeu in divino intellectu, quo excludit veritatem objectivam ex eventu, quam contrarii confingunt. Tandem dicit, quòd ſublatâ causâ, nempe Deo, non eſſet futurum illud fieri; quo ſtatuit, futurum non eſſe pro priori ad decretum divinæ cauſæ, & conſequenter nec poſſe pro priori ad illam, ut futurum cognoſci. Quibus tota noſtra doctrina ſtatuitur, & contraria evertitur.

IX. Probo ſecundò, non ſufficere ad veritatem futuri conditionati decretum, quod *eſſet, ſi*. Primo ſic. Eſto de futuro conditionato verificetur modò, quòd *erit*, *vel eſſet exiſtens*, *ſi:* non tamen verificatur, quod *erit*, *vel eſſet futurum, ſi;* ſed modò, imò ab æterno eſt *futurum*, *ſi*: ſicut eſto de futuro abſoluto verificetur, quòd erit exiſtens, non tamen verificatur, quòd erit futurum, ſed ab æterno eſt, & fuit fu urum; ergo licèt decretum, *quod eſſet*, foret ſufficiens ad dandam actualem exiſtentiam, non tamen ad dandam actualem futuritionem etiam conditionatam. Conſequent. probo ex principiis Adverſariorum. Sicut ad effectum, qui modò non eſt, ſed erit, vel eſſet, non requiritur cauſa, quæ ſit, ſed quæ eſſet: ità ad effectum, qui modò eſt, dari debet cauſa, non quæ erit, vel eſſet, ſed quę modò ſit; ergo cùm futurum conditionatum modò, imò ab æterno ſit futurum, debet modò, imò ab æterno eſſe cauſa ejus futuritionis; ſicut futurum abſolutum eſto modò non ſit actu exiſtens, quia tamen eſt actu futurum, petit actu habere cauſam ſuæ futuritionis. Tunc ſic. Sed futura non ſunt futura, *niſi quatenus in cauſa* ſempiterna fuit, ut eſſent futura, quę quidem cauſa ſolus Deus eſt, ut ait D. Thom. laudatus; ergo cauſa, cur modò ſint conditionatè futura, eſt Deus, in quo ut in cauſa ſempiterna fuit, ut eſſent, ſi poneretur conditio.

X. Confirmo. Sicut poſſibile nunc non eſt exiſtens, eſt tamen nunc, & ab æterno poſſibile eſſe, ità futurum nunc non eſt, eſt tamen nunc, & ab æterno futurum eſſe; ſed poſſibile, ut ſit poſſibile, petit Omnipotentiam, quę actu ſit tanquam cauſa ſuæ poſſibilitatis; ergo futurum, ut ſit futurum, petit actu cauſam ſempiternam, in qua ſit, ut ſit futurus.

X. Urgeo magis dicta. Eſto futurum conditionatum ſit illud, quod non eſt, ſed *eſſet*, *ſi*, attamen dari debet nunc determinativum, quo potiùs *eſſet, ſi*, quàm *non eſſet*; ſed hoc determinativum non poteſt eſſe ipſa conditio, quia hæc ſupponitur contingenter connexa cum eventu, nec poteſt eſſe cauſa creata contingens, quia hęc eſt contingens, & docet D. Thomas *in 1. diſt. 38. qu. 1. art. 5. ad 2.*, quòd *futurum contingens non eſt determinatè verum, antequam fiat, quia non habet cauſam determinatam* (loquitur de cauſa creata) & *hâc qu. 14. art. 13.* ait: *quicumque cognoſcit effectum contingentem in cauſa ſua tantùm, non habet de eo, niſi conjecturalem cognitionem*. Neque in cauſa creata ſub decreto, quod eſſet, vel ſub tali auxilio. Tùm quia non poteſt haberi denominatio, & determinativum nunc ab eo, quod nunc non eſt, ſed eſſet. Tùm quia decretum illud, vel eſſet ex ſua natura efficax ad eventum, ſicut & auxilia efficaciter inferentia eventum, vel illud, & iſta eſſent indifferentia, & de-

quam certò noverat, imò decreverat non eſſe ponendam, eſſe otioſas, imprudentes, aut ridiculas; ità nec otioſa ſunt, aut ridicula illa decreta, ſine quibus illæ promiſſiones ſubſiſtere non poterant, ut ſuperiùs oſtendimus.

Ad primam igitur probationem nego, illa decreta fore otioſa. Licèt enim non ſortiantur effectum, quantùm ad poſitionem rei decretatæ ſub conditione, conducunt tamen, ut Deus certò cognoſcat veritatem, aut falſitatem propoſitionum contingentium conditionalium, ut probatum eſt; hæc autem cognitio valdè conducit in Deo ad univerſi gubernationem: ad ſapientem enim proviſorem pertinet præſcire, quid futurum ſit in hac, vel illa rerum combinatione. Quare decreta de futuris in Sacra Scriptura revelatis certè ad aliquem finem conducunt, vel ad manifeſtandam divinæ providentiæ gubernationem, vel divinæ miſericordiæ propenſionem, vel benignitatis affectum.

Ad ſecundam, conc. antec., nego conſequentiam, & ſuppoſitum, quòd talia ſint decreta, quæ à nobis admittuntur. Sunt enim de conditione quidem abſolutè non futura, ſed non abſolutè impoſſibili, qualia ſunt ea, quæ objicit arguens; ſicut ex eo, quòd Deus certò cognoſcat, & efficaciter decreverit, alium mundum non producere, non ſequitur, alium mundum per hoc eſſe abſolutè impoſſibilem, ſed ſolùm non eſſe futurum.

Ad tertiam dico. Talia decreta in nobis fortè eſſent nugatoria: non tamen ſemper, maximè accedente rationabili causâ. Quare ſi aliquis deſideret pati apud Turcas martyrium ſub conditione, quòd eat ad illos, & ex rationabili motivo habeat animum non eundi ad illos, talis voluntas eſt prorsùs laudabilis. Verùm dato, quòd in nobis eſſet otioſa, & nugatoria talis voluntas, non tamen in Deo. Nam etſi careat eventu ſub conditione volito, habet tamen alios fines, præſertim ut Deus certò cognoſcat veritates conditionatas, & ut interrogatus de tali futuro poſſit certò, & veraciter reſpondere, illud eventurum ſub tali conditione, vel non eventurum: quod non poſſet Deus ſine tali decreto, ut oſtenſum eſt. Sicut enim utilem prædicant Adverſarii ſuam ſcientiam mediam, quia per eam dirigitur Deus, ne erranti, & cæco modo formet ſua decreta; ità utilia, imò neceſſaria potiori jure cenſemus decreta ſubjectivè abſoluta, & objectivè conditionata, ut certò, & ſine periculo erroris cognoſcat futura conditionata, & in caſu, ut cognoſcèret, & certò pronunciaret Tyriorum converſionem futuram ſub conditione prædicationis Chriſti, quùm ſine tali decreto cognoſcere, nec aſſerere certò potuiſſet, quamvis ex cauſis ſibi notis Chriſtus apud Tyrios prædicare noluerit.

XVI. Secundò objiciunt. Si in Deo admittitur decretum ſubjectivè abſolutum, & objectivè conditionatum circa unum, vel alterum conditionatum, admitti debet circa omnes combinationes, non ſolùm revelatas in Scripturis, ſed circa omnes etiam poſſibiles ſub conditionibus etiam diſparatis: ſi enim tale decretum non repugnat Deo circa aliqua, nec repugnabit circa omnia; ſed hoc videtur ridiculum: quis enim concipere poſſet ſine riſu in Deo hoc decretum, *Volo Turcam converti, ſi muſca volet? Imperatorem ſaltare, ſi Papa dormiet?*

XVII. Quæro ab Adverſariis, an Deus per ſuam ſcientiam mediam cognoſcat quodcumque futurum ſub quacumque combinatione etiam poſſibili, etiam diſparata, & an certò ea cognoſcat? Si reſpondeant, certò non cognoſcere omnia, ſed ſolùm ea, quæ revelavit: dicam ego, cur non omnia? & ſi non omnia, ulteriùs dicam, nec dari in Deo decreta circa omnia ſub quacumque conditione poſſibili, & diſparata. Si reſpondeant, Deum per ſcientiam mediam certò cognoſcere omnia conditionata, ut determinatè futu-

futura ſub quacumque combinatione, poſſibili, & diſparata: inferam; ergo circa omnia habet decretum de eorum futuritione ſub quacumque conditione, quia ſublato iſto decreto nec eſſent futura, nec poſſent ut talia à Deo certò cognoſci. Igitur

XVIII. Reſpondeo primò, negando maj.: quia ſicut neceſſe non eſt, ut Deus cognoſcat omnes combinationes poſſibiles ſub conditionibus etiam diſparatis, ut determinatè futuras, ſed ſolùm eas, quæ conducunt de facto ad finem aliquem præſentis Providentiæ, ità neceſſe non eſt, ponere in Deo decreta circa omnia conditionata, ſed ſolùm circa ea, quę nobis ſunt revelata, vel quæ in præſenti providentia conducere poſſunt ad aliquem ejus finem. Perfecta namque providentia Dei rationabiliter nobis ſuadet, quòd Deus decreverit, & ſciat ea omnia, quæ quovis modo connecti poſſint cum creaturis à ſe productis in ordine ad finem ab ipſo pręfixum. Non tamen, ut inde rationabiliter judicemus, quòd Deus diſpoſuerit circa omnes combinationes poſſibiles circa res merè poſſibiles, & eas ut certò futuras cognoverit: quùm horum cognitio nihil ſerviat Providentiæ ſuæ, & ad nullum ejus finem conducere poſſit. Et hoc indicat S. Thomas *in 1. diſt. 47. qu. 1. art. 1. ad 4.* dicens: *Deus nihil poteſt facere, quod non eſſet ab eo volitum, ſi fieret: tamen in poteſtate ſua multa ſunt, quæ modò nec volita ſunt, nec bona ſunt, quia non ſunt, nec unquam erunt.*

XIX. Si tamen contendant, Deum præſcire determinatè omnino quęcumque futura conditionata etiam circa poſſibilia, cogentur, admittere in Deo decreta circa omnia, quia, ut probatum eſt, determinata futuritio rei contingentis, ſive abſoluta, ſive conditionata à decreto Dei dependet. Neque hoc eſt ridiculum, ſicut ridiculum non eſt, quòd ea omnia noverit ſub quacumque combinatione, etiam diſparata. Quid enim magis diſparatum eſt, quàm percuſſio Syriæ cum percuſſione terræ jaculo, & tamen Deus decreverat, quòd ſi Joas ſexiès, aut ſeptiès terram jaculo percuſſiſſet, Syriam devaſtaſſet. Ut ſupra dixi *ex 4. Reg. 13.*

Quòd ſi dicas, tales combinationes eſſe infinitas, nec ſub certa intentione agentis poſſe cadere. Reſpondebo, non poſſe cadere ſub certa intentione agentis decernentis ea omnia ſimul in re ponenda, benè tamen, ſi decernat, omnia ponere ſolùm diviſivè: & ſicut unico actu omnia quæcumque ſub quibuſcumque combinationibus novit, ità unico actu ea omnia decrevit. Utraque reſponſio probabilis eſt. Unico Verbo. Vel Deus ab æterno de omnibus conditionatis ſub quacumque combinatione decrevit, vel non. Si decrevit; omnia ſunt determinatè futura ſub illis conditionibus. Si vel non decrevit, vel decrevit oppoſitum; ſunt determinatè non futura.

XX. Tertiò objiciunt. Omne decretum divinæ voluntatis infert, & cauſat aliquam realem, & phyſicam mutationem in re volita; ſed decreta conditionata, quorum conditio nunquam ponetur, nullam poſſunt inferre in re volita mutationem defectu conditionis, quæ nunquam ponetur; ergo illa non dantur.

Argumentum, quod magnificatur à P. Vaſquez, nihil valet, etiam apud Contrarios. Nam ipſi dicunt, Deum habere decretum generale concurrendi cum voluntate ad omnes actus liberos ejus, concurſu generali, & indifferenti, ſi ipſa voluerit influere: quod decretum habet Deus etiam reſpectu voluntatis, quæ non eſt operatura, & conſequenter in qua nulla ſequetur mutatio phyſica.

Reſpondeo igitur, quòd decretum Dei, ſi ſit abſolutum, debet inducere in re volita mutationem realem phyſicam abſolutam. Si verò ſit ſolùm conditionatum, non debet inducere mutationem realem abſolutè, ſed ſolùm ſub conditione; ideſt, ſufficit, quòd

quòd ex vi illius mutaretur creatura phyſicè, ſi conditio impleretur. Et hæc mutatio ſolùm conditionata requiritur ad diſtinguendum objectum decreti conditionati ab objecto decreti abſoluti. Tamen ex vi decreti conditionati ſequitur in objecto aliqua mutatio objectiva, quia de objecto merè poſſibili tranſit in futurum ſub conditione.

XXI. Dices. Objectum divinæ voluntatis eſt aliquod bonum à Deo amabile; ſed futurum conditionatum de conditione nunquam implenda non eſt actu bonum, & amabile; ergo &c. Min. prob. Eo modo aliquid eſt bonum, quo eſt, vel dicit ordinem ad eſſe; ſed futurum ſub conditione non ponenda actu non eſt, ſed *eſſet*, *ſi*; ergo non eſt actu bonum, ſed eſſet bonum, ſi poneretur conditio.

Confirmatur. Quod actu coloratum non eſt, ſed eſſet coloratum ſub aliqua conditione, non eſt actu objectum viſus, ſed eſſet; ergo quod actu non eſt bonum, ſed eſſet, non eſt actu objectum voluntatis, ſed eſſet.

XXII. Reſpondeo, nego min., ad prob. diſt. min., non eſt abſolutè, co: min., ſub conditione, nego min. Futurum enim eo modo reſpicit eſſe, quo eſt determinatum ad eſſe. Si eſt determinatum abſolutè ad eſſe, abſolutè illud reſpicit. Si verò eſt determinatum ad eſſe ſub conditione, ſub conditione illud reſpicit. Hæc autem reſpicientia exiſtentiæ eſt aliqua bonitas inchoata diſcriminans rem à purè poſſibili, & reddens eam capacem actu terminandi actum inefficacem amoris divini.

XXIII. Ad confirm. dico, in ea fieri magnam æquivocationem. Aliud enim eſt, aliquid ſub conditione futurum, ſub illa conditione, ſub qua eſt futurum, eſſe bonum, & amabile, quod dicimus nos. Aliud, eſſe amabile id, quod non eſt actu bonum, ſub conditione, quòd ſit bonum, ut intendit arguens, & nos negamus. Converſio enim Tyriorum eſt amabilis à Deo, non ſub conditione, quòd eſſet bona, ſed quia eſt bona, utpote futura ſub conditione prædicationis Chriſti. Quare futurum conditionatum licèt non ſit, ſed eſſet, non tamen non eſt bonum, ſed eſſet, imò eſt actu bonum: & ſic exemplum de colorato non eſt ad rem.

XXIV. Objiciunt quartò. Si in Deo eſſet decretum objectivè conditionatum de converſione Tyriorum ſub conditione prædicationis Chriſti, eſſent in Deo duæ voluntates repugnantes, nimirum voluntas converſionis, & voluntas non converſionis: cùm enim Deus efficaciter noluerit, Chriſtum prædicare Tyriis, à quo, ut à conditione pendebat eorum converſio, dici debet, Deum noluiſſe eorum converſionem, & ſic eam voluiſſe, & noluiſſe. Quod idem eſt ac ſi quis diceret, ſe velle omnino ſanitatem alicujus, & toto ſtudio ab illo amoveret remedia neceſſaria ad ſanitatem acquirendam.

XXV. Reſpondeo, nego maj. Illæ enim diverſę voluntates non ſunt contrariæ, & repugnantes, quia non ſunt de eodem objecto formali, ſed materiali tantùm: ſicut nec in Chriſto voluntas conditionata non moriendi, & voluntas abſoluta moriendi: & in mercatore poſito in periculo naufragii, voluntas ſalvandi merces, & voluntas eas projiciendi; imò in ipſo Deo contrariæ non ſunt voluntas antecedens ſalvandi omnes, & voluntas aliquos reprobandi, ob rationes dicendas in *Tractatu de Voluntate Dei*. Sic ergo voluntas converſionis Tyriorum ſub conditione prædicationis Chriſti non eſt oppoſita voluntati abſolutæ efficaci non mittendi ad illos Chriſtum, quia converſio volita ſub conditione, & nolita abſolutè eſt diverſum objectum in eſſe objecti, quia ſub ratione diverſa inſpectum, ſicut mori, & non mori erant Chriſto diverſum objectum, & ideò ſub una conſideratione nolebat mori, ſub alia volebat.

Digitized by Google

DUBIUM III.

An futura contingentia conditionata cognoſcat Deus per ſcientiam, quam vocant mediam?

§. I.

De origine, & progreſſu Scientiæ Mediæ.

I. Controverſia hæc, quæ totum Orbem Catholicum jam implevit, ac Theologorum Academias in partes diſtraxit, seriò à nobis tractanda eſt. In hac re tota Schola verè Thomiſtica contra Scholam Patrum Societatis acriter ſemper pugnavit, & pugnat adhuc, adeò, ut utriuſque Teſſera, & Character eſſe videatur.

Longum eſſet hujus ſcientiæ mediæ ortum, progreſſum, ac fortunam recenſere. Hoc præſtarunt multi, & ex Societate, & ex noſtris. Ex Societate inter cæteros P. Henao in ſua *Scientia media hiſtoricè propugnata*. Ex noſtris multi, Joannes à S. Thom. *in 1. p. qu. 14. diſp. 20. art. 1.*, Lemos tùm *in Panoplia*, tùm in *Actis Congregationum de Auxiliis*, & noviſſimè P. Serry in ſua *Congregationum de Auxiliis Hiſtoria*. Nos, qui non hiſtoriam tradere, ſed Theologicis veritatibus Candidatos imbuere aggreſſi ſumus, rem hanc ſtricto calamo percurremus.

II. Si P. Molinæ fidem habemus, ante ejus tempora ignotam fuiſſe penitùs ſcientiam mediam, & ex ejus mente primò conceptam, ortamque, exiſtimabimus. Is enim Vir Societatis Alumnus, & in Eborenſi Academia Profeſſor, in ſua, quam edidit, jam à triginta annis concepta Concordia ad *qu. 23. art. 4. & 5.*, ſcribere non dubitat, in iis, quæ ipſe tradiderat de ſcientia media futurorum ſub conditione, ſitam eſſe totam rationem conciliandi libertatem arbitrii cum divina gratia, & prædeſtinatione, addens: *quæ ſi data, explanataque ſemper fuiſſent, fortè neque Pelagiana hæreſis fuiſſet exorta, neque Lutherani tàm impudenter arbitrii libertatem fuiſſent auſi negare, &c.* Deinde. *Hæc noſtra ratio conciliandæ libertatis arbitrii cum divina prædeſtinatione, à nemine, quem vidimus, fuit hucuſque tradita.* Subditque. *Si ab Auguſtino ea data, & explanata fuiſſet, Pelagiana hæreſis nunquam fuiſſet exorta, neque ex Auguſtini opinione, concertationibuſque ejus cum Pelagianis tot fideles fuiſſent turbati, nec ad Pelagianos defeciſſent.* Similia habent Fonſeca *qu. 6. Metaph. ſect. 8.*, & Vaſquez *1. p. diſp. 67. cap 7.* *Quid mirantur* (inquit) *Scholaſtici Theologi, ſi præter ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & viſionis, nos aliam ponamus, cujus ipſi mentionem non fecerunt?* Idem ſentit Herice *1. p. diſp. 7. c. 10.*

Verum P. Suarez à ſcientia media novitatis notam abſtergere, ſuoſque hàc gloriâ privare prudentiùs exiſtimat, aſſerens, eam ab Auguſtino ad nos perenniter fluxiſſe, quamquam non ſemper ità perſpicuè Theologis innotuerit; in quo, an verum dixerit, inferiùs examinabimus.

III. Hoc certum judico, ſcientiam mediam fuiſſe antiquis notam: Eam enim agnoviſſe Arianos, teſtatur Didacus Alvarez *diſp. 7. de auxiliis n. 10.* ex epiſt. Alexandri Alexandrini Epiſcopi ad Alexandrum Epiſcopum Conſtantinopolitanum, quæ refertur à Theodoreto *lib. 1. hiſt. cap. 4.* Ut enim aſſignarent cauſam, quare Chriſtus, quem creaturam puram aſſerebant, ſolus inter homines ad divinæ filiationis dignitatem fuerit evectus, ad ſcientiam mediam recurrebant, dicentes: *Deum, cùm præſciret, ac prævidiſſet, quòd filius ipſum ſpreturus non eſſet, illum ex omnibus elegiſſe .... atque, ut inſanam iſtam doctrinam confirment, Scripturis Sacris contumelioſè illudentes, afferunt illud, quod in Pſalmis de Chriſto dictum eſt.* Pſal. 44. *dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem, propterea unxit te Deus tuus oleo letitiæ præ conſortibus tuis.* Quibus ex parte videtur conſen-

ſiſſe

ſiſſe P. Molina, dùm 1. *part. concord. q. 23. art. 4. & 5. diſp. 1. membr. 9. §. illud etiam:* ait: *Illud etiam, quod ad exaltationem, laudem, & honorem Chriſti, Sanctiſſimaque illius Matris ſpectat, mihi videtur admodum veriſimile, ſacratiſſimis eorum duorum animabus non ſolùm excellentiora dona Deum conferre decreviſſe, ſed etiam eaſdem prævidiſſe, meliùs, quàm cæteras, pro ſua innata libertate uſuras ſuo arbitrio, eâque ratione in tantam dignitatem potiùs, quàm cæteras, electas fuiſſe.*

IV. Scientiam mediam agnoviſſe, eâque uſos, ſivè abuſos fuiſſe etiam Pelagianos, & Semipelagianos, in ſuorum errorum patrocinium eam advocantes, teſtantur litteræ Proſperi, & Hilarii ad Sanctum Auguſtinum, quibus murmura præfatorum hæreticorum adversùs S. Doctoris ſcripta de prædeſtinatione, & gratia, quę exponentes, tria dicunt eos docere. Primum, eos, *qui credituri ſunt, quive in ea fide, quæ deinceps per gratiam ſit juvanda, manſuri ſunt, praſciſſe ante mundi conſtitutionem Deum, & eos prędeſtinaſſe in regnum ſuum, quos gratis vocatos, dignos futuros electione, & de hac vita bono fine exceſſuros eſſe prævidérit.* Secundum, *removeri omnem induſtriam, tollique virtutes, ſi Dei conſtitutio humanas præveniat voluntates, & ſub hoc Prædeſtinationis nomine fatalem quandam induci neceſſitatem.* Tertium, *propoſitum autem vocantis gratiæ in hoc omnino definiunt, quòd Deus conſtituerit, nullum in regnum ſuum, niſi per Sacramentum regenerationis aſſumere, & ad hoc ſalutis donum omnes homines univerſaliter .... vocari, ut & qui voluerint, fiant filii Dei, & inexcuſabiles ſint, qui fideles eſſe noluerint: quia Juſtitia Dei in eo ſit, ut qui non crediderint, pereant;* bonitas *autem appareat, ſi neminem repellat à vita; ſed indifferenter univerſos velit ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire.* Hęc S. Proſper epiſt. laudatâ: ſimilia habet S. Hilarius in ſua; quæ libris S. Auguſt. de Prædeſt. SS. pręfixæ leguntur.

V. Cum itàque hæc eadem P. Molina in ſua Concordia, quam an. 1588. typis Ulliſſiponenſibus evulgarat, dicere auderet, & Auguſtinum traduceret, cæteroſque Theologos, ac ſi duriore doctrinâ fideles turbaſſent, & Semipelagianorum argumentis nec ille, nec iſti ſufficienter reſpondiſſent, talis doctrina malè habita fuit, nedum à Scholæ D. Thomæ, & S. Auguſtini juratis Alumnis, ſed & à Viris in Eccleſia Dei maximæ exiſtimationis, inter quos unus inſtar omnium annalium Parens Cardinalis Baronius laudatur in *epiſt. ad Petrum de Villars* Archiepiſcopum Viennenſem, quam refert Gonetus in ſua Apologia Thomiſtarum, & noviſſimè eruditiſſimus P. Graveſon in *ſua hiſt. Eccleſ. tom. 7. pag. 272.* Hinc maximis in Hiſpaniis excitatis turbis, ac contentionibus, Summus Pontifex Clemens VIII., juſſis ad ſe mitti utriuſque partis lucubrationibus, cauſam ad ſuum Supremum Tribunal acceſſivit, mandans, ne interim hac de re quiſquis in Scholis, ſuggeſtis, editiſque libris ageret, donec aliter foret ab Apoſtolica Sede definitum.

VI. Quid verò Romæ actum ſit ſub Clemente præfato in delegatis Congregationibus: quâ mentis contentione in eis coram Summo Pontifice diſputatum ſit à Doctiſſimis Viris, ad hoc ſelectis, nempe Didaco Alvarez, & Thoma de Lemos ex Ordine noſtro, ac PP. Valentia, Arrubal, & Vaſtida Societatis Alumnis, videri, & legi poteſt in Actis earundem Congreg. à Patre Lemos, & earum hiſtoria nuperrimè à P. Serry conſcriptis. Dùm hæc agerentur, Clemente VIII. morte prærepto, Paulus V., qui in Defuncti locum, & Sedem ſucceſſit, reſumſit quidem cauſæ præfatę examen, novaſque Congregationes ſuper ea inſtituit. Sed tandem occultis rationibus, Deo ità diſponente, litem omnem in ſuſpenſo reliquit, indicto utrique parti ſilentio. Quo factum eſt, & adhuc ſit, ut utraque pars ſuam ſen-

ſententiam teneat, & utrique ſua conſtet apud Catholicas Scholas probabilitas, donec, cui veritas ſit adjudicanda, Apoſtolica Sedes decernat. Ecce originem, progreſſum, & ſtatum ſcientiæ mediæ.

§. II.

Scientia Media quid ſit?

VII. Nomine Scientiæ mediæ non intelligimus ſcientiam futurorum contingentium conditionatorum præcisè, de hac enim non controvertimus, ſed omnes concorditer ſtatuimus, eam dari in Deo, & quidem certam, non purè conjecturalem, ut ſuperiùs oſtenſum eſt.

Neque ſcientiam hanc ideò vocamus conditionatam, quaſi in Deo actu non ſit, ſed eſſet, ſi poneretur conditio, ſed ſupponimus, eam actu & ſubjectivè eſſe in Deo, quamvis objectivè conditionatam, nimirum de objecto, non quod erit abſolutè, ſed quod erit, ſeu (ſi placet) quod eſſet, ſi poneretur conditio, ad eum modum, quo ſuperiùs diximus, circa contingentia conditionata dari decreta ex parte ſubjecti abſoluta, & conditionata ex parte objecti, quia ſunt de re ponenda, non abſolutè, ſed ponenda ſub conditione, ſeu quæ poneretur, & eſſet, ſi poneretur conditio.

VIII. Quæſtio igitur inter noſtros, & Societatis profeſſores eſt, an ejuſmodi ſcientia de contingentibus liberis, quæ eſſent, ſi conditio poneretur, ſupponat in Deo actu exiſtens decretum de poſitione illorum ſub tali conditione, an verò antevertat exiſtentiam cujuſcumque decreti actu exiſtentis in Deo; ità, ut priùſquam Deus quidquam decernat, videat, quid creatura pro ſua libertate eſſet factura, ſi decerneret illam ponere ſub tali conditione, circumſtantia, & auxilio. Quare Scientia conditionatorum Thomiſtica connotat decretum actu in Deo exiſtens, & eſt ſcientia Deo libera. Jeſuitica verò antecedit omne decretum in Deo actu exiſtens, & ſolùm connotat decretum, quod eſſet, & ideò vocatur media, ut ſtatim dicam. Quamobrem ſcientia hæc media ſic deſcribi poteſt. *Scientia, quâ Deus ante omne ſuæ voluntatis decretum certò novit, quid voluntas factura eſſet, ſi decerneret eam ponere in talibus circumſtantiis, vel in tali rerum ordine, & ſub tali auxilio*. Unde Verba Chriſti de Tyriorum converſione, ſi Chriſtus illis prædicaſſet, ſuppoſito, quòd id cognoverit per ſcientiam mediam, debent ſic exponi: *ſcio Tyrios convertendos eſſe, ſi apud illos decernerem facere virtutes, & ſigna, quæ facio apud Judæos* Scientia verò conditionata, quam nos admittimus, ſic deſcribi debet. *Scientia certa, & infallibilis contingentium conditionatorum, innixa decreto ponendi eventum, poſitâ conditione*. Quare præcitata Chriſti verba ſic explicanda ſunt: *ſcio Tyrios convertendos eſſe, ſi apud illos facerem ſigna, quæ apud Judæos facio, quia decrevi, ſi apud illos hæc ſigna facerem, dare illis quò converterentur*. Quod expreſſit S. Proſper reſponſ. 8. ad excerpta Genuenſ. his verbis. *De Tyriis verò, & Sidoniis, quid aliud poſſumus dicere, quàm non eſſe eis datum, ut crederent?* Et infra. *Et non ſolùm Tyrios, & Sidonios, ſed etiam Corozain, & Bethſaida potuiſſe converti, ſi hoc in eis Dominus voluiſſet operari*.

IX. Ex dictis liquet, cur ſcientia noſtra conditionatorum dicatur libera. An autem dicenda ſit viſionis, an ſimplicis intelligentię? inferiùs dicam, quid probabilius exiſtimem. Cur autem, & quomodo ſcientia conditionatorum dicatur à Jeſuitis media? non una eſt apud illos ſententia. Aliqui enim ponunt illam mediam inter ſcientiam viſionis, & ſimplicis intelligentiæ, quia nec eſt intuitiva videns rem præſentem, nec abſtractiva ſolùm attingens quidditatem, ſed etiam exiſtentiam, licèt ſub conditione, & non abſolutè futuram. Alii reducunt il-

lam

lam ad ſcientiam viſionis. Alii ad ſimplicem notitiam eam devolvunt. Alii verò eam ponunt mediam inter liberam, & neceſſariam, quia non eſt neceſſaria, cùm ejus objectum ſit liberum, & pendens ex libertate noſtra, poſſetque oppoſitum ejus fieri, poſità etiam conditione: nec eſt libera, quia antevertit omne decretum liberum Dei, & ſic neceſſariò illi convenit. Sic ergo eſt neceſſaria Deo, libera creaturę, quæ ſicut illam poſuit in Deo ſine ejus voluntate, ità potuiſſet non ponere. Quare medium, in quo hæc ſcientia media futura contingentia conditionata cognoſcit, non eſt divinum decretum, quod nullum ſupponit, ſed vel eſt voluntas creata ſupercomprehenſa, vel ipſa veritas objectiva eventus, ſemel poſito, quòd ſtante conditione ſit futurus, de quo ſuperiùs egimus.

Quęſtio igitur iſta auctoritate, & ratione tractanda eſt, inveniendæ veritatis amore. In re, quam poſt longas diſputationes inſcrutabilem eſſe, neceſſe erit fateri, & ad occulta Dei judicia confugere: & mente, non voluntate pugnandum eſt.

DUBIUM IV.

An Scientiæ Mediæ favèant Scripturę?

§. I.

Reſolutio dubii.

I. Dico primò. Scientia Media explicata, nimirum, quâ Deus, priuſquam decernat, exploret, & certò cognoſcat futurum conſenſum creatæ voluntatis applicantis, & determinantis concurſum Dei, & quâ dirigatur Deus in ſuis decretis formandis, videtur Sacræ Scripturæ parùm conformis. Hoc indicant primò omnia ea Scripturæ loca, quibus proponitur voluntas Dei pro ſuo libito diſponens de omnibus, etiam de humanis cordibus, & cauſans in eis actus bonos; quæ expendentur inferiùs, tùm in ſequenti Tractitu, dum agemus de efficacia divinę voluntatis, tùm in Tract. de Prędeſt. Ut illud Pauli ad *Epheſ. 1. v. 9. Ut notum faceret nobis Sacramentum Voluntatis ſuæ, ſecundùm beneplacitum ejus, quod propoſuit in eo* [Chriſto]: & v. 11. *In quo etiam & nos ſorte vocati ſumus, prædeſtinati ſecundùm propoſitum ejus, qui operatur omnia, ſecundùm conſilium voluntatis ſuę.* Sed poſità ſcientià explorante conſenſum creatę libertatis, priuſquam decernat, neque operaretur ſecundùm propoſitum ſuum, nec ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ, ſed priùs expectaret conſilium voluntatis humanæ, quum nihil ſtatueret, niſi priùs nutibus, affectibus, & inclinationibus ejus exploratis, attendens, quid illi placeret, quâ arte illam flectere poſſet, quaſve circumſtantias ei miniſtrare, ut illam vinceret; ergo &c.

II. Rursùs adduci poſſunt alia ejuſdem Pauli verba ad Epheſ 2. v. 10. *Ipſius enim factura ſumus creati in Chriſto Jeſu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus.* Si ergo creati ſumus in operibus bonis; ergo ſicut creatio non ſupponit, ſed facit ſubjectum, ità Deus creans in operibus bonis, non ſupponit bona opera præviſa futura, ſed ea decernendo facit futura: ſi Deus præparat opera noſtra, ut in illis ambulemus, profectò nos non prævidit ambulaturos, ante decretum, & præparationem ſuam, ſed ſuo decreto facit, ut ambulemus. *Dicitur autem Deus nobis præparare, in quantum diſpoſuit ſe nobis daturum*, ait D. Thom. ſupra dicta verba *lect.* 3.

III. Verùm ſiſtam in alio Pauli textu ex *1. Cor. 4. v. 6. & 7.*, ubi reprehendens Corinthiorum elationem, quâ Miniſtros Dei temerè contemnebant: *Ne ſupra quàm ſcriptum eſt unus adverſùs alterum inſletur pro alio. Quis enim* (inquit) *te diſcernit? Quid autem habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?*

peris? Super quæ D. Thomas lect. 2. *Poſſet enim* (inquit) *aliquis diſcerni à bonis, vel à malis melior eis exiſtens, propter bona, quæ habet, puta fidem, ſapientiam, & hujuſmodi. Sed hoc excludit Apoſtolus dicens.* Quid autem habes, quod non accepiſti? *quaſi dicat*: Nihil.

Ex his diſcurro ſic. Si Deus per ſcientiam mediam, antequam quidquam prorsùs decernat, videret Petrum in tali ſerie, & ordine rerum ex ſua libertate determinare gratiam indifferentem, & indifferenti decreto oblatam, videret etiam, Petrum in tali ſerie, & ordine rerum poſitum ſe diſcernere à Juda, qui in eiſdem circumſtantiis, & eadem gratia poſitus non eſt conſenſurus inſpirationi, & gratiæ: diſcretio enim Petri conſentientis à Juda non conſentiente non proveniret à Dei decreto, quia Petrus prçvideretur conſenſurus, ejuſque conſenſus præ Juda futurus, ante omne decretum, & ſi eſt decretum, hoc indifferens eſt, & indifferenter oblatum: non à gratia, vel auxilio, quia hoc ſupponitur indifferens, & æquale in utroque. Unicè ergo proveniret à libera voluntate Petri volentis determinare gratiam, eique conſentire; ergo Petrus ſeſe diſcerneret à Juda, haberet aliquid, quod non accepiſſet; & poſſet contra Judam de ſua converſione inflari, & ſuperbire: quod eſt contra mentem S. Pauli. Cùmque ex eiſdem principiis, quibus in ſtatu conditionato ſeſe diſcerneret, poſitus in ſtatu abſoluto de facto ſe diſcernat, ſequitur, Petrum de facto ſe diſcernere à Juda.

IV. Confirm. Petrum ſe diſcernere à Juda in iis, quæ non accepit, ſeu in naturalibus, eſt contra mentem Apoſtoli; at conſenſus prævisus ante decretum ex innata libertate Petri, non in dono gratiæ accepto, ſed in naturalibus diſcernit Petrum à Juda; ergo &c. Min. probat. Conſenſus ille prævisus ante decretum primordialiter oritur ex naturali libertate Petri, non ex gratia, quam ſupponimus, & Petro, & Judæ indifferenter oblatam; ergo &c.

V. Scio, variè à contrariis reſponderi: præcipuè tamen, Deum eſſe ſemper principalem diſcernentem, quia Deus eſt, qui dat gratiam, ſine qua homo nihil poſſet, quamvis eam acceptare, ſit in poteſtate hominis. Inſuper, quamvis gratia non ſit ſemper phyſicè inæqualis in eo, qui conſentit, eſt ſaltem moraliter major, quia illi datur in circumſtantiis ſavorabilibus, in illis nempe, in quibus per ſcientiam mediam prævisus eſt conſenſurus, cùm alteri detur in illis, in quibus prçvisus eſt non conſenſurus. Dare autem gratiam in circumſtantiis potiùs favorabilibus, quàm in infauſtis, unde tota diſcretio conſentientis à non conſentiente procedit, ità in Dei poteſtate eſt, & arbitrio, ut nullatenus ab hominis pendeat libertate, & propterea homo non ſe diſcernit, ſed Deus eſt, qui diſcernit hominem juſtum ab impio.

VI. Sed contra primum. Eſto Deus ſit, qui dat gratiam, gratia tamen prout à Deo venit, eſt tantùm ſufficiens, & dans poſſe agere, non verò efficax, & dans ex ſe actu agere, ſed totam efficaciam, & actu operari bonum, habet ex homine, qui pro innata ſui libertate eligit potiùs conſentire, quàm non conſentire; atqui diſcretio inter Petrum, & Judam non eſt in poſse, & non poſſe agere, quia in hoc ſunt æquales, & uterque habet quo poſſit, ſed conſiſtit in conſentire, & non conſentire, in actu benè uti, & non deeſſe gratiæ, & actu malè uti, eique deeſſe; ergo cùm benè uti gratiâ habeat Petrus ex ſua libertate, ex ſua libertate Petrus ſe diſcernit à Juda, & ſic homo, non Deus, eſt principalis diſcernens.

VII. Simili diſcurſu S. Auguſtinus *l. de Prædeſt. SS. cap. 5.* Semipelagianos urgebat. *Nunquid enim per hæc dona, quæ omnibus communia ſunt hominibus, diſcernuntur homines ab hominibus?...*

Nihil

Nihil autem huic ſenſui tàm contrarium eſt, quàm de ſuis meritis ſic quemquam gloriari, tanquam ipſe ſibi ea fecerit, non gratia Dei: ſed gratia, quę bonos diſcernit à malis, non qua communis eſt bonis, & malis. Deinde obſervans, quòd cùm poſſe habere fidem omnibus commune ſit, non verò fidem habere, cùm non omnes ſint fideles. *Non ait Apoſtolus:* Quid autem potes habere, quod non accepiſti, ut poſſes habere? *Sed ait:* quid autem habes, quod non accepiſti? *Proinde poſſe habere fidem, ſicut poſſe habere caritatem, natura eſt hominum, habere autem fidem, quemadmodum habere caritatem, gratia eſt fidelium &c.* Cùm igitur in contraria Mediiſtarum ſententia, gratia ut à Deo venit ſit ſufficiens, ac indifferens, & fiat efficax ex voluntatis arbitrio conſentientis, verum quidem erit, quòd poſſe habere fidem (quod eſt commune) ſit à Deo, ſed actu habere fidem (quod diſcernit) erit ab homine. Quia verò Semipelagiani opponebant. *Multi audiunt verbum veritatis: ſed alii credunt, alii contradicunt: Volunt ergo iſti credere, nolunt autem illi*. Reſpondet S. Doctor. *Quis hoc ignorat? quis hoc negat? ſed cùm aliis pręparetur, aliis non præparetur voluntas à Domino, diſcernendum eſt utique, quid veniat de miſericordia ejus, quid de Judicio*. Legatur D. Auguſtinus ibi, electionem ipſam, quâ unus actu eligit fidem prę alio, tribuens gratiæ, & concludens: *gratis ergo conſecuta eſt, quod conſecuta eſt, electio*.

VIII. Totum hoc exemplo oculis ſubjicere placet. Si ego prævidens, ſi darem duobus gladium ejuſdem acuminis, unum illo benè uſurum, & hoſtem ſuperaturum, alterum verò cum eodem gladio ab hoſte vincendum, utrique eorum gladium darem, relinquens, ut quiſque ſuo robore, & viribus gladio uteretur, & unus eorum, ſicut prævifus fuerat, gladio ſtrenuè utens, hoſtem vinceret, alter verò eodem gladio ſegniter ageret, & hoſti ſuccumberet. Peto ab Adverſariis. Quo diſcerneretur à ſuccumbente victor? à me dante utrique gladium æquale, an potiùs à ſe ipſo, qui ſuis viribus benè utens, eodem gladio, quo alter ſuccubuit, ipſe triumphavit? Ego quidem diſcernerem victorem à ſuccumbente, ſi non ſolùm ei gladium conferrem, ſed ulteriùs brachium ejus præpararem, ac vires roborarem, ut gladio ſtrenuè uteretur. Sic diſcurrite de Deo.

IX. Contra id, quod ſecundò reſpondent, fateor, ponere hominem in circumſtantia favorabili potiùs, quàm infauſta, in ſolius Dei arbitrio, & poteſtate eſſe. Sed adhuc poſſet homo contra alterum inflari, & ſeſe diſcernere Quod probo ſic. Primò, quòd Deus ponat unum in circumſtantiis favorabilibus potiùs, quàm funeſtis, eſt quidem conditio, ſine qua homo in illis poſitus non diſcerneretur ab alio poſito in circumſtantiis infauſtis, vera tamen ratio, & cauſa diſcretionis, eſſet humana libertas, quâ nimirùm in illis circumſtantiis poſitus benè uteretur gratiâ, & conſentiret, & alter malè uteretur, & non conſentiret. Non enim ideò unus eſt bonus, quia eſt poſitus in circumſtantia favorabili, & alter malus, quia poſitus eſt in infauſta: ſed quia unus benè utens gratiâ, & conſentiens fecit ſibi circumſtantiam favorabilem, alter malè utens, eandem circumſtantiam, quam alter ſibi favorabilem effecit, conſentiendo, non conſentiendo ſibi reddidit infauſtam.

X. Secundo probo, & confirmo dicta. Circumſtantiæ non habent ab intrinſeco, & ex natura ſua, quòd ſint favorabiles, vel infauſtæ, ſed ex ſe prorſùs indifferentes ſunt ad utrumque, ut Adverſarii fatentur. Rursùs fatentur etiam, quòd gratia in illis circumſtantiis data de ſe eſt indifferens ad hoc, ut ei conſentiatur, vel non conſentiatur, & ſolùm tàm gratiam, quàm circumſtantias ipſas determinari ab extrinſeco, nempe ab eventu prę-viſo,

viſo, nimirum à conſenſu, vel non conſenſu. Ergo licèt gratia, & circumſtantiæ eſſent conditiones, ſine quibus non haberetur conſenſus præ non conſenſu, non tamen ſunt cauſa: ſed ratio, & cauſa conſenſus prę non conſenſu eſſet ſola humana voluntas pro ſuo arbitrio conſentiens, & ſe à non conſentiente diſcernens; hoc autem videtur eſſe contra canonem 6. Arauſicani ſecundi, quo ſic ſtatuitur. *Si quis ſine gratia Dei credentibus, volentibus, deſiderantibus, conantibus... nobis miſericordiam dicit conferri divinitùs, non autem ut credamus, velimus, vel hac omnia, ſicut oportet agere valeamus, per infuſionem, & inſpirationem Sancti Spiritus in nobis fieri confitetur, & aut humilitati, aut obedientia humana ſubjungit gratia adjutorium, nec ut obedientes, & humiles ſimus, ipſius gratia donum eſſe conſentit, reſiſtit Apoſtolo dicenti: quid habes, quod non accepiſti? & gratiâ Dei ſum id, quod ſum.* Quo canone perſtringuntur non ſolùm, qui dicunt, miſericordiam Dei conferri credentibus, & volentibus ſine gratia Dei, ſed iì quoque, qui gratiæ Deì adjutorium ſubjungentes, non confitentur, gratiam darì, ut credamus, velimus, obedientes ſimus, & humiles ſimus; At ex Adverſariorum doctrina, eſto non ſequatur, miſericordiam nobis conferri ſine gratia Deì, ſequitur tamen, eam non dari, ut credamus, velimus &c., ut ſuperiùs dicta conſideranti patebit; ergo &c.

§ II.

Exponuntur Scripturę loca, quæ videntur favere Scientia Media.

XI. Sed objiciunt primò. *Sapientiæ* 4. *v.* 11. deſcribitur Deus ante ſuum decretum prævidiſſe, quòd ſi Electus permanſiſſet, tentationibus ſuccubuiſſet: propterea ipſum rapere decrevit à mundi illecebris: *raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus; aut ne fictio deciperet animam illius.*

Secundò. Ante ſuum decretum pręvidit, quòd *niſi breviati fuiſſent dies illi* (perſecutionis Anti-Chriſti) *non fieret ſalva omnis caro*; ſed quia voluit Electos ſalvos facere, decrevit dies illos breviare: unde ſubjungitur, *ſed propter electos breviabuntur dies illi. Matth.* 24. *v.* 22.

Tertiò. 1. *Reg.* 23. Davidi quærenti, *ſi Viri Ceilæ tradent me in manus Saulis*: & ſi Saul deſcenderet, ipſo manente Ceilæ? Deus reſpondit, quòd Saul *deſcendet*, & Ceilitæ *tradent*; Ergo Deus eodem modo præſciebat, & Saulem venturum, ſi David ibi maneret, & Cives Sauli tradituros Davidem.

Quartò. *Jerem.* 38. *v.* 17. Sedeciæ Regì dicitur: *Si profectus exieris ad Principes Regis Babylonis, vivet anima tua &c.*; Ergo præſciebat Deus, Sedeciam fore ſalvandum, ſi exiiſſet ad Principes Regis Babylonis.

XII. Reſpondeo, omnia præfata certò quidem pręſciviſſe Deum poſitâ conditione eſſe ponenda, ut hâc *qu. dub.* 1. § 4. oſtenſum eſt: non tamen per ſcientiam mediam, ſeu antevertentem omne decretum ſuum, ſed per ſcientiam liberam ſupponentem decretum actu in Deo exiſtens de re illa ponenda, ſi talis conditio ponatur.

Ad primum Script. textum dico, ut ſuperius oſtendi §. 4. *cit.*, reprehendi à Sancto Auguſtino, & Proſpero Semipelagianos, quòd eo abuterentur ad aſſerendum, Deum ex præſcientia eorum, quæ geſturi erant, ſi ad adultam ætatem perveniſſent, motum fuiſſe ad rapiendos aliquos parvulorum ex hac vita, ne præviſis culpis contaminarentur, quam præſcientiam, ut ſuperius dixi, ante omne decretum ponebant, & proinde erat eadem, quæ modò vocatur media. Indicat ergo textus ille, Deum juſtum illum rapuiſſe, ne inquinaretur malitiâ, quam præſciverat, non præſcientiâ in Deo poſitâ ab eventu, & proinde Deo non liberâ, & ac ſi timeret, ut malitia

præ-

Digitized by Google

prævisa suæ prædeſtinationis effectum poſſet impedire: ſed præſcientiâ ſibi liberâ fundatâ in decreto ſuo, quâ ſtatuerat ipſi permittere malitiâ coinquinari, ſi diù vixiſſet; ſed quia abſoluto decreto eum prædeſtinavit, ideò præmaturè eum rapiendo, noluit conditionem apponi.

Eodem modo ad ſecundum textum pariter dico, Deum prævidiſſe perdendam fore omnem carnem, niſi breviati fuiſſent dies illi, præſcientiâ nixâ decreto, quo ſtatuerat, permittere lapſum omnis carnis, ſi diutiùs Anti-Chriſti perſecutio perſeveraſſet.

Ad tertium eodem modo reſpondeo, Deum reverà id ſciviſſe, ſed non per ſcientiam mediam, quia non antecedenter, ſed in decreto ſuæ voluntatis, quo ſtatuerat permittere, tùm Saulis deſcenſum, tùm Urbis obſidionem, tùm Davidis traditionem, niſi David inde recederet. Quia verò abſolutè ſtatuerat, Davidem non eſſe tradendum, ideò cavit, ne ibi maneret.

Ad quartum pariter dico, Deum meritò prædixiſſe illos eventus, quia ſtatuerat punire Judæos remanentes in Jeruſalem, & cuſtodire illos, qui juxta Jeremiæ conſilium fugiſſent ad Principes Regis Babylonis. Quare nihil pro ſcientia media.

XIII. Objiciunt ſecundò. Chriſtus *Lucæ* 10. *v.* 13., & *Matth.* 11. *v.* 21. indicat, ſe cognoviſse, Tyrios, & Sidonios acturos fuiſſe pœnitentiam, ſi ipſe coram eis feciſſet virtutes, & ſigna, quæ fecerat coram Bethſaida, & Corozain, & propterea Judæos increpat, tanquam inexcuſabiles, qui talibus viſis ſignis, & virtutibus, non egerint pœnitentiam, his verbis: *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethſaida, quia, ſi in Tyro, & Sidone facta fuiſſent virtutes, quæ facta ſunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egiſſent*; Atqui niſi hoc cognoviſſet per ſcientiam antevertentem omne Dei decretum actu exiſtens, & conſequenter mediam, reprehenſio iſta Judæorum coram Tyriis foret injuſta; Ergo &c. Min. prob. Ut reprehenſio male operantis in comparationem benè operantis juſta ſit, debet eſſe inter utrumque æqualitas, in his ſaltem, quæ non proveniunt à propria voluntate, ut docet etiam Ariſt. 3. Topic., aliàs reprehenſus poſſet juſtè reſpondere: ſi æqualem alteri in his, quæ pendent à tua voluntate, & neceſſaria ſunt, me feciſſes, & ego benè operatus fuiſſem, ſicut ille; ſed ſi Chriſtus cognoviſſet pœnitentiam Tyriorum per ſcientiam ſupponentem decretum dandi converſionis gratiam Tyriis, ſub conditione, quòd illis prædicaret, & non dandi eam Judæis, poſitâ apud illos eâdem conditione, Judæi non eſſent æquales Tyriis in dono pendente à Dei voluntate, & neceſſario ad converſionem, & proinde poterant Chriſto reprehendenti juſtè reſpondère: ſi de nobis, ſicut de Tyriis, habuiſſet Deus decretum dandi donum converſionis, converſi eſſemus, & egiſſemus nos quoque pœnitentiam; ergo &c.

XIV. Confirmatur. Eſto increpatio abſoluta poſſit eſſe juſta, ſi quis cum ſolis ſufficientibus auxiliis non benè agat, non tamen erit juſta, ſi increpet illum comparativè ad illum, cui datur etiam auxilium efficax quia ad hoc, ut increpatio ſit juſta, debet eſſe æqualitas inter extrema comparationis: ſicut ſi Dux exercitus uni ex militibus daret arma mediocria, & ſufficientia ad victoriam, alteri verò daret arma optima, & ad victoriam efficacia, & infallibilia, poſſet quidem militem illum abſolutè increpare, ſi vinci ſe permiſiſset, ſed non in comparatione alterius, cui arma optima, & efficacia dediſſet: poſſet enim juſtè reſpondere: non eſt mirum, ſi ego victus ſum, ille vicit, quia illi arma contuliſti optima, & efficacia ad victoriam, mihi autem ſufficientia quidem, ſed non efficacia. Cùm ergo Chriſtus increpaverit Judæos comparativè ad Tyrios, ut juſta fuerit increpatio, dici debet, Judæos habuiſse

Digitized by Google

æqualia omnino dona, ac Tyrii habuiſſent.

XV. Confirmatur ſecundò. Si apud Tyrios, & Sidonios fuiſſent facta majora miracula, quàm apud Cives Corozain, & Bethſaida, non fuiſſet juſta increpatio comparativa; ſed gratia interior magis requiritur ad pœnitentiam, quàm exterior, qualia ſunt miracula; ergo ſi ex defectu ęqualitatis in gratia exteriori miraculorum, non poterant juſtè increpari, minùs ex defectu æqualitatis in gratia interiori.

XVI. Hoc ratiocinium, cui ſcientia media tota confidit, & quod multis modis inſtaurare conantur ejus Patroni, primò refertur à D. Auguſtino, ut ſibi objectum à Monachis Adrumetinis his verbis lib. de corrept. & gratia c. 4. *Rectè corriperer, ſi eam meâ culpâ non haberem* [ideſt fidelem Dei, & proximi caritatem] *hoc eſt, ſi eam poſſem mihi dare, vel ſumere ipſe, nec facerem, vel ſi dante illo, ego accipere noluiſſem. Cùm verò & ipſa voluntas à Domino præparetur, cur me corripis, quia vides, me ejus præcepta facere nolle, & non potiùs ipſum rogas, ut in me operetur, & velle?* Et rurſùs *c. 6.* alium refert ità reſpondentem. *Poſſum, poſſum omnino, quando me arguis, quod ex bona vita in malam meâ voluntate relapſus ſum, dicere adhuc: Quid ego feci, qui non accepi? Accepi enim fidem, quæ per dilectionem operatur: ſed in illa uſque in finem perſeverantiam non accepi. An quiſquam dicere audebit, iſtam perſeverantiam non eſſe donum Dei, & hoc tam magnum bonum ità eſſe noſtrum, ut quiſquis id habuerit, non ei poſſit Apoſtolus dicere: Quid enim habes, quod non accepiſti, quoniam hoc ſic habet, ut non acceperit?* Ecce Semipelagianum ſeſe excuſantem, quòd ideò non perſeveraverit, quia perſeverantiæ donum in ſolius Dei poſitum poteſtate non accepit.

XVII. Porro quid reſpondet S. Auguſtinus? audiamus. *Ad hæc nos negare quidem non poſſumus, etiam perſeverantiam in bono proficientem uſque in finem, magnum eſſe Dei munus, nec eſſe niſi ab illo, de quo ſcriptum eſt:* Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſursùm eſt deſcendens à Patre luminum: *Sed non ideò ejus, qui non perſeveravit, negligenda correptio eſt.* Et poſt multa in hujus veritatis confirmationem ex Scripturis petita, c. 7. ſubdit: *Nec ſe excuſabunt dicentes, ſicut modò dicunt,* quare corripimur? *ità tunc, quare damnamur, quandoquidem, ut ex bono reverteremur ad malum, perſeverantiam non accepimus, quâ permaneremus in nobis? Nullo modo hâc excuſatione à juſta damnatione ſe liberabunt.* Et magis urgendo ſic proſequitur S. Doctor. *Si enim ſicut veritas loquitur, nemo liberatur à damnatione, quæ facta eſt per Adam, niſi per Fidem Jeſu Chriſti, & tamen ab hac damnatione non ſe liberabunt, qui poterunt dicere, non ſe audiſſe Evangelium Chriſti, cùm fides ex auditu ſit: quantò minùs ſe liberabunt, qui dicturi ſunt: perſeverantiam non accepimus? Juſtior enim videtur excuſatio dicentium, non accepimus audientiam, quam dicentium, non accepimus perſeverantiam: quoniam poteſt dici: homo in eo, quod audieras, & tenueras, in eo perſeverares, ſi velles, nullo autem modo dici poteſt; Id, quod non audieras, crederes, ſi velles.* Si ergo nec qui donum perſeverantiæ non acceperunt, imò qui nec fidem audierunt, juſtè excuſare ſe poſſunt dicentes, donum à Deo non accepi, multò minùs excuſare ſe poterant Judæi, qui, audito Evangelio, & viſis miraculis, venire ad Chriſtum, hoc eſt, in eum credere, noluerunt.

XVIII. Nunc ad propoſitum argumentum in primis dico, illud ſolvendum eſſe ab omnibus Catholicis. Nullus enim Catholicus dicit, Tyrios, & Sidonios fuiſſe credituros, vel pœnitentiam acturos, ex vi ſolius gratiæ externæ, nimirum auditâ ſolùm prędicatione, & viſis tantùm miraculis,

cùm

cùm omnibus gratiam intrinſecam contra Pelagium fateri neceſse ſit. Nec enim prædicatio fidei, etiam miraculis confirmata, eſt principium ſufficiens ad cauſandum aſsenſum fidei. Sed (ait D. Thomas 2. 2. *qu. 6. artic. 1.*) *Oportet ponere aliam cauſam interiorem, quæ movet hominem interiùs ad aſſentiendum his, quæ ſunt fidei. Hanc autem cauſam Pelagiani ponebant ſolùm liberum arbitrium hominis*. Sed Catholicè oportet ponere aliquod principium ſupernaturale interiùs movens. *Et ideò fides quantùm ad aſſenſum, qui eſt principalis actus fidei, eſt à Deo interiùs movente per gratiam*. Quibus conformiter loquitur lib. 3. *contrag. cap. 152.*, *&* 154. Unde S. Auguſtinus *lib. de Prædeſt. SS. c. 6.*, *& c. 8. Cùm Evangelium* [inquit] *prædicatur, quidam credunt, quidam non credunt: ſed qui credunt, Prædicatore forinſecùs inſonante, intùs à Patre audiunt, atque diſcunt. Qui autem non credunt, foris audiunt, intùs non audiunt, neque diſcunt: hoc eſt, illis datur, ut credant, illis non datur. Quia* nemo, *inquit*, venit ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum. *Joa. 6. v. 44.* Et nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datum à Patre meo. *ib. v. 54.* Vel ergo datum erat Judæis, quod fuiſſet datum Tyriis, ut crederent: vel non. Si non fuit datum, ut reverâ datum non fuit, aliàs de facto credidiſſent; ergo Judęi non erant æquales in eo, quod non in ſua, ſed in Dei erat poteſtate, & erat neceſſarium; ergo poterant ſe excuſare dicentes: non credidimus, quia donum, quo crederemus, & quod Tyrii accepiſsent, non accepimus.

XIX. Secundò, ſolvendum eſſe etiam ab arguente. Ipſe enim Catholicè fateri debet, Tyriis datam fuiſse gratiam vel phyſicè, vel ſaltem moraliter majorem eâ, quæ data fuit Judęis, nimirum gratiam congruam, vel eis datam in illis circumſtantiis favorabilibus, in quibus prævisi fuerant credituri. Cur ergo ſimiliter Judæi Corozaitæ à Chriſto exprobrandi reponere juſtè non potuiſsent: Si nobis dares gratiam congruam, ſicut eis dediſſes, vel ſi nos poſuiſses in illis circumſtantiis, quas favorabiles nobis fore prçvidiſti, quod in tua, non in noſtra erat poteſtate, & quas ad noſtram pœnitentiam neceſsarias prævidiſti, in quibus Tyrios poſuiſses, egiſſemus pœnitentiam, & nos?

XX. Dicamus ergo omnes concorditer cum D. Auguſt. *lib. de Prædeſt. SS.* c. 6. *diſcernendum* eſſe in Tyriis credituris *quid veniat de miſericordia ejus*. & in Corozaitis incredulis *quid veniat de Judicio*. Quod ſi juſtè conqueri poſsent Judæi, eo quia non eſſet eis datum, ut crederent, viſis Chriſti miraculis: quid dicturi eſsent Tyrii, qui credidiſsent, quibus Chriſti prædicatio denegata eſt? ità S. Proſper reſp. 8. ad excerpta Genuenſ. *Quare autem* [inquit] *hoc eis* Tyriis *negatum fuerit, dicant, ſi poſſunt, qui calumniantur: & oſtendant, cur apud eos Dominus mirabilia, quibus profutura non erant, fecerit; & apud eos, quibus erant profutura, non fecerit?* & propterea concludendum cum eodem, quòd, *ſi rationem facti, & profunditatem judicii eius penetrare non poſſumus, manifeſtiſſimè tamen ſcimus, & verum eſſe, quod dixit, & juſtum eſſe, quod fecit: & non ſolùm Tyrios, & Sidonios, ſed etiam Corozain, & Bethſaida potuiſſe converti, & fideles ex infidelibus fieri, ſi hoc in eis Dominus voluiſſet operari.* His cum D. Auguſtino, & Proſpero deberemus omnes pro reſponſione argumenti eſse contenti, neque ulteriùs in hoc negotio inquirere.

XXI. Verùm, ut pro modulo aliqua dicam, Reſpondeo ad argumentum principale, neg. min., ad prob. diſt. maj., æqualitas in his &c., quæ concernunt poſse agere, conc. maj., in his, quæ concernunt agere actuale, nego maj. Ut ergo increpatio comparativa juſta ſit, ſufficit, ut uterque æqualiter poſſit agere, & unus agat, alter non agat: çquales autem erant Judæi in gratia ſufficiente, & dante

poſse

poſse credere cum Tyriis, & ideò juſtè increpantur, quòd non fecerint, quod ipſi feciſſent. Quòd ſi Judæis defuit gratia efficax, ſine qua eorum pœnitentia poterat quidem eſſe, ſed non erat futura, quæ gratia Tyriis adfuiſſet: dicendum cum Auguſtino, quòd Deus cum Tyriis voluiſſet exercere miſericordiam, cum Judæis autem voluit exercere judicium. Quare hac in re duplex poteſt inſtitui quæſtio. Una, cur unus homo præ alio non conſentiat, quando uterque paribus auxiliis ſufficientibus prævenitur? Altera, cur unus præ alio vocetur auxilio efficaci, quo de facto convertitur? Prior quæſtio reſolvitur per *nolle* arbitrii creati, auxilio ſufficiente præventi, juxta illud Oſeæ 13. v.9. *Perditio tua ex te, Iſrael*. Et Prov. 1. v. 24. *Vocavi, & renuiſtis*. Secunda verò ſolvenda eſt per *velle*, & *nolle* Dei, ſecundùm dictum Oſeæ loco laudato, *tantummodo in me auxilium tuum*. Nec aliâ viâ poſſunt eam ſolvere Adverſarii, cùm ab eis quæritur, cur unus præ alio vocetur his auxiliis, & in his occaſionibus, quibus eum conſenſurum prænovit per ſcientiam Deus? Niſi quia Deus ſic voluit: & ſic adoranda judicia, & conſilia Dei ab omnibus ſunt; nec alia quærenda cauſa, niſi quia Dominus, quia nulli debitor, quia miſericors quidem eſt, ſed etiam juſtus.

XXII. Quamquam autem denegationis auxilii efficacis nulla ex parte Dei quærenda cauſa eſt, niſi ejus voluntas, ex parte tamen noſtra invenire poſſumus cauſam, quare denegatio talis gratiæ juſtum judicium ſit, nempe ingratitudinem, reſiſtentiam, obſtinationem. Et hac de cauſa auxilia efficacia, quæ data eſſent Tyriis, negata fuiſſe Judæis in pœnam, dicere poſſumus. Hanc doctrinam tradit D. Thomas 3. *contragentes c.* 159., ubi, cùm ſibi oppoſuiſſet, quod nobis opponitur, nimirum: *Cùm homo auxilium divinæ gratiæ mereri non poſſit, nec ad Deum converti, niſi Deus eum convertat: nulli enim imputatur, quod ab alio dependet:* Sic reſpondet: *Ad hujus dubitationis ſolutionem conſiderandum eſt, quòd licèt aliquis per motum liberi arbitrii divinam gratiam nec promereri, nec acquirere poſſit; poteſt tamen ſe ipſum impedire, ne illam recipiat; dicitur enim de quibuſdam, Job* 21. dixerunt Deo: recede à nobis, & ſcientiam viarum tuarum nolumus. *Et Job* 24. Ipſi fuerunt rebelles lumini. *Et cùm hoc ſit in poteſtate liberi arbitrii, impedire divinæ gratiæ receptionem, vel non impedire, non immeritò in culpam imputatur ei, qui impedimentum præſtat gratiæ receptioni .... ſicut Sole mundum illuminante, in culpam imputatur ei, qui oculos claudit, ſi ex hoc aliquod malum ſequatur: licèt videre non poſſit, niſi lumine Solis præveniatur.*

XXIII. Verùm, quia adhuc opponi poterat, quòd *licèt in poteſtate liberi arbitrii eſſe, ne impedimentum gratiæ præſtet, competat his, in quibus naturalis potentia integra fuerit*, ſecùs autem, ſi *per inordinationem præcedentem declinaverit ad malum*: reſpondet S. D. ibi *c.* 160. ſic. *Quamvis autem illi, qui in peccato ſunt, vitare non poſſint, quin impedimentum gratiæ præſtent, vel ponant, niſi auxilio gratiæ præveniantur: nihilominùs tamen hoc eis imputatur ad culpam, quia hic defectus ex culpa præcedente in eis relinquitur: ſicut ebrius ab homicidio non excuſatur, quod per ebrietatem committit, quam ſuâ culpâ incurrit*. Hæc D. Thom. qui deinde ſubjungit, quòd homo in peccato exiſtens, licèt non poſſit vitare omnia peccata, poteſt tamen vitare ſingula, ecto oppoſitum docuiſſet in 2. *ſent. diſt.* 28. *art.* 2.

XXIV. Procedens autem *c.* 161. ad inquirendum, quare Deus aliquos à peccato liberat, & aliquos in peccato relinquit? poſtquam oſtendit, quòd, in quantum rerum ordo exigit, nullus, qui in peccato eſt, gratiam deberet recipere; *tamen quia Deus præter ordinem rebus inditum operari poteſt, ſicut*

Digitized by Google

ſicut cùm cęcum illuminat , vel mortuum reſuſcitat : interdum ex abundantia bonitatis ſua etiam eos , qui impedimentum gratiæ pręſtant , auxilio ſuo pręvenit , avertens eos à malo , & convertens ad bonum. Et ſicut non omnes cęcos illuminat , nec omnes languidos ſanat , ut & in illis , quos curat , opus virtutis ejus appareat , & in aliis ordo natura ſervetur : ità non omnes , qui gratiam impediunt , auxilio ſuo prævenit , ut vertantur à malo , & convertantur ad bonum : ſed aliquos , in quibus vult ſuam miſericordiam apparere , ità , quòd in aliis juſtitia ordo manifeſtetur . Hinc eſt , quòd Apoſtolus dicit Rom. 9. Volens Deus oſtendere iram , & notam facere potentiam ſuam , ſuſtinuit in multa patientia vaſa irę , apta in interitum, ut oſtenderet divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ , quæ præparavit in gloriam .

XXV. Deinde ſubjicit . *Quàm autem Deus hominum , qui in eiſdem peccatis detinentur , hos quidem præveniens convertat , illos autem ſuſtineat , ſive permittat ſecundùm ordinem rerum procedere : non eſt ratio inquirenda , quare hos convertat , & non illos ? hoc enim ex ſimplici ejus voluntate dependet , ſicut ex ſimplici ejus voluntate proceſſit , quòd quùm omnia fierent ex nihilo , quædam facta ſunt aliis digniora : & ſicut ex ſimplici voluntate procedit artificis , ut ex eadem materia ſimiliter diſpoſita quędam vaſa format ad nobiles uſus , & quædam ad ignobiles . Hinc eſt quod Apoſtolus dicit ad Roman.* 9. An non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſsa facere aliud quidem vas in honorem , aliud verò in contumeliam ? *Per hoc autem excluditur error Origenis , qui dicebat , hos ad Deum converti , & non alios , propter aliqua opera , quæ animæ eorum fecerant , antequam corporibus unirentur .*

XXVI. Ex tota hac Angelici Præceptoris doctrina ad intentum præſens colligitur , Judæos præ Tyriis juſtè fuiſſe à Chriſto objurgatos , eorumque incredulitatem meritò illis imputari . Primò , quia licèt non poſſent fidem concipere , niſi auxilio gratiæ pręvenirentur , huic tamen recipiendo propriâ obſtinatâ voluntate impedimentum poſuere . Secundò , quòd eſto ſtante tali obſtinatione non poſſent non ponere impedimentum gratiæ , adhuc tamen eis imputabatur , quia ex culpa præcedente hoc in eis relictum fuerat : ſicut nec ebrius excuſatur à malo in ebrietate commiſſo , quia in eam ſuâ culpâ incurrit . Tertiò , quòd qui impedimentum ponit gratiæ , ſpectato ordine rerum , non deberet gratiam recipere ; & ſi Deus illam ei largiatur , agit præter ordinem rerum , ſicut cùm cæcum illuminat : Et ſicut , cùm non omnes cæcos illuminat , qui non illuminantur , non poſſunt juſtè conqueri ; ſic peccatores , qui gratiam converſionis non recipiunt . Quartò , quòd non eſt quærenda ratio , cur hos præveniat gratiæ , & convertat , alios verò non , & permittat eos ſecundùm ordinem rerum procedere , ſicut nec eſt quærenda ratio à Deo , cur ex nihilo aliqua fecerit aliis digniora , nec ab artifice , cur aliquod vas ex eadem maſsa fecerit in honorem , aliud in contumeliam . Quintò tandem , dùm reprehendit Origenem , quòd diceret , homines à Deo converti propter bona operæ , quæ animæ eorum fecerant , antequam corporibus unirentur , ſatis indicat , eos , nec à Deo converti propter bona opera , quæ prævisi fuerant facturi , & conſequenter ſcientiam mediam prorsùs abjicere .

Ad primam confirm. nego maj. Ad juſtam enim increpationem ſufficit æqualitas in auxiliis ſufficientibus , quę in Judæis validiora fuerunt , nedum æqualia . Quare exemplum de gladio non eſt ad rem , quia fortiori gladio Judæi donati fuerunt , ſed quia malè uſi ſunt , & quia impedimentum poſuerunt gratiæ danti bonum uſum , quod Tyrii non poſuiſſent , ideò juſtè , etiam comparativè , objurgantur . Nec enim , ut juſta ſit objurgatio comparativa , fieri debet inter inſtructos

æquali

æquali gratiâ tàm habituali, & ſufficiente, quàm actuali, & efficaci. Qui enim *Joa.* 6. non credebant, non erant conſtituti ſub eadem gratia, in qua erant alii, qui credebant, cùm fides ſit donum Dei, quod iſtis datum erat, non illis. Et Moyſes *Deuteron.* 29. *v.* 2. arguit Iſraelitas, quòd tot viſis prodigiis non crediderint. *Vos vidiſtis univerſa, quæ fecit Dominus coram vobis in terra Ægypti*: & tamen Deus non dederat illis gratiam ea intelligendi; unde ſubdit v. 4.: *& non dedit vobis Dominus cor intelligens*. Quis neget juſtè increpari poſſe Judam præ Petro, Cainum præ Abele? quis autem dicet, omnes iſtos pari gratiâ, etiam efficaci, fuiſſe inſtructos? imò ſi ad comparativam increpationem, & laudem requireretur æqualitas in omni gratia, etiam dante actum, omnes de facto agerent; ergo non eſſet amplius locus ulli increpationi. Objectum ergo juſtæ increpationis formale eſt teneri, & poſſe, agere verò, & non agere, eſt objectum purè materiale. Nam non agere reprehenſione dignum non eſt, niſi in eo, qui tenetur, & poteſt.

Ad ſecundam confirmat. nego maj. Nam quamvis apud Tyrios facta fuiſſent majora miracula, dummodo tamen Judæi in gratia intrinſeca dante poſſe æquales fuiſſent, juſta eſſet eorum increpatio etiam comparativè.

DUBIUM V.

An ſcientiæ mediæ faveat Sanctus Auguſtinus?

§. I.

Reſolutio negativa.

I. D. Auguſtinum ſcientiæ mediæ patrocinatum non fuiſſe probant primò teſtimonia Adverſariorum. Pater Molina ſuperiùs relatus §. 1. ſe ſcientiæ mediæ inventorem fuiſſe dicit, eamque D. Auguſtino fuiſſe ignotam, & propterea ejus doctrinâ tot in Eccleſia excitatos fuiſſe tumultus aſſeverat. Alii ejuſdem ſcientiæ mediæ profeſſores de S. Auguſtino obloquuntur, ejuſque doctrinam parvi pendunt. P. Vaſquez 1. *p. diſp.* 97. *c.* 10. *nu.* 19. *&* 20. ſuſpecta habet teſtimonia Proſperi, & Fulgentii, eo quòd fuerint Auguſtini diſcipuli. *Jo. Mariana lib.* 3. *de morte, & immortalitate cap.* 6. dicit, quòd Auguſtinus argumentis victus novam prædeſtinationis formam invexit. Quidam ejus auctoritatem elevant dicentes, non pauca eſſe in Auguſtino dogmata, quę vel univerſæ Eccleſiæ, vel Theologorum omnium, aut multorum, nec infimi ſubſellii, judicio reprobantur. Miſeram fore Eccleſiam, ſi Auguſtini placitis obſtricta maneret. Auguſtinum Juliani Pelagiani argumentis non ſatisfeciſſe. Auguſtini ſcripta tenebris, & nubibus involuta eſſe, ejuſque doctrinam intricatam, & ſecum ipſam pugnare. In conflictu contra Pelagianos Auguſtinum ſeſe in exceſſus periculoſos præcipitaſſe; cum exceſſu loquutum eſſe in materia de gratia, & prædeſtinatione. Hæc & ſimilia videri poſſunt apud Antoninum Reginaldum *lib. de mente Trid. circa gratiam efficacem p.* 1. *cap.* 52. *colum.* 501. 502., qui hoſce S. Auguſtini Encomiaſtas nomine recenſet, loca indigitat, & verba refert.

II. Probatur ſecundò, eo quòd omnia ea, quæ ſcientiæ mediæ Patroni pro ea aſſerenda accumulant, fuere olim à Maſſilienſibus objecta D. Auguſtino, nimirum, poſitâ gratiâ de ſe, & non ex ſola præviſione, efficaci, antecedente voluntates, tolli liberum arbitrium, fruſtraneas fore correptiones, exhortationes &c., induci homines in deſperationem, Patres Gręcos eſſe contrarios, & alia, quæ in epiſtolis Proſperi, & Hilarii recitantur. Quibus omnibus Auguſtinus reſpondet.

III. Probatur tertiò hoc diſcurſu. Scientia media fuit S. Auguſtino propoſita à S. Proſpero, & Hilario in ſuis epiſto-

epiſtolis ad ipſum datis; ſed Sanctus Auguſtinus ſibi propoſitam refutavit; ergo &c. Major, & Minor probandæ ſunt. Major quidem: nam in epiſt. *lib. de Prædeſtin. SS.* præfixa S. Proſper D. Auguſtino exponit, ex lucubrationibus ejus, quas in *libro de correptione, & gratia* conſcripſerat, multos in Galliis, & Maſſiliæ præſertim offenſos fuiſſe. Novam eſſe de Prædeſtinatione ſecundùm propoſitum doctrinam. Neminem antea, ut ipſe, locos Pauli ſuiſſe interpretatum. Eorum autem ſententiam recenſens ait D. Proſper. *Hæc ipſorum definitio, ac profeſſio eſt... Qui credituri ſunt, quive in ea fide, qua deinceps per Dei gratiam ſit juvanda, manſuri ſunt, præſciſſe ante Mundi conſtitutionem Deum, & eos prædeſtinaſſe in regnum ſuum, quos gratis vocatos dignos futuros electione, & de hac vita bono fine exceſſuros eſſe, præviderit.* Loqui autem de præſcientia ante propoſitum, ſive decretum, præfata verba manifeſtant, quia propoſitum antecedens præſcientiam, tanquam dans occaſionem tẽporis, ac removens omnem induſtriam condemnant, ut oſtendunt ea, quæ D. Proſper ſubjungit. De parvulis etiam idem, S. Proſpero teſte, dicebant. *Tales, aiunt, perdi, taleſque ſalvari, quales futuros illos in annis majoribus, ſi ad activam ſervarentur ætatem, ſcientia divina præviderit.* Gratiam comitem meritorum, non præviam, aſſerebant. *Nec conſiderant* (inquit) *ſe gratiam Dei, quam comitem, non præviam humanorum volunt eſſe meritorum, etiam illis voluntatibus ſubdere, quas ab ea ſecundùm ſuam phantaſiam, non negant eſſe præventas.* Aſſerebant inſuper, quòd ideò quis adjuvatur, quia vult, non ideò vult, quia adjuvatur. Quod ceu Pelagianiſmi reliquias deteſtatur S. Proſper dicens: *In iſtis Pelagianæ pravitatis reliquiis, non mediocris virulentiæ fibra nutritur, ſi principium ſalutis malè in homine collocatur; ſi divinæ voluntati impiè voluntas humana præfertur; ut ideò quis adjuvetur, quia voluit, non ideò, quia adjuvatur, velit.* Et tandem rogans S. Auguſtinum, ut propoſita capita ſolvat, nimirum, an *præſcientia Dei ità ſecundùm propoſitum maneat, ut ea ipſa, quæ ſunt propoſita, ſint accipienda præſcita.... an licèt dividi præſcientia à propoſito temporali diſtinctione non poſſit, præſcientia tamen quodam ordine ſit ſubnixa propoſito.* Et tandem opinionem Maſſilienſium repetens: *Penè omnium* (inquit) *par invenitur, & una ſententia, quâ propoſitum, & prædeſtinationem Dei ſecundùm præſcientiam receperunt; ut ob hoc Deus alios vaſa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia finem uniuſcujuſque praviderit, & ſub ipſo gratiæ adjutorio, in qua futurus eſſet voluntate, & actione, præſcierit.* Celebre eſt etiam Fauſti Rejenſis axioma lib. 2. de gratia, & lib. arbitr. cap. 3. *Niſi præſcientia exploraverit, prædeſtinatio nil decernit: & præſcientia, ea, quæ de hominum meritis ſecutura ſunt, non ut eveniant exigit, ſed eventura præcurrit*, tom. 8. Biblioth. PP. Lugdunenſ. Expoſita ergo fuit, & conſequenter nota ſcientia media, & principiis eiſdem, quibus eam Moderni tuentur, fuit à Maſſilienſibus defenſata. Eadem, quæ S. Proſper, exponit S. Hilarius.

IV. Minor verò, quòd ſcientiam mediam, ſeu præſcientiam exploratricem ante decretum reprobaverit Sanctus Auguſtinus, multis modis evincitur. Et primò quidem. Nam cùm S. Hilarius in ſua præcitata epiſtola retuliſſet S. Auguſtino, Semipelagianos ſuam præſcientiam, etiam ipſius auctoritate defendere; iis nimirum, quę *epiſt.* 102. *aliàs* 49. contra ſex quęſtiones à Porphyrio propoſitas *qu.* 2. *num.* 14. ipſemet Auguſtinus conſcripſerat, videlicet: *tunc voluiſſe hominibus apparere Chriſtum, & apud eos prædicari doctrinam ſuam, quando ſciebat, & ubi ſciebat, eſſe, qui in eum fuerant credituri.* Poſtquam S. Doctor retulit omnia, quæ contra Porphyrium dixerat laudato loco, de tempore Chriſtianæ Religionis, reſpondet *lib. de Prædeſt. SS. cap.* 9., perperam Semipelagianos inde inſer-

inferre, eum admiſiſſe præſcientiam divinis decretis anteriorem: imò illam eiſdem ſubnixam intendiſſe, affirmat his verbis: *Cernitiſne, me ſine præjudicio latentis conſilii Dei, aliarumque cauſarum, hoc de præſcientia Dei dicere voluiſſe, quod convincendæ Paganorum infidelitati, qui hanc objecerant quæſtionem, ſufficere videretur? Quid enim eſt verius, quàm præſciſſe Chriſtum, qui, & quando, & quibus locis in eum fuerant credituri? ſed utrum prædicato ſibi Chriſto, à ſe ipſis habituri eſſent fidem, an Deo donante ſumturi, ideſt, utrum tantummodo eos præſcierit, an etiam prædeſtinaverit Deus, quærere, atque diſſerere tunc neceſſarium non putavi. Proinde quod dixi*. Tunc voluiſſe hominibus apparere Chriſtum, & apud eos prædicari doctrinam ſuam, quando ſciebat, & ubi ſciebat eſſe, qui in eum fuerant credituri: *poteſt etiam ſic dici. Tunc voluiſſe hominibus apparere Chriſtum, & apud eos prædicari doctrinam ſuam, quando ſciebat, & ubi ſciebat eſſe, qui electi fuerant in ipſo ante mundi conſtitutionem*. Quibus verbis ſatis ſe explicat, nomine præſcientiæ, quâ Deus præſcivit, qui, quando, & ubi, prædicato Evangelio, fuiſſent in eum credituri, non intellexiſſe præſcientiam antecedentem electionem, ſed electioni, ac decreto ſubnixam.

V. Secundò idem confirmatur ex iis, quæ docet eodem lib. de Prædeſt. SS. c. 10. *Prędeſtinatio* (inquit) *ſine præſcientia non poteſt eſſe: poteſt autem eſſe ſine prædeſtinatione præſcientia*: & explicans quomodo: ſubdit: *Prędeſtinatione quippe Deus ea præſcivit, quę fuerat ipſe facturus. Unde dictum eſt*: fecit quæ futura ſunt: *Præſcire autem potens eſt etiam, quæ ipſe non facit, ſicut ſunt quæcumque peccata*. Porro quid eſt, prædeſtinatione præſcire, quæ fuerat ipſe facturus, niſi ea pręſcire, quia ea præparavit, ac voluit, ut eſſent, cùm, ut ibidem docet, prędeſtinatio *ſit gratiæ præparatio*?

Et, ut indicaret, prædeſtinatione quoque præſcire ea, quæ ab homine facienda ſunt: *Quando ergo* [inquit] *promiſit Deus Abrahę in ſemine ejus fidem gentium dicens*: Gen. 17. v. 5. Patrem multarum gentium poſui te: *unde dicit Apoſtolus* Rom. 4. 16. ideò ex fide, ut ſecundum gratiam firma ſit promiſſio omni ſemini: *non de noſtræ voluntatis poteſtate, ſed de ſua prædeſtinatione promiſit. Promiſit enim, quod ipſe facturus erat, non quod homines. Quia etſi faciunt homines, quæ pertinent ad colendum Deum; ipſe facit, ut illi faciant, quæ præcepit, non illi faciunt, ut ipſe faciat, quod promiſit, alioquin, ut Dei promiſſa compleantur, non in Dei, ſed in hominum eſt poteſtate, & quod à Domino promiſſum eſt, ab ipſis redditur Abrahæ; non autem ſic credidit Abraham: ſed* credidit dans gloriam Deo, quoniam quæ promiſit, potens eſt, & facere (Rom. 4. v 20.) *non ait prædicere, non ait* PRÆSCIRE; *nam & aliena facta poteſt prædicere, atque præſcire: ſed ait*: potens eſt & facere: *ac per hoc facta non aliena, ſed ſua*. Si autem ſcientiam mediam approbaſſet, debuiſſet Auguſtinus dicere, quòd Deus promiſit Abrahę fidem gentium, quam præviderat, gentes ex ſemine ſuo orituras eſſe habituras, ac proinde, non quod ipſe facturus eſſet, ſed quod homines, non de ſua, ſed de hominum poteſtate, ut ſcientiæ mediæ principia penſanti conſtabit.

VI. Clariùs autem eodem *lib. c.17.*, *& c. 19*, ubi negat, Deum ideò elegiſſe ante mundi conſtitutionem, quia pręſcierit futuros bonos: Unde Semipelagianos rejiciens ait: *ipſi enim putant, acceptis præceptis, jam per nos ipſos fieri liberę voluntatis arbitrio ſanctos, & immaculatos in conſpectu Dei in caritate: quod futurum Deus quoniam pręſcivit, inquiunt; ideo nos ante mundi conſtitutionem elegit, & prædeſtinavit in Chriſto*: quibus ità reſpondet: *cùm dicat Apoſtolus: non quia futuros tales nos eſſe præſcivit: ſed ut eſſemus tales per ipſam electionem gratiæ ſuæ, quâ gratificavit nos in dilecto filio ſuo.*

Cùm

Cùm ergo nos prædeſtinavit, opus ſuum præſcivit, quo nos ſanctos, & immaculatos facit.

VII. Scio, communiter reſponderi à contrariis, Sanctum Auguſtinum damnaſſe in Semipelagianis abuſum ſcientiæ mediæ, non uſum, & ſubſtantiam. Illi enim eâ abutebantur, ac ſi Deus prævideret quid acturi eſſemus ex nobis ſine ipſo, ponentes ex nobis initium fidei; hoc autem Mediiſtę non dicunt, ſed ſolùm præſcire Deum, quid acturi eſſemus ſub tali, vel tali gratia.

VIII. Sed contra. Nam eſto contendere nolim, eodem fine, & modo, quo utuntur Mediiſtę, uſos fuiſſe, ſeu abuſos pręſcientiâ Semipelagianos: contendo tamen, Sanctum Auguſtinum negaſſe, nedum abuſum, ſed uſum, & à Deo omnem præſcientiam ante propoſitum relegaſſe. Nam, quidquid ſit, an Semipelagiani poſuerint in Deo præſcientiam, quâ, quid acturi eſſemus ſine ipſo, & ſine gratia, prævideret Deus: Citius tamen contrarium exponit Sancto Auguſtino Proſper ſupra relatus, dùm ait, eos ſentire, quòd Deus alios vaſa honoris, alios contumeliæ fecerit: *quia finem uniuſcujuſque præviderit, & ſub ipſo* GRATIÆ ADJUTORIO, *in qua futurus eſſet voluntate, & actione, præſcierit:* Dico, quòd ſi prælaudata Sancti Auguſtini teſtimonia abſque præjudicio quis perpendat, dignoſcet, S. Doctorem, & abuſum, & uſum, & modum, & ſubſtantiam ſcientiæ mediæ à Deo rejeciſſe. Non ſolùm enim negat, Deum nos præſciſſe, quia eramus ſancti, ſed affirmat, Deum nos præſciſſe, ut eſſemus ſancti, eâ præſcientiâ, quâ nos prædeſtinavit, præſciſſe de ſua, non de hominis poteſtate, quæ ipſe facturus erat, non quod homines. Reſpondens ad ea, quæ objiciebantur, ut à ſe dicta contra Porphyrium, nimirum Chriſtum præſciſſe, qui, & quando fuerant in eum credituri: dicit primò, hoc ſe dixiſſe, *ſine præjudicio latentis conſilii Dei*: dicit ſecundò, latens illud Dei conſilium, cujus ad Paganos reſpondens non meminerat, eſſe æternam prædeſtinationem eorum, qui electi fuerant ante mundi conſtitutionem. Mediiſtæ autem dicunt, Deum præſciſſe nos, non ut eſſemus ſancti, ſed quia futuri eramus, nempe conſenſuri tali, vel tali auxilio: non eâ præſcientiâ, quâ nos prædeſtinavit, ſed præſcientiâ antevertente, & dirigente prædeſtinationem.

IX. Præterea *lib. de dono perſever. c.* 19. regulam generalem ſtatuit, quòd *quando apud aliquos verbi Dei tractatores legimus Dei præſcientiam, & agitur de vocatione electorum, eandem prędeſtinationem intelligere*, nihil nos prohibèt, & præſcire idem eſt, ac prædeſtinare; ſed hæc regula eſſet omnino falſa, ſi daretur aliqua pręſcientia exploratrix ante decretum, & prædeſtinationem; ergo &c.

Ulteriùs S. Auguſtinus huic principio nititur: Deum non videre res futuras, quia futuræ ſunt: ſed ideò res futuras eſſe, quia videt illas Deus; quod principium ſcientiæ mediæ principiis eſt directè oppoſitum.

Item, ut ſolvat difficultates ſibi à SS. Proſpero, & Hilario propoſitas circa concordiam libertatis, & gratiæ, nunquam recurrit ad ſcientiam mediam, quam cùm non ignoraſſet, eâ certe uſus fuiſſet, eam ad rectum uſum trahendo, ſi veram crediſſet. Imò tantùm abeſt, ut ad componendam gratiam cum libertate unquam ad prævisionem circumſtantiarum confugiat, quin potiùs in Enchiridio c. 97. ſuper illa verba Chriſti Matth. 23. v. 37. *Quotiès volui colligere filios tuos, ſicut gallina pullos ſuos, & noluiſti*. Quaſi admirans: *Et ubi eſt* [inquit] *illa omnipotentia, quâ in Cœlo, & in Terra, omnia quæcumque voluit, fecit, ſi colligere filios Jeruſalem voluit, & non fecit? An potiùs illa quidem filios ſuos ab ipſo colligi noluit, ſed eâ quoque nolente filios ejus collegit ipſe, quos voluit? quia* in Cœlo, & in Terra, *non quædam voluit, & fecit, quædam ve-*

Q 2 rò vo-

rò voluit, & non fecit; *Sed* omnia quæcumque voluit, fecit. *Quis porrò tàm impiè deſipiat, ut dicat, Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, in bonum non poſſe convertere? ſed cùm facit, per miſericordiam facit: cùm autem non facit, per judicium non facit, quoniam* cujus vult miſeretur, & quem vult, obdurat. Hanc verò Omnipotentiam, quâ Deus poſſit malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, & ubi voluerit, convertere in bonum, à Deo tolli, ſi, ut ad bonum convertat, teneatur priùs explorare voluntatis conſenſum, infra oſtendemus.

X. Tandem ſcientiæ mediæ uſum apertè rejicit ibidem, ubi, poſt allata Pauli verba *Rom. 9.*, qui, cum dixiſſet, Deum dilexiſſe Jacob, & Eſau odiſſe, antequam quidquam boni, aut mali egiſſent, prævidens, hoc poſſe permovere eos, qui hanc altitudinem gratiæ penetrando intelligere non poſſunt, quaſi contra ea, quæ dixerat, objiciens: *Quid ergo dicemus?* inquit, *nunquid iniquitas apud Deum? Iniquum enim* [ſubdit Auguſtin.] *videtur, ut ſine ullis bonorum, malorumve operum meritis, unum Deus diligat, oderit alterum*. Quid ergo reſpondit Paulus? hic certè beneficio ſcientiæ mediæ abſtergi poſſet à Deo omnis iniquitatis ſuſpicio, dicendo, Deum dilexiſſe Jacob, & odiſſe Eſau, quia unius bona opera, quę facturus erat, alterius autem mala prævidit. Quid ergo Paulus reſpondet? *Abſit*. Deinde dicta confirmans: ſubdit: *Moyſi enim dicit* Exod. 33. 19. *Miſerebor, cujus miſertus ero, & miſericordiam præſtabo, cui miſericors fuero*. Quare D. Auguſtinus, Paulum excluſiſſe omnem ſcientiam exploratricem obſervans ait: *Quæ in re ſi futura opera, vel bona hujus, vel mala illius, quæ Deus utique præſciebat, vellet intelligi, nequaquam diceret*, non ex operibus, *ſed diceret*, ex futuris operibus, *eoque modo iſtam ſolveret quæſtionem, imò nullam, quam ſolvi opus eſſet, faceret quæſtionem*. Ecce Divum Auguſtinum, imò & Divum Paulum non recurrentes ad ſcientiam mediam, ut ſalvent, gratiam, etſi prævenientem bonorum operum præviſionem, non arguere in Deo iniquitatem, nec alia abſurda, quæ congerebant olim Semipelagiani, & modò ſcrupulum ingerunt Mediſtis.

XI. Ex his præcluſa manet altera Adverſariorum reſponſio, nempe, S. Auguſtinum loqui de futuris abſolutis, non verò de conditionatis. Nam in primis loquitur de illis futuris, & de ea prævisione, cui innitebantur Semipelagiani, & de quibus à SS. Proſpero, & Hilario conſulebatur, aliàs ad rem non reſpondiſſet; ſed Semipelagiani de futuris, & de ſcientia conditionatorum loquebantur, cujus beneficio concordare volebant cum gratia, & prædeſtinatione, ſive adultorum, ſive parvulorum contingentiam, & libertatem, ut ex epiſtolis præfatorum Proſperi, & Hilarii ſuperiùs allatis liquidò apparet; ergo &c. Secundò, ſi animo ſincero laudati Auguſtini textus ponderentur, quibus dicit, præſciſſe Deum, qui, quando, & ubi credituri eſſent: Deum poſſe, quas, quando, & ubi voluerit, malas hominum voluntates in bonum convertere, luce clariùs apparebit, eum loqui de futuris conditionatis, & præſcientia conditionatorum.

XII. Nec juvat reſpondere, S. Doctorem nuſquam aſſerere, ſcientiam futurorum, quam admittit, ſupponere decretum actu, & abſolutè in Deo exiſtens: unde benè poteſt interpretari de decreto *quod eſſet ſi*, cum quo ſcientia media conſiſtit.

XIII. Nam contra hoc ſtant textus allati, quibus maniſeſtè oſtendit præſcientiam Dei, etiam conditionatorum, ſupponere latens conſilium Dei, prædeſtinationem, & electionem, ut *lib. de prædeſt. SS. ſupr. laudato c. 9., & c. 10.* ubi ait, Deum ea, quæ fuerat ipſe facturus, prædeſtinatione præſciſſe. Et *de dono Perſeverantiæ cap. 17.* addit

hæc

Digitized by Google

hac dona Dei, ſi nulla eſt prędeſtinatio, quam defendimus, non pręſciuntur à Deo; ergo ſive in ſtatu abſoluto, ſive conditionato, ſi nulla eſt in Deo prædeſtinatio, nec actu voluntas, non ſciuntur à Deo. Deinde, cùm Contrarii dicunt, ad hoc, ut Deus ſciat futura conditionata, requiri decretum, quod eſſet, non quod actu ſit; vel iſtud decretum, quod eſſet, reverâ conducit ad hoc, ut certò à Deo ſciantur futura illa conditionata; vel non conducit, ut actu ſciantur, ſed ſolum ut purificatâ conditione res illæ fierent. Si reſpondeant, quod non conducit, ut ſciantur. Quare illud ad certam Dei præſcientiam conditionatorum requirunt? Quare Auguſtinus rogatus à Proſpero, ut reſpondeat, an pręſcientia innitatur decreto, an decretum præſcientiæ, reſpondet præſcientiam inniti decreto, non quod ſit, ſed eſſet (ut volunt Adverſarii) ſi hoc decretum, quod eſſet, nihil conduceret ad ſcientiam? nonne idem eſſet ac dicere: ad pręſcientiam requiri decretum, quod ad præſcientiam nihil conducit? Rursùs ſi nihil conducit, quare dixit, ut ſupra, *hac dona Dei, ſi nulla eſt prædeſtinatio, non pręſciuntur à Deo*?

Si reſpondeant, decretum *quod eſſet* conducere ad certam præſcientiam conditionatorum. Contra ſic. Illud decretum quandiù conſideratur, ut habendum, ſi poneretur conditio, nondum eſt infallibile, quod habebitur, quia liberum eſt, & poteſt Deus non habere, etiam poſitâ illâ conditione. Unde ergo certificatur Deus de illo decreto, quod habebitur, ſeu haberetur? Num quia modò habet jam voluntatem ut pro illa occaſione habeatur illud decretum? Non puto. Alioquin jam præſcientia ſupponeret actu in Deo ſaltem decretum de ponendo in illa occaſione decreto, & proinde præſcientia illa non pertineret ad ſcientiam mediam, ſed ad liberam, & rursùs eâdem ratione poſſet admitti ipſum decretum de facto haberi; Ergo ſupponere debent nullum de facto eſſe in Deo propoſitum de tali decreto habendo. Quòd ſi Deus nec decretum habet, nec determinationem de decreto ponendo in tali occaſione; manet ergo in ſuſpenſo, & indeciſum apud Deum aliquid, à quo dependet, ut certò ſciat ea futura, nempe decretum. Unde ergo poterit certum judicium de illis determinatè futuris ferre, non adhuc certò ponendo eo, quod ad ea ſcienda de facto conducit? rectè ergo dicebat S. Auguſtinus de dono perſev. c. 17. ſupra relato. *Hęc Dei dona, ſi nulla eſt prædeſtinatio, quam defendimus, non pręſciuntur à Deo: pręſciuntur autem: hac eſt igitur prędeſtinatio, quam defendimus.*

§. II.

Quanta in hac materia ſit D. Auguſtini auctoritas?

XIV. Porrò ut quiſquis norit, quàm meritò in inveſtiganda mente S. Auguſtini immorati ſumus; operæ pretium exiſtimo hìc palam facere, quanti ſemper habita fuerit apud Eccleſiam Chriſti in hac materia Auguſtini auctoritas, & doctrina. Pelagianæ hæreſi caput adversùs divinam gratiam extollenti Auguſtinum oppoſuit Deus, quemadmodum Arianæ peſti pro tuenda Filii Dei Divinitate oppoſuerat Athanaſium. Pelagio, & Cęleſtio primi obſtiterunt Patres Concilii Carthaginenſis, & Milevitani, inter quos primas partes habuit Sanctus Auguſtinus, quorum Canones ex S. Auguſtini libris paſſim expreſſi, Romamque miſſi, ab Innocentio tunc ſedente approbationem, & confirmationem reportarunt: ut ex epiſtolis inter Auguſtinianas 91. nunc 181., 93. nunc 182., & 95. nunc 183. Præter communes, particulares quoque epiſtolas Innocentio ſcripſit Sanctus Auguſtinus, ad quem una cum cauſæ inſtrumentis ipſum etiam librum *de natura, & gratia* tranſmiſit; quæ omnia ejuſdem Innocentii, ſicut & Zozimi ejus in Ro-

mana

mana Sede Succeſſoris, approbatione munita ſunt, ut ex Aug. *ep.* 106. nunc 185. ad *Paulinum* colligere licet. Bonifacius Zoẑimo ſuccedens, Auguſtinum non coluit modò, ſed uti Eccleſiæ Oraculum habuit, à quo etiam contra divinæ gratiæ hoſtes reſponſa peteret. *S.Memoria Papa Bonifacius* (inquit S. Proſper contra Collatorem cap. 21., ubi apologiam pro libris Sancti Auguſtini texit)... *cùm eſſet doctiſſimus, adversùs libros tamen Pelagianorum reſponſa poſcebat.*

XV. Verùm præ omnibus, S. Auguſtini, èjuſque doctrinæ de gratia Dei defenſorem ſeſe exhibuit Cęleſtinus I. Cùm enim, Sancto Auguſtino è rebus humanis exemto, adversùs ejus doctrinam in Galliis obtrectatores, & calumniatores non pauci inſurrexiſſent, re à D. Proſpero, & Hilario perſonaliter Romam delatâ, novo eam, ac ſimul Perſonam Auguſtini decreto laudavit, approbavitque. Verba Cęleſtini refert S. Proſper lib. contr. Collatorem c. 21. nimirum, *Auguſtinum ſanctę recordationis virum, pro vita ſua, atque pro meritis, in noſtra ſemper communione habuimus; nec unquam hunc ſiniſtra ſuſpicionis ſaltem rumor adſperſit; quem tanta ſcientię olim fuiſſe meminimus, ut inter magiſtros optimos, etiam à meis deceſſoribus haberetur.* Cui encomio plaudens, ac propterea Cęleſtinum laudans S. Proſper: *Per hunc* [inquit] *virum intra Gallias, iſtis ipſis, qui ſancta memorię Auguſtini ſcripta reprehendunt, maleloquentia eſt ademta libertas; quando conſulentium actione ſuſceptâ, & librorum, qui errantibus diſplicebant, pietate laudatâ, quid oporteret de eorum auctoritate ſentiri, ſancto manifeſtavit eloquio &c.*

XVI. At quia, ut ait Sanct. Proſper laudatus, *contra iſtam clariſſima laudationis tubam, contra iſtam Sacratiſſimi teſtimonii dignitatem* non deerant, qui auderent *malignę interpretationis murmur emittere, ... ut ſcilicet, quia in epiſtola Papa* (Cęleſtini) *librorum, pro quibus actum eſt* [nimirum de Prędeſtinat. SS., & dono Perſeverantiæ] *non expreſſus eſt titulus, hinc eos appareat non probatos; & iſtam in Sanctum Auguſtinum laudationem pro anteriorum ſcriptorum meritis fuiſſe collatam.* Proſequitur S. Proſper oſtendens, quòd ſi priora Auguſtini ſcripta à Cęleſtino, ejuſque Prædeceſſoribus laudata ſunt, conſequens eſt, ut & iſta poſteriora eâdem laude celebrata ſint. Concluditque: *& ſi in his omnibus operibus, multiſque aliis.... idem doctrina ſpiritus, eadem prędicationis forma pręceſſit; agnoſcant calumniatores, ſuperfluò ſe objicere, quòd his libris, non ſpeciale, neque diſcretum teſtimonium ſit perhibitum, quorum in cunctis voluminibus norma laudatur. Apoſtolica enim Sedes, quod à pręcognitis ſibi non diſcrepat, cum pręcognitis probat, & quod judicio jungit, laude non dividit.*

XVII. Omnem tamen de Cęleſtini encomio abſtulit dubietatem Hormiſdas Papa *epiſt. ad Poſſeſſorem*. Cùm enim ob Fauſti Rejenſis, ſeu Regienſis Epiſcopis libros totus Oriens in partes diſciſſus eſſet, quidque de divinę gratiæ controverſiis Romana Eccleſia ſentiret, ambigeretur, reſcripſit Hormiſdas, *de libero arbitrio, & gratia Dei, quid Romana, hoc eſt Catholica, ſequatur, & ſervet Eccleſia, in variis libris S. Auguſtini, & maximè ad Proſperum, Hilarium, abundè cognoſci poteſt.* Quibus doctrinam Sancti Auguſtini in duobus libris de Prædeſtinatione SS., & de dono Perſeverantiæ contentam, tanquam doctrinam Eccleſiæ Romanæ, hoc eſt Catholicæ, omnibus tenendam proponit. Hoc inſigni encomio permotum Concilium Epiſcoporum in Sardinia exulum, hæc Hormiſdæ verba referens: *Præ omnibus* (inquit) *ſtudium gerite, libros Sancti Auguſtini, quos ad Proſperum, & Hilarium ſcripſit, memoratis fratribus legendos ingerere, quorum mentionem beatę memorię Hormiſdas Sedis Apoſtolicę glorioſus Antiſtes in epiſtola, quam conſulenti ſe ſancto fratri Conſacerdoti noſtro reſcripſit, cum magno præconio Catholicę laudis inſeruit.*

XVII.

XVII. Felix quoque IV. ſuorum Prædeceſſorum exempla ſecutus, ut lites de divinæ gratiæ auxilio, quibus per annos plus minus centum Eccleſia Gallicana jactata fuerat, tandem componeret, ſententias vigintiquinque, ex Sancti Auguſtini libris ferè omnes excerptas, ad S. Cæſarium Arelatenſem tranſmiſit, in Canones transferendas, & ab Eccleſiæ illius Epiſcopis ſubſcriptione acceptandas. Quod factum fuiſſe liquet in Synodo Arauſicana ſecunda, cujus Canones, nedum Epiſcoporum, ſed & Laicorum nobilium acceptatione firmati Sancti Auguſtini ſententias ſpirant. Unde Bella. minus fulgidum Societatis Sydus *lib. 2. de gratia, & libero arbitr. cap. 11.* ait: *Poſt illa Cęleſtini tempora, cùm nondum factio illa Gallorum quieſceret*, S. Leo Pontifex (veriùs dixiſſet Felix IV.) *miſit ad Concilium Arauſicanum certa capitula de gratia, & libero arbitrio, ex libris Sancti Auguſtini verbatim excepta, quę voluit ab Epiſcopis illis recipi, & ſubſcribi, ut etiam factum eſt. Porro in illis capitulis continentur omnia fundamenta ſententię de prędeſtinatione gratuita, ut non poſſit ullus prędeſtinationem negare, niſi velit illis capitulis contraire.*

Addit laudatus Bellarminus, quòd *S. Gelaſius in Concilio lxx. Epiſcoporum non ſolùm probavit omnia ſcripta Sancti Auguſtini, & S. Proſperi, ſed etiam contra damnavit libellos Joannis Caſſiani, & Fauſti Reienſis; cum tamen non ignoraret, potiſſimam contentionem inter Proſperum, & Caſſianum, & deinde inter Fulgentium, & Fauſtum de ſcriptis S. Auguſtini de Prędeſtinatione Sanctorum, & dono Perſeverantię fuiſſe*. Hęc Bellarminus.

XVIII. Nec minori ſtudio Sancti Auguſtini doctrinam confirmarunt Bonifacius II., & Joannes II. Primus quidem *epiſt. ad Cæſarium Arelatenſem*, quâ Synodi Arauſicanæ decreta confirmat. Cùm enim acceptis à Felice præmemorato capitulis, aliqui Epiſcopi acquieviſſent, quidem cætera bona ex Dei gratia provenire confitentes, fidem tamen, quâ in Deum credimus, naturæ eſſe vellent, non gratiæ, poſtulabat Cæſarius, ut Sedis Apoſtolicæ auctoritate firmaret etiam fidem rectam, & totius bonæ voluntatis initium per prævenientem Dei gratiam inſpirari. Cui Bonifacius reſpondit: *Cùm de hac re multi Patres, & pręcæteris beatæ recordationis Auguſtinus Epiſcopus, ſed & majores noſtri Apoſtolicæ Sedis Antiſtites ità ratione probentur diſſeruiſſe latiſſimâ, ut nulli ulteriùs deberet eſſe ambiguum, fidem quoque nobis ipſam venire de gratia, ſuperſedendum duximus reſponſione multiplici*. Et infra: *Certum enim eſt, atque Catholicum, quia in omnibus bonis, quorum caput eſt fides, nolentes nos adhuc miſericordia divina præveniat, ut velimus, inſit nobis, cùm volumus &c.* Joannes etiam II. epiſt. 3. ad Senatores. *Sanctus* (inquit) *Auguſtinus, cujus doctrinam, ſecundùm pręceſſorum meorum ſtatuta, Romana ſequitur, & ſervat Eccleſia*. Suffragantur cæteri Romani Pontif., Gregorius Magnus, *lib. 10. epiſt. 37. ad Innocentium Africæ Præfectum*, petentem ſibi tranſmitti codicem ſuum *expoſit. ſuper Job. Si delitioſo* (modeſtè inquit) *cupitis pabulo ſaginari, beati Auguſtini patriotæ veſtri opuſcula legite, & ad comparationem ſiliginis illius, noſtrum furfurem non quæratis*. Agatho in ſexta Synodo relatus Auguſtinum vocat *prudentiſſimum veritatis Prædicatorem*. Martinus I. *eximium Eccleſiæ Catholicæ Doctorem*. Hadrianus I. *Pręcipuum Patrem, & optimum Doctorem*. Leo IX. *Beatum, & Catholicum Doctorem, in latinaque lingua clariſſimum, atque noſtrum Chryſoſtomum*. Aliis, quos recenſere tædium foret, adde Joan. 22. *conſtit. 2.*, Urbanum V. in diplomate tranſlationis D. Thomę, quem potiſſimùm laudat, quòd Auguſtini veſtigia fideliter preſſerit.

XIX. Eapropter meritò Clemens VIII. initio Congregationum de Auxiliis divinæ gratiæ hanc primariam legem poſuit, ut cuncta ad Sancti Auguſtini mentem exigerentur. *Quamvis*

Digitized by Google

vis (inquit in Proluſione diſputatio-num) *nemini*, *niſi Deo*, *rationem reddere debeam mearum actionum*, *dicam tamen in præſentiarum rationes*, *propter quas adſtringere ſtatui totam hanc diſputationem ad normam doctrinæ Auguſtini de Gratia*.

Prima eſt, *quòd ſi*, *teſte B. Proſpero*, *ferè initio libri contra Collatorem*, *viginti annorum ſpatio Eccleſia Catholica acies ità dimicavit pro gratia contra Pelagianos*, *ut tandem Auguſtino Duce vicerit*; *oportet etiam*, *ut in cauſa conſimili eundem Ducem agnoſcamus*, *& ſequamur*.

Secunda eſt, *quòd idem Sanctus nihil videtur prateriiſſe eorum*, *quæ ad præſentes controverſias pertinent &c.*

Tertia tandem ratio eſt, *quòd cùm multi Pontifices*, *& Prædeceſſores noſtri doctrinæ Sancti Auguſtini tàm acres fuerint aſſertores*, *ac vindices*, *ut quaſi hæreditario jure eam in Eccleſia relinqui voluerint*, *æquum non eſt*, *ut patiar*, *illam hâc hæreditate privari*. Hęc Clemens VIII.

XX. Et tandem Benedictus XIII. feliciter ſedens, cùm audiſſet, erroribus à fel. record. Clemente XI. per Conſtitutionem, quæ incipit: *Unigenitus Dei filius:* rejectis, damnatiſque, Auguſtinianæ, & Angelicæ doctrinæ nomen obtendi, ſuis litteris *6. Novemb.* 1724. datis, poſtquam declaravit diſcipulorum Divi Auguſtini, & Thomæ cauſam in hac parte à Sanctæ Sedis rationibus ſejunctam eſſe non poſſe, & quòd aliquę prorsùs, calumnioſæque interpretationes ad conflandam memoratæ conſtitutioni invidiam temerè excogitatæ fuerint; Ad fideles SS. Auguſtini, & Thomæ aſſeclas converſus ſubdit. *Magno igitur animo contemnite dilecti filii calumnias intentatas ſententiis veſtris de gratia præſertim per ſe*, *& ab intrinſeco efficaci*, *ac de gratuita prędeſtinatione ad gloriam ſine ulla pręviſione meritorum*, *quas laudabiliter hactenus docuiſtis*, *& quas ab ipſis SS. Doctoribus*, *Auguſtino*, *& Thoma ſe hauſiſſe*, *& verbo Dei*, *Summorumque Pontificum*, *& Conciliorum Decretis*, *& Patrum dictis conſonas eſſe ſchola veſtra commendabili ſtudio gloriatur*. Hæc Benedictus, comminatus inſuper canonicas pœnas calumniatoribus, ſi in calumniis ſtruendis proſequantur. Ut propterea ei meritò aptari poſſit elogium ſupra laudatum, quo in ſimili cauſa ob deterritos Apoſtolicâ auctoritates Sancti Auguſtini obtrectatores, Sanct. Proſper Cęleſtinum ornavit. Et cum eodem addi *evidenter pronuncians*, *quantum ſibi præſumtionis iſtius novitas diſpliceret*, *quâ auderent quidam adversùs antiquos Magiſtros inſolenter inſurgere*, *& indiſciplinatâ calumniâ prædicationi veritatis obſtrepere*.

XXI. Ad hæc omnia ſi animum vel ſemel, & obiter intendiſſet Lauuojus, calamo temperaſſet, nec Sancti Auguſtini placita de Gratia, & Prædeſtinatione gratuitâ ſecutis ab ejus obitu ſeculis deſpecta fuiſſe in Eccleſia, atque proſcripta, auſu temerario pronunciaſſet in ſuo poſthumo libello *Veritable Tradition dell Egliſe &c.* juſtiſſimè à Clem. XI. proſcripto, & flammis damnato die 28. Januarii 1704. ſpeciali diplomate, quo, ut, par eſt, ſuo honori, & S. Auguſtinus, & Eccleſia Romana, quæ illi tanquam fideli duci adhæſit, reſtituitur. Libellum præfatum in ſuo Auguſtino vindicato eruditiſſimus P. M. Serry invictè proſtravit.

§. III.

Quæ ex S. Auguſtino pro Scientia media referantur?

XXII. Viderunt ſcientiæ medię defenſores, quàm malè de ſua cauſa actum eſſet, ſi Auguſtinum faterentur ſibi eſſe contrarium; Ideòque etſi primi ſcientię inventores, ſeu magis renovatores, hanc ſibi gloriam aſciverint, ut ſuperiùs obſervavimus; Poſteriores tamen tali inani gloriæ renunciantes conantur, Auguſtinum, vel repu-

repugnantem in patrocinium ſuæ cauſæ trahere.

XXIII. Primò igitur afferunt Sanctum Auguſtinum *lib. de Dono Perſever. c. 10.*, ubi tractans quæſtionem, cur Deus noluerit apud Tyrios, & Sidonios fieri illa ſigna, quibus viſis eſſent in Deum credituri, addit: *Quidam diſputator Catholicus non ignobilis hunc Evangelii locum ſic expoſuit, ut diceret, præſciſſe Dominum, Tyrios, & Sidonios à fide fuiſſe poſtea receſſuros, cùm factis apud ſe miraculis credidiſſent, & miſericordiâ potiùs non eum illic iſta feciſſe: quoniam graviori pęnæ obnoxii fierent, ſi fidem, quam tenuerant, reliquiſſent, quàm ſi eam nullo tempore tenuiſſent.* Quam opinionem cùm non reprobet Sanctus Auguſtinus, ſed potiùs approbet, fit ut approbet quoque ſcientiam, quâ Deus præviderit Tyrios, ſi illis prædicaſſet, fidem acceptaturos, & à fide accepta poſtea receſſuros: quæ quidem ſcientia debet eſſe ante decretum, cùm Deus non potuerit Apoſtaſiam à fide, quàm prævideraт, decreviſſe; Et conſequenter debet eſſe ſcientia media.

XXIV. Reſpondeo primò, S. Doctorem non approbaſſe abſolutè illam explicationem, ſed illam admiſiſſe, in quantum per illam confirmabatur argumentum, quod tunc tractabat, videlicet, neminem à Deo puniri propter peccata, quæ præviſus fuiſſet facturus, ſi vixiſſet, ut dicebant Semipelagiani de pueris, quos opinabantur à Deo reprobari ob peccata, quæ præviſi fuerant patraturi, ſi ad adultam perveniſſent ætatem: ſed tantùm puniri hominem ob peccata, quę reverâ in vita ſuâ patraturus eſt. Hanc autem eſſe mentem S. Doctoris apertè evincunt, quæ ſubdit, ait enim: *In qua ſententia docti hominis, & admodum acuti .... quid me nunc adtinet dicere, cùm & ipſa nobis ad id, quod agimus, ſuffragetur? Si enim miſeratione Dominus non fecit in iſtis virtutes, per quas fieri poſſent fideles, ne graviùs punirentur, cùm poſtea fierent infideles, quod eos futuros fuiſſe præſcivit: ſatis, apertèque monſtratur, de his peccatis neminem judicari mortuorum, quæ præſcivit fuiſſe facturum; ſi aliquo modo ei ne illa faciat ſubvenitur.* Igitur illius Doctoris ſententiam non admittit ut veram, ſed ſolùm eâ poſitâ utitur ad revincendam Semipelagianorum imaginationem.

XXV. Reſpondeo ſecundò, S. Doctorem admiſiſſe, Deum præſciviſſe Tyrios, ſi fierent apud illos virtutes, credituros, ſed in fide non permanſuros. Sed nunquid hoc præſcivit ante decretum? Unde hoc? non valet præſcivit Deus, ergo præſcivit ante decretum. Sicut ergo Deus præſcivit eos credituros, viſis ſignis, quia decreverat eis in tali circumſtantiâ dare, ut crederent, ità præſcivit eos in fide non manſuros, quia non decreverat pro eis perſeverantiam in fide: utrumque donum Dei eſt, & fidem acceptare, & in fide perſeverare. Neque hoc eſſet Apoſtaſiam à fide poſitivè decreviſſe, ſed ſolùm permiſiſſe; quia perſeverantiæ dono denegato, lapſus à fide logicâ infallibilitate conſequitur. Legite quæ apud S. Doctorem c. 11. ſequuntur.

XXVI. Sed inſtabis primò. Hæc duo apertè repugnant, Deum abſolutè decreviſſe, ut non fierent coram illis ea ſigna, ne credentes, & poſtea à fide recedentes graviùs forent puniendi: & Deum decreviſſe illis dare actum fidei.

Inſtabis ſecundò. Deum decreviſſe dare Tyriis actum fidei, ſi coram eis fierent illa ſigna, eſt idem ac dicere, Deum decreviſſe dare eis fidem, ſi decreviſſet fieri apud eos ſigna, cùm hoc ab ejus voluntate pendeat; ſed hoc videtur inſulſum; ergo &c.

XXVII. Reſpondetur ad primam inſtantiam, negando aſſumtum: Cùm enim primum decretum ſit abſolutum tàm ex parte ſubjecti, quàm ex parte objecti, ſecundum verò ſit abſolutum quidem ex parte ſubjecti, ſed ex parte objecti conditionatum, non repugnant. Sicut nec repugnat, quòd

Deus præſcierit non fiendi coram eis ſigna, ne credentes, & à fide recedentes graviùs punirentur, & præſciviſſe, eos credituros.

Ad ſecundam inſtantiam, nego min. Eodem enim modo, quo inſulſum non eſt dicere, Deum præſciviſse dandam Tyriis fidem, ſi præſciviſset fienda apud eos ſigna. Sic neque in caſu. Eo modo, quo inſulſum non eſt dicere, Deum decreviſſe alterum mundum regere, & adminiſtrare, ſi illum condere decreviſſet.

XXVIII. Afferunt ſecundò eundem S. Auguſtinum *lib. citato de Dono Perſever. c.* 14. de eiſdem Tyriis, & Sidoniis, qui fuiſsent viſis virtutibus credituri, ſic dicentem: *Ex quo apparet, habere quoſdam in ingenio ipſo divinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moveantur ad fidem, ſi congrua ſuis mentibus, vel audiant verba, vel ſigna conſpiciant*. Ex propenſione ergo naturali Tyriorum, & docilitate, non in decreto præſcivit Chriſtus illos viſis ſignis credituros.

XXIX. Urgent ex *lib.* 1. *de div. quæſt. ad Simplicianum quæſt.* 2., ubi vocationem Dei eſſe congruam idoneitati, & aptitudini ejus, qui vocatur, oſtendit his verbis: *An fortè illi, qui hoc modo vocati non conſentiunt, poſſent alio modo vocati accommodare fidei voluntatem, ut & illud verum ſit multi vocati, pauci verò electi; ut quamvis multi uno modo vocati ſint, tamen quia non omnes eodem modo affecti ſunt, illi ſoli ſequantur vocationem, qui ei capiendæ reperiuntur idonei; & illud non minùs verum ſit: Igitur non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, qui hoc modo vocavit, quomodo aptum erat eis, qui ſecuti ſunt vocationem*? Nunquid non is eſt modus, quo ſcientiæ mediæ aſſertores loquuntur? Concludit Sanctus Auguſtinus. *Verum eſt ergo, multi vocati, pauci electi. Illi enim electi, qui congruenter vocati, illi autem, qui non congruebant, nec contemperabantur vocationi, non electi, quia non ſecuti, quamvis vocati. Item verum eſt: non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei: quia, etſi, multos vocat, eorum tamen miſeretur, quos ità vocat, quomodo eis vocari aptum eſt, ut ſequantur. Falſum eſt autem, ſi quis dicit. Igitur non miſerentis eſt Dei, ſed volentis, atque currentis eſt hominis; quia nullius Deus fruſtra miſeretur; cujus autem miſeretur, ſic eum vocat, quomodo ſcit ei congruere, ut vocantem non reſpuat*. Ecce apertè ſcientiam mediam, quâ Deus ſcit, & explorat circumſtantias, in quibus homo eſt conſenſurus vocationi, ut miſereri Dei ſit ipſum in ea occaſione vocare, in qua novit, vocationem congruam illi futuram.

XXX. Et hoc ulteriùs roborant iis, quæ docet S. Doctor *lib.* 12. *de Civit. Dei cap.* 6., ubi per velle, & nolle creati arbitrii, & non aliam gratiam efficacem, ſolvit illam quęſtionem, cur ex duobus æqualiter affectis unus tentetur eàdem tentatione, & cadat, alter verò ſtet. *Si* (inquit) *aliqui duo ęqualiter affecti animo, & corpore.... eàdem tentatione ambo tententur, & unus ei cedat, atque conſentiat, alter idem, qui fuerat, perſeveret; quid aliud apparet, niſi unum voluiſſe, alterum noluiſſe à caſtitate deficere? Unde niſi propriâ voluntate, ubi idem fuerat in utroque corporis, & animi affectus? Amborum oculis pariter viſa eſt eadem pulchritudo; ambobus pariter inſtitit occulta tentatio: propriam igitur in uno eorum voluntatem malam, quę res fecerit ſcire volentibus, ſi benè intueantur, nihil occurrit*.

XXXI. Reſpondeo, negando conſequentiam. Hanc enim certitudinem præſcientiæ de Tyriorum pœnitentiâ ſe non in aliud refundere, quàm in decretum divinum de danda illis gratiâ converſionis teſtatur ipſe: nam ante dixerat: *An quiſquam dicere audebit, Deum non præſciſſe, quibus eſſet daturus, ut crederent, aut quos daturus eſſet Filio ſuo, ut ex eis non perderet quemquam? Quæ utique ſi præſcivit, profectò beneficia ſua, quibus nos digna-*

Digitized by Google

dignatur liberare, preſcivit. Hac eſt Prędeſtinatio Sanctorum, *nihil aliud: praſcientia ſcilicet, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur, quicumque liberantur*. De Tyriis autem, & Sidoniis loquens: *ſed quoniam* (inquit) *ut crederent, non erat eis datum, etiam unde crederent, eſt negatum*. Et poſt multa concludit: *Audiunt hac, & faciunt, quibus datum eſt; non autem faciunt, ſive audiant, ſive non audiant, quibus non datum eſt*. Quia vobis, *inquit*, datum eſt noſſe myſterium Regni Cœlorum, illis autem non eſt datum. *Matth.13. v.11.*

Cùm ergo dicit, *habere quoſdam in ingenio ipſo divinum naturaliter munus intelligentiæ*. Non intendit naturalem ingenii perſpicacitatem, & docilitatem eſſe diſpoſitionem proximam, quâ moveantur ad credendum, aliàs initium fidei eſſet ex nobis, quod Semipelagianum eſt: & rurſùs cùm ibi loquatur de ſolis ſignis externis, ſi ulteriùs non admitteret Sanctus Auguſtin. gratiam interiùs moventem, cum Pelagianis ſentiret, qui ad fidem non aliam neceſſariam eſſe gratiam aſſerebant, quàm externam legis, & prædicationis Evangelii.

Solùm ergo ex ipſo ingenio, & naturali docilitate arguit Auguſtinus diſpoſitionem remotam, & negativam, quatenus talis docilitas removet impedimenta quædam ad credendum. Sunt enim quidam ob excellentiam ingenii, & docilitatem magis diſpoſiti ad apprehendendas veritates ſibi propoſitas, ſeu motiva extrinſeca credibilitatis earum; quo ſenſu dici poteſt, habere aliquos in ingenio divinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moveantur negativè, & remotè ad fidem. Sed ut proximè poſſint credere, & aſſentiri, imò ut poſſint inchoare fidem, requiritur gratia ſufficiens, & efficax ut actu credant: quare dicit, *audiunt enim, & faciunt, quibus datum eſt*.

XXXII. Ad id, quod urgent, & cui maximè fidunt Adverſarii, ſumtum *ex lib. ad Simplic.* Dico, mentem S. Auguſtini non eſſe, quòd illa congruitas, quâ quis ſe reddit idoneum, aptum, congruum, contemperatum vocationi, & gratiæ, illam faciendo efficacem, conſiſtat in quâdam naturali contemperatione, & diſpoſitione liberi arbitrii ad gratiam, quæ præcedat, & non ſit effectus gratiæ, aliàs cum Pelagianis ſentiret, ſed quòd illa congruitas ſit facta à gratia præparante voluntatem, ut ſit bona. Quare citato loco priùs dixerat. *Si quæramus, utrum Dei donum ſit voluntas bona, mirum, ſi negare quiſquam audeat. At enim quia non præcedit voluntas bona vocationem, ſed vocatio bonam voluntatem, propterea vocanti Deo rectè tribuitur, quòd benè volumus, nobis verò tribui non poteſt, quòd vocamur. Non igitur ideò dictum putandum eſt*: Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, *quia niſi ejus adjutorio non poſſumus adipiſci quod volumus* (quod Mediiſtæ dicunt ponentes gratiam ſolùm concomitantem) *ſed ideò potiùs, quia niſi ejus vocatione non volumus*. Et ne quis de ſua mente dubitare poſſet, *lib. 2. retract. cap. 1.* eam ſic expreſſit. *In cujus quæſtionis ſolutione* (loquitur de hoc lib. 1. ad Simplicianum) *laboratum eſt quidem pro libero arbitrio voluntatis humanæ; ſed vicit Dei gratia, nec niſi ad illud potuit perveniri, ut liquidiſſimâ veritate dixiſſe, intelligatur Apoſtolus*. Quis enim te diſcernit; quid autem habes, quod non accepiſti? haberet autem aliquid, quod non accepiſſet, imò & quo ſe diſcerneret, ſi illa idoneitas, & aptitudo ad conſentiendum vocationi præ alio, ex ſe ipſo haberet, & donum Dei non eſſet.

Solùm ergo indicare voluit præfatis verbis S. Doctor, quòd cùm gratia etſi efficaciâ ſuâ faciat nos velle, facit tamen nos liberè, & delectabiliter velle; & ſic quodammodo ſe attemperat noſtræ indoli: agit enim in unoquoque ſecundùm ejus proprietatem, ut ſuo loco cum D. Thoma dicemus. Cę-

terum hæc delectatio, quâ lubenter vocantem audimus, donum Dei eſt, non ſolùm, quia nos ponit in circumſtantiis, in quibus poſiti delectamur vocatione, ſed quia facit, ut vocatione delectemur. Ità ſeſe explicat Sanct. Doctor circa finem prælaudatæ quæſtionis: *Quis* (inquit) *habet in poteſtate tali viſo adtingi mentem ſuam, quo ejus voluntas moveatur ad fidem? Quis autem animo amplectitur aliquid, quod eum non delectat? aut quis habet in poteſtate, ut vel occurrat, quod eum delectare poſſit, vel delectet, cum occurrerit? Cùm ergo* [notent Adverſarii] *nos ea delectent, quibus proficiamus ad Deum, inſpiratur hoc, & præbetur gratiâ Dei, non nutu noſtro, & induſtriâ, aut operum meritis comparatur: quia, ut ſit nutus voluntatis, ut ſit induſtria ſtudii, ut ſint opera caritate ferventia, ille tribuit, ille largitur*. Hinc illi ſunt vocati, & electi, quòs Deus vocando congruos vocationi facit: illi autem vocati, & non electi, quos vocat quidem, ſed congruos vocationi non reddit: congruos vocationi feciſſet Tyrios, non fecit Judæos. Sic Deus, *cujus vult miſeretur, & quem vult indurat: & non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei*. Rom. 9.

XXXIII. Ad id, quod pro robore adjiciunt ex *lib. 12. de Civ. Dei cap. 6.* Si benè advertant, contra ipſos quoque ſtare deprehendent. Si enim ex duobus æqualiter affectis, & æquali tentatione pulſatis, unus ſuccumbit tentationi, quia vult, alter verò reſiſtit, quia præcisè non vult à caſtitate recedere, & hoc, ſpectatis puris viribus liberi arbitrii, jam ad vincendam gravem tentationem nulla requiritur gratia, neque externa, quod nec Pelagius fortè auſus eſt dicere.

Reſpondendum ergo eſt, S. Auguſtinum eo in loco voluiſſe conſiderare illos duos Juvenes ſolùm quo ad externas circumſtantias, & ſigna exteriora, quæ reducuntur ad poſſe, ſeu ad auxilium ſufficiens, & in hoc æqualiter affecti erant, ideò unus ſuccubuit quia voluit, alter ſtetit quia noluit; at non reſpexiſſe ad gratiam internam, & efficacem, quæ illi, qui ſtetit, adſuit; ei verò, qui ſuccubuit, defuit, & gratiam quâ ſtetit ille, qui ſtetit, & ſine qua non ſtetiſſet: unde in *pſ.* 123. ei qui vincit: *Manifeſtum eſt* (inquit) *quia non viciſti tu, ſed vicit ille, qui eſt in te.... Quare vicit, niſi, ut te doceret eum diabolo dimicare? Et tamen jam doctus, niſi in te ſit ille, qui prior tibi vicit, vincêris*. Ne autem quis putaret, liberum arbitrium nihil agere. *Lib. de gratia, & lib. arb. cap.* 4. docet, quòd continentia, & alia *non præciperentur, niſi homo haberet propriam voluntatem, quâ divinis præceptis obediret: & tamen donum Dei eſt, ſine quo ſervari præcepta caſtitatis non poſſunt*.

XXXIV. Reſpondeo ſecundò, S. Doctorem in illo loco unicè eſſe intentum, ad oſtendendum contra Manichæos malam voluntatem, ſeu volitionem à natura bona, & pro ut à principio bono non eſſe, ſed ex ſe ipſa, pro ut ex nihilo eſt, ac deficiens, dixiſſe, eam in tentationem labi, quia vult, non ſolicitum ibi ſtatuere de altero, qui ſtat, an ſtet, quia ex puris arbitrii viribus vult. Sed hoc diſtulit ad c.9., ubi de Angelis, qui ceciderunt, & de iis, qui ſteterunt, ait: *Si utrique boni æqualiter creati ſunt, iſtis malâ voluntate cadentibus, illi amplius adjuti, ad eam beatitudinis plenitudinem, unde ſe nunquam caſuros certiſſimi fierent, pervenerunt*.

XXXV. Afferunt tertiò alios D. Aug. textus. Primò *lib. de Prædeſt. SS. c.* 10., ubi habet: *Prædeſtinatio ſine præſcientia non poteſt eſſe: poteſt autem eſſe ſine prædeſtinatione præſcientia*. Ergo ſtat in Deo præſcientia abſque decreto. Secundò in expoſit. quarumdam propoſit. epiſt. ad Rom. *propoſit.* 55. *Non omnes* (inquit) *qui vocati ſunt, ſecundùm propoſitum vocati ſunt: hoc enim propoſitum ad præſcientiam, & prædeſtinationem pertinet: nec prædeſtinavit aliquem, niſi quem præſcivit crediturum, & ſe-*

Digitized by Google

& ſecuturum vocationem ſuam, quos & electos dicit. Ecce apertè ſcientiam mediam. Tertiò ex *lib. de Dono Perſev. c. 9. certè* (inquit) *poterat illos Deus præſciens eſſe lapſuros, antequam id fieret, auferre illos de hac vita*.

Reſpondetur ad primum, D. Auguſtinum ibi apertè loqui de præſcientia peccatorum: ſubdit enim: *Prædeſtinatione quippè Deus ea præſcivit, quæ fuerat ipſe facturus: unde dictum eſt: fecit, quæ futura ſunt: Præſcire autem potens eſt etiam, quæ ipſe non fecit, ſicut ſunt quæcumque peccata*: hæc enim prædeſtinatione non præſcit, quia ea non præparat. Præſcit tamen etiam peccata, præſcientiâ ſupponente decretum permiſſivum, ſeu nolens illa impedire, vel abſolutum, videlicet ſi peccata abſolutè futura ſint, vel conditionatum objectivè, ſi futura ſint ſolùm ſub conditione.

Ad ſecundum Auguſtinus ipſe reſpondet *lib. 1. retract. cap. 23.*, ſe hæc ſcripſiſſe, cùm adhuc Presbyter eſſet, nec plenè hanc materiam aſſecutus eſſet. *Nondum* [inquit] *diligentiùs quæſieram, nec adhuc inveneram, qualis ſit electio gratiæ.... profectò non dicerem, ſi jam ſcirem, etiam ipſam fidem inter munera Dei reperiri, quæ datur in eodem ſpiritu. Utrumque ergo noſtrum eſt, propter arbitrium voluntatis: & utrumque tamen datum eſt per ſpiritum fidei, & caritatis*. Retractat ergo Auguſtinus, quod dixerat: Deum ſic elegiſſe, *ut quem ſibi crediturum præſcivit, ipſum elegerit, cui Spiritum Sanctum daret*; retractavit igitur ſcientiam mediam.

Ad tertium. S. Doctor non loquitur de præſcientia conditionatorum, quæ apud ipſum futura potiùs non ſunt: ſed de præſcientia peccatorum, quæ reipſa erant futura, quia juſto ſuo judicio decreverat non impedire, rapiendo ſcilicet hominem in ætate immatura, antequam fierent.

DUBIUM VI.

An D. Thomas Scientiam Mediam admiſerit.

§. I.

Reſolvitur negativè.

I. IN exploranda mente Sancti Auguſtini diù non immeritò detenti fuimus: nunc ad ejus fidelem diſcipulum D. Thomam procedimus. Quamquam autem ex eo, quòd probatum ſit, ſcientiam mediam ab Auguſtino reprobatam fuiſſe, legitimè infertur, eam quoque à D. Thoma, qui nec latum unguem à doctrina Auguſtini receſſit unquam, reprobatam quoque fuiſſe. Attamen, quia Adverſariorum aliqui oppoſitum contendunt, hoc etiam ſpecialiter tractandum fuit.

II. Probatur primò. Quia nedum unquam D. Tho. ſcientiæ mediæ meminit, ſed paſſim in Deo aliam ſcientiam non cognoſcit, niſi ſcientiam viſionis, & ſimplicis intelligentiæ.

Secundò. Quia, ut ſupra oſtenſum eſt, nunquam docuit, res ideò à Deo ſciri, quia futuræ ſunt, ſed ideò futuras eſſe, quia ſciuntur à Deo. Quod præcipuè oſtendimus ex 1. *p. quæſt. 16. art. 7. ad 3. Illud* [inquit] *quod nunc eſt, ex eo futurum fuit, antequam eſſet, quia in cauſa ſua erat, ut fieret. Unde ſublatâ causâ non eſſet futurum illud fieri. Sola autem cauſa prima eſt æterna. Unde ex hoc non ſequitur, quòd ea, quæ ſunt, ſemper fuerit verum, ea eſſe futura, niſi quatenus in cauſa ſempiterna fuit, ut eſſent futura: quæ quidem cauſa ſolus Deus eſt*. Ergo ſicut futura abſoluta ex eo futura ſunt, quia in cauſa ſempiterna fuit, ut abſolutè forent; ità conditionata ex eo futura eſſent, poſitâ conditione, quia in cauſa ſempiterna fuit, ut eſſent eâ poſità conditione. Quibus tota ſcientia media evertitur.

Tertiò. Quia ſæpè verſans illa argumenta,

menta, quæ moderni accumulant circa concordiam voluntatis divinæ cum humana libertate, nuſquam ad ullam præſcientiam creatæ libertatis exploratricem confugit; ſed Sanctum Auguſtinum Magiſtrum ſuum imitatus, recurrit ſemper ad efficaciſſimam vim divinæ voluntatis, quâ non ſolùm res fiant, ſed fiant eo modo, quo vult illa fieri, ut 1. *p. qu.* 19. *art.* 8., lib. 1. *Periermen. lect.* 14., & alibi.

Quartò. *Qu.* 6. *de verit. art.* 3. Cùm objeciſſet, prædeſtinationem non habere certitudinem abſolutam, ſed conditionalem tantùm, *ſicut non eſt certum, ſi Sol cauſet fructum in planta, niſi cùm hac conditione, ſi virtus generativa in planta fuerit benè diſpoſita. Si igitur certitudo prædeſtinationis ſit cum præſuppoſitione cauſæ ſecundæ, non erit certitudo abſoluta, ſed conditionalis tantùm, ſicut in me eſt certitudo; quòd Sortes movetur, ſi currit &c.* Reſpondet ibi ad quartum, *dicendum, quòd cauſa ſecunda, quam oportet ſupponere ad inducendum prædeſtinationis effectum, etiam ordini prædeſtinationis ſubjacet, non autem eſt ità in virtutibus inferioribus reſpectu ſuperioris virtutis agentis. Et ideò ordo divinę prædeſtinationis, quamvis ſit cum ſuppoſitione voluntatis humanæ, nihilominus tamen abſolutam habet certitudinem, etſi in exemplo adducto contrarium appareat.* In principiis autem ſcientiæ mediæ diſpoſitio cauſæ ſecundæ, ideſt conſenſus voluntatis, non ſubjacet ordini prædeſtinationis, quia prævidetur futurus in ſtatu conditionato ſecundùm omnes, & in ſtatu etiam abſoluto ſecundùm plures, ante prædeſtinationem actu exiſtentem; quo fit, ut conſenſus non ſubjaceat prædeſtinationi, ſed prædeſtinatio conſenſui: Cujus oppoſitum ſentit D. Thom. laudatus in corp. per hæc verba. *Sic enim dicendo non diceretur prædeſtinatus differre à non prædeſtinato ex parte ordinis, ſed tantùm ex parte præſcientiæ eventus; & ſic præſcientia eſſet cauſa prædeſtinationis; nec prædeſtinatio eſſet per electionem prædeſtinantis; quod eſt contra auctoritatem Scripturæ, & contra dicta Sanctorum Patrum. Unde præter certitudinem præſcientiæ, ipſe ordo prædeſtinationis habet infallibilem certitudinem.* Quod ſuo loco cum eodem D. Thom. 1. *p. qu.* 23. *art.* 5. exponemus.

§. II.

Solvuntur ea, quæ ex D. Thom. afferuntur.

III. PRimò, objiciunt S. Tho. in 1. *diſt.* 4. *quæſt.* 2. *artic.* 2. *in arg. ſed contra* dicentem: *Dicunt Sancti communiter Dionyſius, Auguſtinus, & Anſelmus, quòd cauſa, quare iſte non habet gratiam, eſt, quia iſte noluit accipere, & non quia Deus noluit ei dare.* Et in corp. art. *Patet ergo* (inquit) *quòd hujus defectus abſolutè cauſa prima eſt ex parte hominis, qui gratiâ caret: ſed ex parte Dei non eſt cauſa hujus defectus* (ſcilicet carentiæ gratiæ) *niſi ex ſuppoſitione illius, quod eſt cauſa ex parte hominis;* Sed negatâ ſcientiâ mediâ potiùs homo non acciperet gratiam, quia noluit eam Deus dare, vel eum prędefinire, ut acciperet; ergo &c.

IV. Reſpondeo primò, retorquendo inſtantiam. D. Thomas dicit quidem, quòd iſte non habet gratiam, quia noluit accipere, & non quia Deus noluit ei dare: non dicit tamen, quòd iſte habet gratiam, quia voluit accipere, & non quia Deus voluit dare. Sed poſitâ ſcientiâ mediâ, ęquè dicitur, quòd iſte non habuit gratiam ſibi efficacem, quia noluit, ac dicitur, quòd iſte habet gratiam, quia voluit eam reddere efficacem, non quia Deus voluit, eam enim Deus vult omnibus dare quantùm in ſe eſt; ergo &c.

Reſpondeo ergo ſecundò, D. Thomam ibi, & Patres ab eo indicatos loqui de gratia ſufficiente, quam omnibus offert. Addit enim, *quia lumen ſuum omnibus offert, quod tamen ab*

omni-

omnibus non percipitur, ſicut nec lumen Solis à cæco. Quod ſi velis, eum loqui etiam de gratia efficaci, dicito, eam non omnibus dari defectu ſe tenente ex parte hominis, qui licèt eam ad ſe advocare non poſſit, tamen ſuâ obcęcatione *bonum propoſitum non accipit, cùm accipere poſſit*, & quâ (ut ait ibi ad quartum) *à Deo præſente ſe abſentat, ſicut à præſente lumine, qui claudit oculos*. Ideoque D. Tho. ibi in corp. concludit, cauſam primam defectus gratiæ ex parte hominis eſſe, ſic Deo permittente, in pęnam: unde ait Auguſtinus *lib. 1. confeſſ. c. 12. Juſſiſti Domine, & ſic eſt, ut pœna ſua ſibi ſit omnis inordinatus animus*. Sed de hoc inferiùs de voluntate Dei.

V. Secundò objiciunt D. Thom. *3. p. qu. 1. art. 3. ad 4.*, ubi ait, quòd, *Prędeſtinatio ſupponit præſcientiam futurorum*. Ex quo concludit, quòd *prædeſtinavit etiam opus Incarnationis in remedium humani peccati;* Sed humanum peccatum prævifum fuit futurum ante prædeſtinationem Incarnationis: ergo etiam merita prævifa fuerunt ante prædeſtinationem ad gloriam.

Confirmatur ex eadem *3. p. qu. 1. ar. 5. & 6.* ubi, ut reddat rationem, cur Incarnatio non debuit eſſe in mundi initio, nec ad finem ejuſdem differri, recurrit ad præſcientiam eorum, quæ liberè patraturi eſſent homines, qui eſſent, ſi in aliquo ex dictis temporibus incarnatus fuiſſet; ſed talis præſcientia non potuit haberi, niſi per ſcientiam mediam antevertentem decretum Incarnationis; ergo &c.

VI. Reſpondetur ad min., quòd ſi prædeſtinatio futura ſupponit eo modo, quo Incarnatio ſupponit humanum peccatum, ſit, ut ſicut Incarnatio ſupponit peccatum prævifum, ut abſolutè futurum, ità quoque prædeſtinatio ſupponat futura in ſtatu abſoluto, & non ſolùm conditionato. Unde nihil pro ſcientia media.

At de quibus futuris præſcientiam ſupponit prædeſtinatio? de meritis? nequaquam. Nam cùm ſecundùm doctrinam S. Thom. *1. p. qu. 23. art. 5.* merita ſint effectus, & cadant ſub ordine prædeſtinationis, non poſſunt eſſe prævifa futura ante illam, ſaltem adæquatè ſumtam. Debet ergo explicari D. Thomas, vel de præſcientia futurorum pertinentia ad providentiam naturalem, puta homines conditos; quos prædeſtinatio ſupponit ex vi providentiæ naturalis futuros, antequam prædeſtinet, ex vi decreti ordinis naturalis: Vel ſi loquatur de meritis, dicendum eſt, D. Thomam ſumere prędeſtinationem inadequatè, ut dicit pręſcientiam meritorum, quæ Deus decreto ſuo electivo elegit, & præparavit, ut eſſent. Unde præſcientia quomodocumque ſumatur, ſupponit Dei propoſitum, ſive abſolutum, ſive conditionatum.

VII. Ad confirm. fateor, Deum præſciviſſe effectus liberos, qui eſſent, ſi Incarnatio, vel eſſet in mundi initio, vel ad finem mundi differretur. Cæterum hos præſcivit Deus, non ante omne ſuum decretum, & per ſcientiam mediam, ſed per ſcientiam liberam in ſuo decreto actu ab æterno in Deo exiſtente, & conditionato ex parte objecti. Quare notanda eſt mala Adverſariorum illatio, qui audientes in Deo præſcientiam conditionatorum, ſtatim inferunt ſcientiam mediam; cùm deberent probare priùs, talem præſcientiam antevertere omne decretum: quod nos negamus, nec ex D. Thoma poſſunt evincere.

VIII. Tertiò objiciunt. Eundem S. D. *qu. 6. de veritate art. 3.* citato ſic dicere: *Liberum arbitrium deficere poteſt à ſalute: tamen in eo, quem prædeſtinat, tot alia adminicula præparat, quòd vel non cadat, vel ſi cadat, quòd reſurgat: ſicut exhortationes, & ſuffragia Orationum, donum gratiæ, & alia hujuſmodi, quibus Deus adminiculatur homini ad ſalutem*. Ergo neceſſe eſt, ut Deus per ſcientiam mediam prævideat, quænam adminicula certò conducent prædeſtinatum ad ſalutem, ſi in his, vel illis circumſtantiis fuerint præparata.

IX.

Digitized by Google

IX. Reſpondeo, neg. conſeq. Hęc enim Deus prævidet, non in ſcientia media, ſed in ſuis decretis, vel poſitivis, vel permiſſivis. Poſſet enim ſi vellet quælibet adminicula reddere certiſſima, ſed decrevit permittere, ut aliqua ex ipſis deficiant, etiam in prędeſtinatis, ut appareat eorum liberum arbitrium, & humilientur videntes, quòd ſine perpetuo ejus adjutorio nihil poſſunt. Decrevit autem, ut omnia ſimul adminicula reſpectu prædeſtinatorum deficere non poſſint, ſed certiſſimè vi ejus definitionis, & gratiæ eos ad ſalutem perducant. Et hoc clarum fit exemplo, quo utitur ibi S. Thom. de perpetuitate ſpeciei humanæ, quam cùm in quodlibet ſingulari, quia corruptibili, non obtineat, in tota tamen ſucceſſione eam obtinet, *divinâ providentiâ taliter gubernante, ut non omnia deficiant uno deficiente.* Quis autem negabit, Deum, ſi voluiſſet, potuiſſe quodlibet individuum perpetuò conſervare, & è contra, uno individuo pereunte, ſinere, ut omnia perirent. Sed quia ex una parte humanam ſpeciem voluit perpetuò conſervare, & ex alia individua illius corruptibilia ſecundùm eorum naturam relinquere, decrevit ut per ſucceſſionem eorum haberetur ſpeciei perpetuitas, quæ in ſingulis haberi non poteſt, quia noluit. At in poſitione ſcientiæ mediæ ſic in ſingulis adminiculis non haberetur certitudo ſalutis abſque prævìſione, quòd voluntas creata ea eſſet conſenſu ſuo redditura infallibilia, ut Deus aliter, nec decernere poſſet, nec facere, ut infra dicemus.

X. Quartò objiciunt. *Quæſt. 12. de verit. ar. 10.* in corpore diſtinguens ea, quæ fiunt à ſolo Deo, ab illis, quæ præparantur, ut fiant per homines, dicit: *Prædeſtinatio quaſi quædam præparatio dicitur, hoc autem aliquis præparat, quod facturus eſt ipſe, non quod alius. Quædam verò explentur operatione cauſarum aliarum, ſive naturalium, ſive voluntariarum, & hæc in quantum per alias cauſas complentur, non ſunt prædeſtinata, ſunt tamen præſcita.* Unde ibid. ad quartum dicit, quòd *id, quod ex noſtro arbitrio eſt, prædeſtinationi ſubeſſe dicitur per accidens.* Ergo quæ per liberum arbitrium facienda ſunt non prædeſtinantur, ideſt prædefiniuntur, ſed præſciuntur. Quâ autem ſcientiâ, niſi mediâ?

XI. Reſpondeo, diſt. conſeq. prædeſtinatione magis ſtrictè ſumtâ, conc. conſequ. minus ſtrictè ſumtâ, nego conſequentiam. Prędeſtinatio ſumi poteſt dupliciter, & propriè, ſeu ſtrictè, & minùs propriè, ſeu minùs ſtrictè. Primo modo eſt ratio tranſmiſſionis creaturæ rationalis ad vitam æternam, in mente Dei exiſtens, ut docet D. Thom. *1. p. qu. 23. art. 1., & 2.,* & ſic nil aliud eſt, quam præſcientia, & præparatio gratiæ in præſenti, & gloriæ in futuro, quorum utrumque à Deo per ſe ipſum faciendum eſt; juxta illud Pſ.83. v. 12. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus*, & in hoc ſenſu dicit S. Thomas ab arguente citatus *ad quartum*, quòd meritum noſtrum non ſubjacet prædeſtinationi, niſi ſecundùm quòd eſt ex gratia, quæ à ſolo Deo eſt; unde id, quod ex noſtro arbitrio eſt, prædeſtinationi ſubeſſe dicitur per accidens, ideſt non per ſe, quia ſubeſſe gratiæ, & prædeſtinationi non convenit ei per ſe, & ex natura ſua, ſed ex voluntate, & pręparatione Dei. Secundo modo dicit prędeſtinatio ordinationem creaturæ ad aliquem finem, & præparationem quorumcumque mediorum, ſive à Deo, ſive à creatura ponendorum; & hoc modo omnia, quæcumque fiunt, ſive à Deo ſolo, ſive per creaturam, utpotè à Deo provìſa, per ſe ordinata ſunt, vel permiſſa. Ideò tamen dicuntur potiùs præſcita, quàm prędeſtinata. Tùm quia prædeſtinata ea ſola ſunt, quæ à Deo ſolo per ſe ipſum facienda ſunt. Tùm quia quæ à libero arbitrio fiunt, pro ut ab ipſo ſunt, poſſunt eſſe etiam mala, & ſic ſubſunt potiùs præſcientiæ, quæ, ut docet S. Thom. 2. 2. quęſt. 174. art. 1. *poteſt eſſe* bono-

Digitized by Google

bonorum, & malorum, quod non contingit de prophetia prædeſtinationis, quæ eſt bonorum tantùm. Quare D. Thom. nullam ſcientiæ mediæ aperit viam. Nam quæ ex libero arbitrio facienda ſunt, vel eſt bonus uſus gratiæ, & hic à gratia eſt præparante voluntatem, & effectus prædeſtinationis; ut docet D. Thom. 1. *p. qu.* 23. *artic.* 5. vel eſt actus malus, aut bonus bonitate ſolum naturali: & ſic ſubeſt divinæ providentiæ, & voluntati, aut prœordinativæ, aut ſaltem permiſſivæ.

XII. Tandem, omiſſis aliis, objiciunt S. Doctorem ſuper *cap. 6. Joann. lect* 5. ubi ad illa verba: *nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus traxerit eum*. Ait: Hominem multipliciter trahi ad fidem, vel ſcilicet perſuaſione, vel internâ revelatione, vel miraculorum operatione, vel blanditiis alliciendo, vel admirabili delectatione, & veritatis amore; ergo D. Thomas non novit, niſi motiones morales, ſub quibus homo prævidetur conſenſurus, vel non, per ſcientiam mediam.

XIII. Miror, quòd Adverſarii velint hìc facere D. Thomam Pelagianum, quaſi non aliam ad fidem vocationem admiſerit, niſi externam, quam nec Pelagius negabat. Debuiſſent ergo S. Doctorem in iis, quæ ſequuntur audire. Poſt enim enumeratos multiplices modos, quibus Deus homines trahit ad fidem in actu primo, quæ omnia pertinent ad auxilia ſufficientia, quibus trahit omnes: procedens ad modum, quo trahit aliquos in actu ſecundo, & efficaciter, ſubdit: *Sed quia non ſolùm revelatio exterior, vel objectum virtutem attrahendi habet, ſed etiam interior inſtinctus impellens, & movens ad credendum: ideo multos trahit Pater ad Filium per inſtinctum divinæ operationis moventis interiùs cor hominis ad credendum Phil.* 2. *Deus eſt, qui operatur in nobis velle, & perficere..... Proverb.* 21. *Cor Regis in manu Domini: quocumque voluerit, inclinabit illud*. Ecce motionem per ſe efficacem ſcientiæ mediæ funditùs everſivam. Quam docuerat Sanctus Auguſtinus *lib.* 1. *contra duas epiſt. Pelag. c.* 19, ubi præfata Chriſti verba exponens, ſic loquitur: *Non enim, ait, duxerit, ut illic aliquomodo intelligamus præcedere voluntatem. Quis trahitur, ſi jam volebat? Et tamen nemo venit, niſi velit. Trahitur ergo miris modis, ut velit, ab illo, qui novit intùs ipſis hominum cordibus operari, non ut homines, quod fieri non poteſt, nolentes credant, ſed ut volentes ex nolentibus fiant*.

DUBIUM VII.

An Scientiæ Mediæ ratio ſuffragetur?

§. I.

Sententia negans velut à priori aſſeritur.

I. Dico. Scientia Media non cohæret rationi. Probatur primò ſic. Scientia media eſt cognitio futurorum conditionatorum ante decretum divinę voluntatis, ſtatuentis eorum futuritionem ſub tali conditione: ſed hujuſmodi cognitio non cohæret rationi, imò repugnat; ergo &c. Maj. eſt definitio ſcientiæ medię. Min. prob. repugnat cognitio futuri conditionati in Deo pro eo ſigno, pro quo non eſt conditionatè futurum, ſed merè poſſibile; ſed pro ſigno ante decretum divinæ voluntatis nihil eſt conditionatè futurum, ſed merè poſſibile; ergo &c. Maj. pat. repugnat enim cognitio pro eo ſigno, pro quo non eſt ejus objectum. Min. verò probatur. Tùm à pari. Quia ante decretum divinæ voluntatis nihil eſt futurum abſolutè; ergo ante illud nihil eſt futurum conditionatè. Conſequentia probatur. Ita enim ſe habet decretum Dei abſolutum ad futurum abſolutè, ſicut decretum conditionatum ad futurum conditionatum. Tunc ſic (& præ-

Digitized by Google

venitur reſponſio) ſed ad futurum abſolutum non ſufficit decretum, quod erit, ſed requiritur decretum, quod actu ſit in Deo; ergo ad futurum conditionatum non ſufficiet decretum, quod eſſet in Deo, ſi &c. ſed requiritur decretum, quod actu in Deo ſit de ponenda re ſub tali conditione.

Confirmatur. Repugnat futurum conditionatum tranſire in abſolutum abſque decreto actu in Deo exiſtente; ſed ſi ante decretum ſuæ voluntatis cognoſceret Deus, quòd ſi Petrus in talibus circumſtantiis ponatur, conſentiet tali objecto ſibi propoſito, adimpletâ illâ conditione, antequam Deus quidquam decernat de actu futuro, cognoſcet, illum eſſe futurum abſolutè: quia futurum conditionatum tranſit in abſolutè futurum, adimpletâ conditione; ergo aliquid eſſe futurum conditionatum ante decretum &c. repugnat.

II. Tùm quia ſecundò. Futuritio tàm abſoluta, quam conditionata reſpectu rei omnino contingens eſt, neque haberi poteſt ab ullo prædicato rei intrinſeco, vel ſaltem independenter ab omni ſuppoſitione extrinſeca, ut vidimus: decretum enim Dei eſt prima radix, & cauſa omnis futuritionis, cùm nil poſſit eſſe futurum independenter à divina voluntate, cujus dominio, & poteſtati nil ſubtrahi poteſt. Eò vel maxime, quia futurum eſt illud, quod eſt determinatum in aliqua cauſa, ut ſit: ſi enim in nulla cauſa ſit determinatum, ut ſit, erit merè poſſibile, non futurum. Reſtat ergo, quòd ſicut de ratione abſolutè futuri eſt eſſe determinatum in aliqua cauſa ad eſſendum abſolutè, ità de ratione futuri conditionati erit eſſe determinatum in aliqua cauſa ad exiſtendum, poſitâ conditione. Et cùm ab æterno ſit verum, quòd ſit conditionatè futurum, vel non, & ſola determinatio cauſæ primæ ſit æterna, ſequitur, hanc eſſe cauſam cujuſcumque futuritionis. Et propterea etiam res non ideò à Deo ſciuntur, quia ſunt futuræ, ſed ideò ſunt futuræ, quia ſciuntur à Deo. Hæc omnia à nobis ſuperius oſtenſa, & probata, huc revocanda ſunt.

III. Probatur ulteriùs, & confirmantur dicta. Si aliquid eſſet conditionate futurum ante decretum divinæ voluntatis, ſtatuentis illud futurum poſitâ conditione; vel eſſet futurum ex meritis, & natura objecti: & hoc dici nequit, quia aliàs non eſſet liberum, & contingens, quod non exigit magis eſſe, quàm non eſſe, ſed neceſſarium. Vel eſſet futurum ex vi conditionis: & hoc eſſe non poteſt; quia conditio vel eſt diſparata: & hęc nullam habet conducentiam ad eventum; vel eſt conditio non diſparata, ut, *ſi audies concionem, converteris*: & hæc conditio non habet infallibilem connexionem cum eventu, niſi aliud accedat; aliàs ſola prædicatio externa ſufficeret ad converſionem; quod Eccleſia in Pelagio damnavit. Vel eſſet futurum ex oblatione divini concurſus, & auxilii, quod Deus paratus eſt dare audienti concionem: & nec iſtud dici poteſt, quia, cùm in ſententia Adverſariorum concurſus ille, & auxilia ſint prorsùs ex ſe indifferentia ad converſionem, non magis inferent, futuram eſſe converſionem ſub conditione auditionis concionis, quàm non converſionem.

Si dixeris, ideò conſenſum eſſe futurum, quia erit: manifeſta principii petitio eſt. Nam hoc eſt, de quo quęritur: nimirum, unde habeat objectum illud, puta converſio, quòd erit, antequam ſit, potiùs quàm non erit. Pondera quantum vis, nil aliud invenies, quod eventum faciat certò futurum ſub tali conditione, niſi voluntatem divinam ſic ſtatuentem. Dicere enim eſſe voluntatem creatam ſic pro ſuo arbitrio determinantem, & conditionem, & auxilia; quis non videt, hoc eſſe ponere in manu voluntatis creatę non ſolum ſortem ſuam, ſed Dei, ſe ipſam diſcernere, & Deum fieri pediſſequum voluntatis creatæ?

IV.

IV. Tertiò principaliter probo, ſcientiam mediam inutilem eſſe ad eos fines, ad quos affirmatur à ſuis Aſſertoribus neceſſaria. Sic. Neceſſitas, & utilitas ſcientiæ mediæ, hæc eſſe poteſt: Vel ad dirigendum Deum in ſuis decretis formandis, vel ad conciliandam humanam libertatem cum prędeſtinatione, & gratiâ efficaci: ſed ad neutrum ſcientia media neceſſaria, aut utilis eſt. Ergo &c. Major eſt ſententia Mediiſtarum, qui arbitrantur, quòd, niſi Deus ſcientiâ mediâ exploraret omnes voluntatis creatæ affectus, videretque, quid homo in his, vel illis occaſionibus, & ſub talibus auxiliis ex innata libertate ſit voliturus, non poſſet certò aliquid ſtatuere circa hominis ſalutem, & converſionem; imò ſeſe exponeret periculo id non implendi, quod efficaciter decernit. Arbitrantur quoque, certitudinem prædeſtinationis, & efficaciam gratiæ aliter conciliari non poſſe, niſi per illam ſcientiam Deus prævideat, quid voluntas humana ante decretum ſuum factura ſit: cenſent enim, quòd ſi divina voluntas, & gratia humanas pręveniret voluntates, & earum conſenſum, libertas humana prorsùs everteretur, & peſſum iret.

V. Min. ergo pro prima parte probatur. Deus in ſuis formandis decretis circa ſalutem hominum ſufficienter dirigitur ſcientiâ ſimplicis intelligentiæ: ergo non eget ſcientiâ mediâ directrice, & exploratrice humanę voluntatis. Patet anteced. nam Deus ſuę Omnipotentię comprehenſione videt in Theſauris ſuæ Miſericordiæ illa infinita media, & auxilia efficaciſſima, quibus fortiter, ſed ſimul ſuaviter prævenire poteſt, & trahere humanam voluntatem, ut quando, & ubi voluerit, ſibi vocanti liberè conſentiat. *Quis enim* (repeto cum Auguſtino in Enchirid. c. 98. ſupra cit.) *tam impiè deſipiat, ut dicat, Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, in bonum non poſſe convertere?* Verùm qui deſiderat videre Deum non explorantem, ſed cuncta, & locum, & tempus, & conſenſum pro ſua omnipotente Providentia decernentem, adeat eundem S.Doct. ho. 23. ex 50. nunc ſerm. 99. c.6. ubi Deum homini ſic loquentem inducit. *Adulter non fuiſti in illa tua vita præterita plena ignorantiâ, nondum bonum, malumque diſcernens, nondum credens in illum, qui te neſcientem regebat. Hoc tibi dicit Deus tuus. Regebam te mihi, ſervabam te mihi. Ut adulterium non committeres ſuaſor defuit: ut ſuaſor deeſſet, ego feci. Locus & tempus defuit: ut hæc deeſſent, ego feci. Adfuit ſuaſor, non defuit locus, non defuit tempus: ut non conſentires, ego terrui. Agnoſce ergo gratiam ejus, cui debes, & quod non admiſiſti.* Hoc modo certè non loquuntur, qui Deum exploratorem faciunt, priuſquàm aliquid decernat.

VI. Pro ſecunda etiam parte prob. min. primò. Quia hunc modum conciliandi per ſcientiam mediam humanam libertatem cum prædeſtinatione, & gratiâ propoſuerunt Semipelagiani, ut vidimus ex D. Proſpero, & Hilario, qui tamen eum reſpuerunt cum S. Auguſtino, ut latè probatum eſt: Imo hi Patres expreſsè affirmant, hanc conciliationem eſſe nodum inextricabilem, qui aliter ſolvi non poteſt, niſi ad inſcrutabilia Judicia Dei cum Sancto Paulo confugiamus. Quare Sanct. Auguſtinus *lib.4. contra Jul. c. 8.* acriter defendit à Juliani calumniis ea, quæ priùs dixerat *lib. de gratia Chriſti c.47.* nimirùm: *Iſta quæſtio, ubi de arbitrio voluntatis, & Dei gratiâ diſputatur, ità eſt ad diſcernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari gratia Dei videatur; quando autem aſſeritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri.* Ex quibus patet, Recentiores facilem exiſtimantes conciliationem gratiæ efficacis cum humana libertate, cum Auguſtino non loqui.

Secundò probatur eadem ſecunda Pars. Tantùm enim abeſt, ut poſitio ſcientiæ mediæ facilem præfatæ con-

Digitized by Google

cordiæ ſternat viam, quin potiùs divinæ Omnipotentiæ videtur laſiva, gratiam Dei plumbeam reddere, & humanam libertatem, eſto apparenter extollere, reverà tamen deſtruere; quod §. ſequenti præſtare conabimur.

§. II.

Ab inconvenientibus Scientia Media impugnatur.

VII. Primum inconveniens eſt, quòd ex ſcientia media excitari videtur error Semipelagianorum, nempè prædeſtinationem ad gratiam fieri ex prævisione meritorum. Tunc enim iſta ex prævisis meritis fit, quando in ſigno rationis antevertente divinum decretum, quo homo eligitur, & prędeſtinatur ad gratiam, ipſius futura merita Deus prævideat: ſed admiſsâ ſcientiâ mediâ, Deus futura hominis merita prævidet in ſigno antecedente decretum prædeſtinationis ad gratiam: ergo &c. Major videtur certa. Nam ſi Deus in illo priori ſigno rationis priuſquàm ſtatuat conferre gratiam homini, videat illius futura merita, non poteſt non moveri ad conferendam intuitu illorum gratiam, & propter illa; eo modo, quo in prædeſtinatione ad gloriam, cum juxta Adverſarios ſupponantur prævisa merita, movent hæc Deum ad prædeſtinandum hominem ad gloriam; & ſic ſicut prædeſtinatio ad gloriam non eſt gratuita, ſed merces, & corona, ità etiam prędeſtinatio ad gratiam, & ſic gratia non erit gratia, juxta illud Pauli Rom. 11. v. 6. *Si autem gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non eſt gratia*. Min. etiam probatur. In quocumque ſigno aliquid objectivè verum eſt, à Deo prævidetur; ergo ſi pro ſigno antevertente decretum dandi gratiam, hominis merita, ſeu bona opera objectivè futura ſunt, à Deo prævidentur.

Si dixeris, prævideri quidem bonum conſenſum, ſed non ut ponendum ſine gratia; & rursùs etiam, ſtante tali prævisione Deum non moveri ad dandam gratiam, ſub qua prævisus eſt homo conſenſurus, quùm liberum Deo ſit eum ſub illa gratia ponere, vel non ponere: quòd ſi ponat, gratis illum ponat.

Contra eſt primò. Nam nec Semipelagiani gratiam omnino excludebant (ut ait D. Proſper epiſt. ſæpè laudatâ ad S. Auguſtinum) *ſed volebant, ut homo ideo accipiat, quia bono naturæ, benè uſus ad iſtam ſalvantem gratiam initialis gratiæ ope meruerit pervenire*: & ideò reprehenduntur, quia gratiam Dei, *quam comitem, non præviam, humanorum volebant meritorum, voluntatibus* humanis ſubdebant. Atqui aſſertores ſcientiæ mediæ dicunt, ideò hominem gratiam efficacem accipere, quia eam bono uſu, ſeu eâ benè pro ſua libertate utens, eam ſibi efficacem facit, & gratiam comitem noſtrorum bonorum operum, non præviam, aſſerunt, & dum ponunt eam ſuaptè naturâ indifferentem, & à libero arbitrio hominis determinandam, videntur eam humanis voluntatibus ſubdere; ergo &c.

Secundò. Conſenſus, ſeu bonus uſus gratiæ prævisus futurus antè decretum de danda gratia non poteſt eſſe effectus gratiæ, quia nullus effectus poteſt prævideri futurus pro priori ad ſuam cauſam. Tum quia ille bonus uſus prævidetur, ut determinativus gratiæ ad bonum opus. Ergo quòd gratia potiùs ad bonum, quàm ad malum concurrat, ab humana voluntate eſt, gratiam ſuo uſu ad bonum determinante, magis quàm à gratia.

Fateor, eſſe quidem in Dei poteſtate humanam ponere voluntatem ſub illa gratia, ſub qua eam prævidit benè uſuram, vel non ponere. At ſemper verum erit, quòd voluntas poſita in illa circumſtantia conſentit, & benè utitur illâ gratiâ, quia ipſa voluit, non quia Deus, qui inanimùm ab ea obtinet conſenſum, quia prævidit eam voliturum: unde ſi eam non

præ-

prævidiſſet volituram, per ſuam gratiam conſenſum ab ea obtinere nullatenus poſſet. Addo, quòd Deus poſtquàm prævidit, aliquem benè uſurum gratiâ, adhuc liber eſt ad eum prædeſtinandum ad gloriam: & tamen prædeſtinatio ad gloriam, ſi ſupponat merita prævisa, non cenſetur gratuita: ergo ſi etiam prædeſtinatio ad gratiam ſupponat bonum uſum gratiæ prævisum, non erit amplius gratuita. Hinc videtur inferri

VIII. Secundum inconveniens, nempe ex ſcientia media ſequi, hominem ex propriis, & non ex acceptis ſe diſcernere contrà ſupra expenſum dictum Apoſtoli 1. Cor. 4. v. 7. *quis enim te diſcernit?* Ex hypotheſi enim, quod Deus prævideat, Petrum conſenſurum ſub gratia *A.* & Paulum non conſenſurum, & Deus ſtatuat Petrum ſub illa gratia; vel Petrus ſeſe determinabit ad conſenſum ex ſola ſua innata libertate, vel talis determinatio cauſanda eſt à gratia præveniente, vel à gratia concomitante; ſed Petri determinatio non eſt à gratia prævenienté, quam ipſi negant, neque à gratia concomitante, quam ponunt ex ſua natura indifferentem, & determinandam à creata voluntate; ergo oportet, ut fateantur, quòd illa determinatio, quâ Petrus conſentiens à Paulo non conſentiente ſub eadem gratiâ diſcernitur, fit ex propria, & innata Petri libertate. Videantur ſuperiùs dicta *dub.* 4. §. 1.

IX. Tertium inconveniens eſt: quia ex poſitione ſcientiæ mediæ videtur lædi divina libertas in ordine ad operationes noſtras liberas. Nam juxta Adverſarios: Si Deus concurreret concurſu prævio, & efficaciter determinante voluntatem ad unum extremum ſuæ indifferentiæ, periret creata libertas: ſed poſitâ ſcientiâ mediâ voluntas creata determinaret efficaciter Dei concurſum, ejus indifferentiam ad unam partem flectendo, & hoc antecedenter ad Dei voluntatem; ergo &c.

Urgetur. Quando Deus antecedenter ad omne decretum prævidet meam converſionem ſub conditione auditionis concionis, vel poteſt Deus meam converſionem impedire, vel non poteſt. Si poteſt: ergo ſcientia illa eſt libera, & non neceſſaria Deo, quia verſatur circa futurum conditionatum, quod liberum eſt Deo, ſtante conditione ponere, vel non ponere: & rurſùs ſi Deus poſſet meam converſionem impedire, ſtante prævisione de mea converſione ſub illa conditione futurâ, poſſet falſificare ſuam ſcientiam mediam, ſicut ſi de facto impediret, eam de facto falſificaret. Si autem non poteſt; Ergo tollitur divina libertas, quæ neceſſitatur ad aliquid ex ſuppoſitione, liberâ quidem creaturæ, ſed non ſibi.

Explicatur magis. Ad hoc ut Deus ſit liber reſpectu conſenſus noſtri liberi, omnino prærequiritur, quòd ſub illo auxilio determinato, in eaque occaſione, quâ Petrus poteſt conſentire, & non conſentire, Deus poſſit ponere conſenſum, & carentiam conſenſus: ſed ſuppoſitâ prævisione ſcientiæ mediæ, quæ Deo non eſt libera, de carentia conſenſus Petri, Deus ex hac ſuppoſitione, ſibi non liberâ, jam non poteſt in Petro ponere conſenſum: nam in principiis ſcientiæ mediæ voluntas divina non poteſt facere, ut voluntas creata conſentiat ſub illo auxilio, & in ea occaſione, in qua poſita voluntas creata nollet ſe determinare ad conſenſum; ergo &c.

X. Reſpondent primò, ſufficere ad libertatem Dei, quòd Deus liberè conferat Petro auxilium, quo poſſit ſe convertere, & non convertere, & quod Deus liberè concurrat concurſu ſimultaneo ad quodcumque extremum contradictionis, ad quod voluntas Petri velit ſe determinare.

XI. Contra eſt. Si Deus nullum alium influxum haberet præter collationem auxilii ſufficientis, quo Petrus liber eſſet ad conſentiendum, vel non conſentiendum, & tali auxilio uti poſſet, ut vellet; collatio talis auxilii eſſet

eſſet quidem libera, & in poteſtate Dei: uſus tamen, & determinatio talis auxilii eſſet certè libera, & in poteſtate Petri; non tamen eſſet libera, & in poteſtate Dei: ſicut ſi Petrus daret Paulo pecuniam, ut poſſet emere equum, & nullum alium influxum haberet determinando Paulum ad emtionem equi, non poſſet dici cauſa libera determinationis, ſeu emtionis equi; ſed concurſus ſimultaneus Dei, ſuppoſito auxilio ſufficienti, non eſt Deo liber, ſed neceſſarius, quia in principiis ſcientiæ mediæ concurſus ſimultaneus Dei plenè ſubjicitur determinationi voluntatis creatæ; & conſequenter Deo neceſſarius, niſi ſupponatur alius concurſus antecedens cauſans liberam Petri determinationem; ergo &c.

XII. Reſpondent ſecundò, ad libertatem divinæ voluntatis ſufficere, quòd Deus poſſit determinare conſenſum Petri ſub aliquo auxilio, imò & ſub infinitis aliis, ſub quibus prævidet, eum conſenſurum, quamvis non poſſit ſub hoc auxilio, & ſub his circumſtantiis.

Sed quis non videt, hoc eſſe plus poteſtatis arrogare libertati humanæ ſupra ſuos actus, quàm divinæ, contra celebre dictum S. Auguſtini *lib. de corrept., & gratia c.* 14. Deus *magis habet in poteſtate voluntates hominum, quàm ipſi ſuas?* Etenim conſenſus eſt Petro abſolutè poſſibilis ſub quocumque auxilio, Deo autem ſub hoc auxilio eſſet abſolutè impoſſibilis.

XIII. Hinc emergit quartum inconveniens everſivum ſupremi Dominii Dei, quod ſic propono. Si neceſſe eſt, ut Deus per ſcientiam mediam priùs exploret, quid voluntas humana factura ſit in variis circumſtantiis, ne ſe exponat periculo definiendi aliquid incertum, & quod à creata voluntate impediatur, non poterit dare auxilium efficax ad vincendum, & convertendum cor durum, ſive ad perſeverandum, niſi exploratâ priùs voluntate creatâ, & prævisâ circumſtantiâ opportunâ, quâ ſinat ſe allici, & ſe flecti. Atqui hoc quomodò cohæret cum ſupremo Dominio Dei, de quo dicitur Prov. 21. *Sicut diviſiones aquarum, ità cor Regis in manu Domini, quocumque voluerit inclinabit illud*, qui, Auguſtino ſupra relato teſte, magis habet in ſua poteſtate voluntates hominum, quàm ipſi ſuas, qui eas quas voluerit, quando voluerit, & ubi voluerit poteſt in bonum convertere? Sanè quis diceret Ducem aliquem eſſe Omnipotentem expugnatorem Urbium, illas poſſe in omni circumſtantia capere, ſi opus haberet captare tempora, in hoſtiles copias exploratores mittere, ſtratagemmate uti, imò & ab obſeſſis expectare conſenſum? Talem ſcientia media facit Deum; ergo facit quidem illum politicum, at Omnipotentem nequaquàm.

XIV. Sed ut radicitùs hoc appareat, placet hoc diſcurſu ſub oculis ponere. Ex admiſſione ſcientiæ mediæ, ſequitur, aliquid ex habitudine terminorum poſſibile, fieri Deo impoſſibile ex ſuppoſitione Deo non libera, & antecedenter ad ejus libertatem: ſed hoc eſt evertere Dei Omnipotentiam, & libertatem; ergo &c. Maj. poſitâ ſcientiâ mediâ, negari non poteſt. Nam Petrum in hac occaſione, & ſub his auxiliis conſentire, eſt ex habitudine terminorum poſſibile: & tamen ſuppoſito, quòd Petrus in hac occaſione, & ſub his auxiliis non ſit pro ſua innata libertate conſenſurus, & hoc Deus per ſcientiam mediam viderit, conſenſus Petri in hac occaſione, & ſub his auxiliis ſit impoſſibilis Deo, ex ſuppoſitione non conſenſus, & ſcientiæ mediæ de illo, quorum neutrum eſt liberum Deo, & utrumque antecedens Dei libertatem. Poſitâ namque tali ſcientiâ de non conſenſu Petri, non eſt in poteſtate Dei coniungere conſenſum Petri cum ſcientia media de non conſenſu, alioquin poſſet falſificare illam. Neque eſſet in poteſtate ejus ponere conſenſum diviſum à ſcientia media de non conſenſu: ad hoc enim ſecundùm Adverſariorum principia, quibus

bus

bus utuntur adverſùs nos, neceſſe foret, ut in poteſtate Dei eſſet abjicere à ſe ſcientiam mediam de non conſenſu, vel facere, ut eâ ſtante non exiſteret non conſenſus. Neutrum autem in poteſtate Dei eſt: nam nec poteſt à ſe abjicere talem ſcientiam, quia illam habere, vel non habere in poteſtate Dei non eſt, neque facere, ut non conſenſus ſtante tali ſcientiâ non ſit, alioquin illa ſcientia non eſſet infallibilis.

XV. Quare ad hominem arguo ſic: omnis ſuppoſitio antecedens, quam ponere, vel auferre non eſt in agentis poteſtate, ſi ſit infallibilis, tollit agentis libertatem; ſed ſcientia media de non conſenſu Petri in tali occaſione eſt ſuppoſitio antecedens divinam libertatem; eam habere, vel non habere non eſt in Dei, ſed hominis poteſtate, & infallibiliter connexa cum non conſenſu; ergo tollit Dei libertatem circa conſenſum. En quomodo peſſumdant Dei libertatem, ut ſartam tectam tueantur humanam. En quomodo eadem principia, quibus nos oppugnare conantur, contra ipſos convertuntur.

Ab aliis inconvenientibus producendis ſuperſedeo, quæ videre quiſquis poterit apud Noſtrates. Nunc ad fundamenta, quibus ſcientia media incumbit, examinanda transeamus.

§. III.

Fundamenta Scientiæ Mediæ.

XVI. Præcipuum ſcientiæ mediæ fundamentum eſt componere efficaciam gratię cum humana libertate, ſine qua ajunt, hanc funditus everti: ità gloriantem Molinam ſuperius audivimus. Sed audivimus etiam, hâc eâdem ratione illam excogitaſſe Semipelagianos; qui tamen, nec à Proſpero, nec Hilario, neque Auguſtino auſcultati fuerunt. Præterquam quòd quomodo fundari poteſt libertas creata in ruinis, & everſione libertatis divinæ? Libertas creata, & ſecunda non ſubſiſtit, ſed ruat neceſſe eſt, everſâ increatâ, & primâ; quod poſitâ ſcientiâ mediâ eveniret, ut oſtenſum eſt. Argumenta verò, quibus imponunt, efficaciâ gratiæ lædi creatam libertatem, niſi ſcientia media ſtatuatur, audiemus tract. ſequenti *de voluntate, & decretis Dei*, eaque ſolvemus. Nunc ea, quæ directè poſitionem ſcientiæ mediæ ex ratione reſpiciunt, proponamus. Quæ enim ab auctoritate ducuntur, ſuperiùs diluta ſunt.

XVII. Primò arguunt. Scientia, quę tuetur libertatem voluntatis creatæ, & reddit ex alia parte cognitionem Dei valdè mirabilem, & humani ingenii facultatem in exceſſum ſuperantem, conſona rationi eſt: ſed ſcientia media utrumque præſtat, facit enim, ut voluntas creata ſe determinet, quod exigitur à libertate. Et inſuper quid mirabilius, quàm videre, quid futurum ſit in quâcumque rerum combinatione, antequam Deus quidquam decernat? Certè hoc magis mirabile eſt, quàm illud videre in decreto jam poſito, & exiſtente.

XVIII. Reſpondetur ad primam partem, diſtingu. maj. tuetur libertatem modo debito, conc. maj. Modo indebito, nego maj., & ſimiliter diſting. mi. nego conſeq. Modus debitus tuendi libertatem creatam eſt illam conſtituere religioſam. & Deo ſubditam; non verò eam conſtituere irreligioſam, & independentem, qualem ſupponit ſcientia media, ut probatum eſt, & tractatu ſequenti pleniùs oſtendetur.

Ad ſecundam dico, hanc eſſe altitudinem ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, ut ipſa, ejuſque decreta antecedant, & cauſent omnem noſtram cogitationem, & determinationem, eamque abſque læſione noſtræ libertatis faciant; potiùs quàm ponere ſcientiam, & voluntatem Dei pediſſequam, & merè exploratricem noſtrorum operum, à quibus dirigatur neceſſariò in ſuis decretis formandis. Non talem certe agnovit S. Paulus *Rom. 11. v. 33.* ubi poſtquam

quam fusè oſtendiſſet, Deum pro ſuâ voluntate de hominibus facere quod vult, miſereri, cui vult, indurare quem vult, eum figulo comparando: exclamat: *O altitudo divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quàm incomprebenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus! .... quis conſiliarius ejus fuit?*

XIX. Secundò arguunt. Sicut effectui, qui eſt, correſpondere debet cauſa, quæ eſt, ità effectui, qui eſſet, correſpondere debet cauſa, non quæ ſit, ſed quæ eſſet; At futurum conditionatum non eſt, nec erit, ſed *eſſet ſi*: ergo, ut ſit futurum, non requirit decretum Dei, quod ſit, ſed quod eſset.

XX. Hoc, quod adeò magnificant Adverſarii, merum ſophiſma eſt. Eâdem enim ratione poſſet ſic diſcurri. Sicut effectui, qui eſt, debet correſpondere cauſa, quæ eſt, ità effectui, qui erit, correſpondere debet cauſa, quæ erit; ſed futurum abſolutum non eſt, ſed erit: ergo non requirit decretum, quod ſit, ſed quod erit: quod ipſi negant. Sicut ergo ad futurum abſolutum ideò requiritur decretum actu præſens, quia de re, quæ erit, de præſenti actu verificatur, quod ſit futura, ideſt quod ſit nunc determinata ad eſſe abſolutè pro tali, vel tali tempore: ità cùm etiam de præſenti ſit verum, quod conditionatè futura, eſſent, ſi poneretur conditio, requiritur aliquod actuale ſtatuens illud fore, ſi conditio poneretur, potiùs, quàm non fore, cùm inter conditionem, & eventum nulla ſupponatur intrinſeca connexio.

In formâ ergo reſpondeo, diſting. ma. quæ eſſet: ſi de præſenti verum ſit, quod eſſet, nego. Si de præſenti verum non ſit, quod eſſet, tranſeat maj. Ut enim nunc verum ſit dicere, quòd futurum illud eſſet, ſi poneretur conditio, requiritur, ut nunc ſtatutum ſit, quòd eſſet poſitâ tali conditione, potius, quàm non eſſet.

XXI. Aliter diluitur hoc ſophiſma: diſting. ſic. Effectui, qui eſſet, debet dari cauſa, quæ eſſet, ideſt quæ ipſum exequeretur, conc. maj. quæ ipſum decerneret, nego. Nam ut nunc verum ſit, quòd eſſet, debet dari nunc cauſa decernens, ut eſſet ſi &c. ſicut ſi dicatur: effectui, qui erit, debet aſſignari cauſa, quæ erit; ſed futura abſoluta non ſunt, ſed erunt; ergo non habent cauſam, quæ ſit, ſed quę erit: diſtingui debebit maj. Cauſa quę erit, ideſt cauſa, quæ exequetur, co. ma. Cauſa, quæ decernet, nego maj. Futurum enim ſupponit cauſam, quę decernat, vel decreverit, quod erit, quia ea, quæ ſunt, in tantùm fuit verum, quod fuerunt futura, antequam eſſent, quia in cauſa ſempiterna fuit, ut eſſent futura D. Tho. *1. p. qu. 16. art. 7. ad 3.*

XXII. Tertiò argunt. Deus futura conditionata non cognoſcit per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, hæc enim, utpote neceſſaria, attingit ſolùm poſſibilia: neque per ſcientiam viſionis, hæc namque, utpotè intuitiva fertur ſolùm ad præſentia, qualia ſunt ea, quæ aliquando erunt, non verò ea, quæ nunquàm erunt, ſed eſſent, ſed hęc ſunt futura conditionata de conditione nunquam ponenda; ergo cognoſcit ea per ſcientiam mediam.

XXIII. Reſpondetur, aliquos velle, præfata futura conditionata cognoſci à Deo per ſcientiam viſionis, hâc enim cognoſcit Deus, non ſolùm creaturas, quæ aliquando erunt, & ideò ſibi præſentes; ſed etiam ſua decreta, quæ cum actu in eo ſint, ideò in illis poteſt futura conditionata cognoſcere. Sed ſi hoc verum eſt, etiam cognoſcens intuitivè ſuam Omnipotentiam, in illa poterit intuitivè cognoſcere poſſibilia, quia licèt hæc Deo præſentia non ſint, illi tamen præſens eſt ſua Omnipotentia; & ſic nulla dabitur in Deo ſcientia ſimplicis intelligentiæ.

Quare veriùs reſpondetur, ea cognoſci per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ. Eſto enim futura conditiona-

ta

Digitized by Google

ta à ſtatu poſſibilium inchoatè extracta videantur; cùm tamen eorum exiſtentia pendeat à conditione, quæ nunquàm exiſtet, ideòque merè poſſibilis remanet, ad ſtatum purę poſſibilitatis quodammodo retruduntur, ideòque capacia ſunt terminandi cognitionem abſtractivam, non intuitivam. Neque obeſt, quòd cognitio, quâ Deus ea cognoſcit, utpotè nixa decreto, non ſit neceſſaria, ſed libera: Quandoquidem de conceptu ſimplicis intelligentiæ eſto ſit eſſe abſtractivam, ideſt attingere rem actu non præſentem, non tamen de ejus conceptu eſt eſſe neceſſariam: Imò ſicut ſcientia viſionis neceſſaria eſt, quatenùs terminatur ad prædicata divina, & libera quatenùs attingit creaturas; ità ſcientia ſimplicis intelligentiæ abſtrahit ab eo, quod ſit neceſſaria, & libera; neceſſaria quidem erit, dum terminatur ad creaturas, de quibus nullum ſupponit decretum, libera verò, dum terminatur ad eas, de quibus ſupponit decretum conditionatum objectivè, ſeu ad ea, quæ eſſent, ſi poneretur conditio, ſed quia conditio non eſt ponenda, poſſunt quidem eſſe, ſed nunquam de facto erunt.

DUBIUM VIII.

An Scientia Media admittenda ſit in Deo pro Angelis Viatoribus, & pro Homine in ſtatu Innocentiæ.

§. I.

Status quæſtionis.

I. QUidam, qui Auguſtinianæ Doctrinæ ſe profeſſores, ac ſectatores eſſe gloriantur, eſto à Deo pro præſenti naturæ vitiatæ ſtatu ponant divinam motionem per ſe, & ab intrinſeco efficacem, & conſequenter ſcientiam mediam à Deo exulare faciant; ubi tamen de ſtatu primi hominis, ſeu naturæ innocentis, & Angelorum, dùm eſſent in via, ſermonem habent, gratiam ſolùm verſatilem, ex natura ſua indifferentem, & ex conſenſu efficacem admittentes, pro illo ſtatu ſcientiam mediam admittere coguntur: atque ità, dùm de ſtatu naturæ lapſę agunt, Thomiſtæ ſunt, dùm verò de ſtatu hominis innocentis, ſive Angelorum loquuntur, tranſeunt ad Molinianos.

II. Ità opinantibus facem præfert Iprenſis Janſenius, tùm *lib. de gratia primi hominis, & Angelorum c.12.13. & 14.* tùm *lib. de gratia Chriſti cap. 2.* Cùm enim gratiam per ſe efficacem ex triplici præſertim titulo aſſerant Thomiſtæ, nimirùm, ex indifferentia creatæ voluntatis. Secundò ex neceſſaria ſubordinatione voluntatis creatę Voluntati divinæ. Tertiò ex infirmitate, & corruptione creatæ voluntatis peccato fauciatæ, & depravatæ; quæ, cùm in privatum bonum tota propenſa ſit, & quaſi incurvata, in Deum erigi, niſi adjuvetur, & ſublevetur, non poteſt: Janſenius, & cum eo pręfati Doctores, gratiæ per ſe efficacis neceſſitatem, ex hoc uno poſtremo titulo reperunt. Quo fit, ut, cùm nulla in homine innocente, ſive in Angelis, corruptela, aut depravatio eſſet, nec eorum voluntas foret ullo vulnere fauciata, nullam in homine puro, aut Angelis gratiæ per ſe efficacis, ſed ſolius gratiæ ſufficientis libero arbitrio verſatilis, neceſſitatem agnoſcant, & ità ſenſiſſe Sanctum Auguſtinum contendant. Quare Thomiſtas contrarium docentes, Ariſtotelicos potiùs eſſe, quàm Auguſtinianos pronunciat Janſenius citato *lib.8. de Gratia Chriſti c. 2.* An verò audiendi ſint cum Janſenio Recentiores, qui ſe Auguſtinianos jactitant fideliores, videamus.

§. II.

Reſolutio dubii.

III. DIco. Scientia media à Deo releganda eſt, nedùm pro ſtatu hominis lapſi, ſed etiam pro ſtatu hominis innocentis, & pro ſtatu viæ Angelorum, & hæc eſt mens Sancti Auguſtini.

Probo primò ſic. Tunc pro omni ſtatu releganda eſt à Deo ſcientia media, ſi pro omni ſtatu neceſſaria eſt gratia per ſe efficax, & movens ad actu benè operandum; ſed hæc pro omni ſtatu neceſſaria eſt, & hoc aſſerit S. Auguſtinus; ergo &c. Maj. per ſe patet, quia poſitâ gratiâ per ſe efficaci ruit objectum ſcientiæ mediæ, ejuſque fundamentum evertitur.

Min. verò, & præſertim quod hæc ſit mens D. Auguſtini, probatur primò. Mentem S. Auguſtini meliùs exploravit S. Thomas, quem Janſenius vocat *Auguſtinum contractum*, quàm Janſenius ipſe, ejuſque gregales; ſed Sanct. Thomas gratiam per ſe efficacem, & moventem neceſſariam judicat pro omni ſtatu; ergo &c. Maj. probatur ex Janſenio ipſo, qui *lib. proœmiali de ratione, & auctoritate cap. 22. Quidquid*, inquit, *vera Theologiæ in Scholaſtica S. Thomæ continetur, uſque ad ipſorum articulorum fundamenta, ex Auguſtino ità mutuatum eſt, ut quemadmodum novum Teſtamentum, nihil eſt aliud, quàm vetus revelatum, & Auguſtini doctrina de Gratia Dei, nihil præter ſidei principia in ſuas deducta concluſiones: ità S. Thomæ Summa, ubi Theologiam tradit, pro magna parte, nihil ſit aliud, niſi* Auguſtinus contractus, *certâque proportione naturalibus principiis alligatus*, ſecundum quod congruit, *ut ipſe Thomas loquitur* ad eruditionem incipientium 1. *p. in præfat.* Hoc elogio S. Thomam ornat Janſenius. Quo ſuppoſito prob. mi. Quòd ſcilicet de men e D. Thomæ ſit, quod in utroque ſtatu requiratur auxilium gratiæ moventis.

IV. Primò ex 1. 2. *qu.* 109. *art.* 2. *in corp.* Ubi, poſtquam docuit, hominem in ſtatu naturæ integræ indiguiſse virtute ſuperadditâ virtuti naturæ quantum ad unum, ſcilicet *ad operandum, & volendum bonum ſupernaturale: ſed in ſtatu naturæ corruptæ quantum ad duo: ſcilicet, ut ſanetur, & ulteriùs ut bonum ſupernaturalis virtutis operetur, quod eſt meritorium.* Statim ſubjungit. *Ulteriùs autem in utroque ſtatu indiget homo auxilio divino, ut ab ipſo moveatur ad benè agendum.* Cujus motionis neceſſitatem articulo præcedente probaverat, quia cum bonus uſus ſit quidam motus; *ſicut motus omnes corporales reducuntur in motum cœleſtis corporis, ſicut in primum movens corporale: ità omnes motus, tàm corporales, quàm ſpirituales reducuntur in primum movens ſimpliciter, quod eſt Deus.* Ex quo principio artic. 2. laudato ad 1. concludit, quòd *mens hominis etiam ſani non ità habet dominium ſui actus, quin indigeat moveri à Deo.*

V. Secundò idem docet *q. cit. a.* 3. *in corp.* ubi cum præmiſiſſet, quòd *homo in ſtatu naturæ integræ poterat operari virtute ſuæ naturæ bonum, quod eſt ſibi connaturale abſque ſuperadditione gratuiti doni, licèt non abſque auxilio Dei moventis*; deveniens ad naturalem dilectionem Dei, ſic ſtatuit: *Homo in ſtatu naturæ integræ non indigebat dono gratiæ ſuperadditæ naturalibus bonis ad diligendum Deum naturaliter ſuper omnia, licèt indigeret auxilio Dei ad hoc eum moventis. Sed in ſtatu naturæ corruptæ indiget homo etiam ad hoc, auxilio gratiæ naturam ſanantis.*

VI. Tertiò eâdem qu. art. 9. *Homo*, inquit, *in gratia exiſtens, non indiget alio auxilio gratiæ, quaſi aliquo alio habitu infuſo. Indiget tamen auxilio gratiæ ſecundùm alium modum, ut ſcilicet à Deo moveatur ad rectè agendum. Et hoc propter duo. Primò quidem ratione generali, propter hoc, quod ſicut ſupra dictum eſt* [art. 1.] *nulla res creata poteſt in quemcumque actum prodire, niſi virtute motionis divinæ. Secundò ratione*

tione ſpeciali, *propter conditionem ſtatus humanæ naturæ*, corruptæ ſcil. & infectæ. Ecce D. Thomam perpetuum in aſserenda neceſſitate divinæ motionis, non ex ſpeciali ratione naturæ corruptę, ſed ex generali naturæ creatæ, quæ ſe movere adhuc liberè actu non poteſt, niſi moveatur à Deo. Vel ergo S. Thomas ab Auguſtino recedit, vel ab Auguſtino, & S. Thoma recedit Janſenius.

VII. Secundò probatur min. principalis directè oſtendendo, S. Auguſtinum in omni ſtatu voluiſſe gratiæ per ſe efficacis neceſſitatem ad benè operandum, & perſeverandum, ex variis S. Auguſtini principiis.

Primum eſt, quod *ſi nobis libera quadam voluntas ex Deo eſt*, *quæ adhuc poteſt eſſe*, *vel bona*, *vel mala*: *bona verò voluntas ex nobis eſt*, *melius eſt id*, *quod à nobis*, *quàm quod ab illo eſt* (ità *lib. 2. de peccat. meritis*, *& remiſs. cap. 18.*) quo ruit illud Apoſt. 1. Cor. 4.7. *Quid autem habes quod non accepiſti*? Ex quo principio Janſenius, ejuſque aſſeclę dicunt, à Sancto Auguſtino rejici gratiam verſatilem pro ſtatu naturæ corruptæ: ſi enim gratia, ut à Deo, eſſet indifferens ad bonum, & malum, à nobis autem determinaretur ad bonum, melius foret id, quod eſt à nobis, quàm quod à Deo eſt. Sed hoc evincit, etiam ab homine innocente, & ab Angelis gratiam verſatilem eſſe rejiciendam: æquè enim inconveniens eſſet, in hominibus innocentibus, & Angelis aliquid eſſe, quod à Deo non accepiſſent, & melius fore id, quod ab ipſis eſſet, nempe bona, & conſtans in bono voluntas, quàm id, quod eſſet à Deo, nempe voluntas ad bonum, & malum flexibilis; ergo &c. Quare pręfatum principium Angelis viatoribus ipſemet Sanctus Auguſtinus accommodat *lib. 12. de Civit. Dei cap. 9.* dicit enim primò, quod *ſi boni Angeli fuerunt priùs ſine bona voluntate*, *eamque in ſe ipſis Deo non operante fecerunt*, *ergo meliores à ſe ipſis*, *quàm ab illo facti ſunt*. *Abſit .... Aut ſi non potuerunt ſe ipſos facere meliores*, *quàm eos ille fecerat*, *quo nemo melius quidquam facit*, *profectò & bonam voluntatem*, *quâ meliores eſſent*, *niſi operante adjutorio Creatoris habere non poſſent*. Inferiùs autem adſignans rationem, cur, cùm omnes Angeli in bona voluntate creati ſint, aliqui ceciderunt, aliqui verò ſteterunt; dicit ſecundò, cecidiſſe, quia, *aut minorem acceperunt amoris divini gratiam*, *quàm illi*, *qui in eâdem perſtiterunt*, *aut ſi utrique boni æqualiter creati ſunt*, *iſtis malâ voluntate cadentibus*, *illi ampliùs adjuti*, *ad eam beatitudinis plenitudinem*, *unde ſe nunquam caſuros certiſſimi fierent*, *pervenerunt*. Quibus non ſolùm de prima bona voluntate, in qua à Deo conditi ſunt loquitur Auguſtinus, ut exponunt quidam, ſed etiam de ſecunda, quâ, aliis cadentibus à bono, in bono perſtiterunt, & quâ ad beatitudinem pervenerunt. Cùm ergo dicat, hanc habuiſſe operante *adjutorio Creatoris*, & quia *ampliùs adjuti* fuerunt, evidens eſt, præter auxilium ſufficiens, in quo pares ab initio fuerunt, in perſeverantibus fateri Sanctum Auguſtinum ulterius, & amplius adjutorium, quo perſeverarent adfuiſſe.

VIII. Secundum Sancti Auguſtini principium ſumitur ex verbis Apoſtoli 1. Cor. 4. 7. *Quis enim te diſcernit?* Ex quo cum eodem S. Doctore ſuperiùs probavimus gratiæ per ſe efficacis neceſſitatem in præſenti ſtatu, alioquin homo conſentiens à non conſentiente ſe diſcerneret, non Deus. Unde ſic diſcurro. In omni ſtatu Deus eſſe debet, qui perſeverantem in bono à non perſeverante diſcernat, cùm perſeverantia donum Dei ſit, & quidem maximum; ſed ſi in Angelis, & in homine innocente alia gratia non eſſet, quàm verſatilis, non eſſet Deus, qui perſeverantem à non perſeverante diſcerneret, ſed Angelus, vel homo ſe ipſum diſcerneret; ergo &c. Quapropter idem Sanctus Auguſtinus *lib. 11.*

de Civit. Dei c. 19. dicit: *inter Sanctos Angelos, & immundos fuiſſe diſcretum, ubi dictum eſt*, & diviſit Deus inter lucem, & tenebras..... *ſolus quippe illa iſta diſcernere potuit, qui potuit etiam priuſquàm caderent præſcire caſuros*... ne autem quiſquam reponeret, ſolâ præſcientiâ eos diſcreviſſe, ſubdit: *Inter illam verò lucem.... & ei contrarias tenebras... ipſe dividere potuit, cui etiam futurum, non natura, ſed voluntatis malum, occultum, aut incertum eſſe non potuit*. Quare præſcientiam ſupponit quidem, non tamen tanquam cauſam lapſus, aliàs diſcretionem illam Dei opus non diceret, ſi eam Deus nudè, ac ſimpliciter præſciviſſet.

IX. Inſuper, nec refert, quòd 12. *de Civit. Dei cap.* 9. dicat: *quod eatenus ſunt iſti* [ideſt boni] *ab eorum Societate diſcreti, quòd illi* [nempe boni] *in eadem voluntate bona manſerunt; iſti* [nempe mali] *ab ea deficiendo mutati ſunt, malâ ſcilicet voluntate, hoc ipſo, quod à bono defecerunt*.

X. Nam reſpondeo, S. Doctorem illis verbis voluiſſe ſolùm oſtendere, & eos, qui ſteterunt liberè ſtetiſſe in bono, & eos, qui mutati ſunt, ſuâ voluntate à bono defeciſſe: non verò aſſignaſſe cauſam totalem, & principalem talis diſcretionis, quam Deum eſſe ibidem tradit, ut vidimus. Alioquin, cum eodem *lib.* 12. *c.* 6. de duobus adoleſcentibus æqualiter affectis, & æquali tentatione pulſatis, quorum *unus ei cedat, alter idem quod fuerat perſeveret*, dicat, *quid aliud apparet, niſi unum voluiſſe, alterum noluiſſe à caſtitate deficere?* Concludi deberet, etiam in præſenti naturæ corruptę ſtatu ſolâ gratiâ verſatili, aliquem in bono perſeverare, nec opus eſſe gratiâ per ſe efficaci; quod Adverſarii, quibuſcum pugnamus, contra Molinianos negant.

XI. Supereſſent alia Sancti Auguſtini principia, quorum aliqua ſuperiùs expendimus, neceſſitatem gratiæ per ſe efficacis probantia in omni ſtatu, & quibus ſcientiam mediam Semipelagianorum S. Doctor rejiciebat: Nimirum, quòd eâ poſitâ non ſalvaretur in Deo cordium inclinandorum omnipotentiſſima poteſtas. De voluntatibus hominum facere quod vult: magis Deum habere in ſua poteſtate voluntates hominum, quàm ipſi ſuas. Spem noſtram unicè in Deo reponendam; hominem innocentem æquè ac nos neceſſitatem Deum orandi, ut illi donum perſeverantiæ concederet, gratias inſuper Deo agendi habuiſſe, ipſique ſeſe humiliandi: quæ omnia cum peſſum irent, ſi in ſtatu præſenti naturæ corruptę ſcientia media cum gratia verſatili poneretur, ut Adverſarii ex Auguſtino fatentur, non minus ruerent, ſi illa poneretur in ſtatu naturæ innocentis, & in Angelis viatoribus. Quare videntur mihi hi, qui ſe Auguſtinianos jactant, quod unâ manu ædificarunt, alterâ deſtruere, Auguſtinianı eſſe, & Moliniani; ſeu verius nec veri Auguſtiniani, nec veri Moliniani. Sed ab his ſuperſedeo, quæ fusè & eruditè pertractata à Doctiſſimo noſtro P. Serry in ſuo Auguſtino conciliato quiſquis videre poterit. Nunc fundamenta Adverſariorum ad trutinam vocanda ſunt.

§. III.

Fundamenta contraria.

XII. PRimum, ac præcipuum ſuæ opinionis fundamentum ſumunt Adverſarii ex Sancto Auguſtino *lib. de correp. & gratiâ*, in quo (ajunt) mentem ſuam expreſſit S. Doctor. Ibi enim *cap.* 10. 11. & 12. cum contra Pelagianos quoddam genus gratiæ ad pietatis opera neceſſarium prædicaſſet, quam Deus ſine ullis meritis, cui vellet concederet, cui vellet denegaret: ſtatim obmurmurare cęperunt Monachi quidam Adrumetini Monaſterii, inter alia dicentes: ſi ità eſt; nemo corripiendus eſt, ſi fortè bonum non faciat, aut in bono non perſeveret, cum nec bonum agere, nec in bono per-

Digitized by Google

perſeverare poſſit, niſi habeat talem gratiam, quam nec dare, nec promereri ipſe ſibi poteſt, ſed unicè à libito Dei expectare debet.

XIII. Hanc murmurationem ſedare volens Sanctus Auguſtinus, ad Valentinum, qui de tali murmure ipſum certiorem fecerat, & eoſdem Monachos librum dedit, cui idcircò titulum de correptione, & gratia appoſuit; In quo gratiæ neceſſitatem correptioni locum non claudere oſtendit, nempè hanc querelam jamdiu prævisam à D. Paulo *Roman.* 9. illis verbis: *dicis itaque mihi. Quid adhuc quæritur? Voluntati enim ejus quis reſiſtit?* ideſt quid de nobis queritur Deus, ſi benè non agimus, cum ipſe voluntate ſuâ, cui nemo reſiſtit, cui vult gratiam neceſſariam largitur, cui vult negat? cui Paulus reſpondet, murmurantem objurgando, *ò homo tu quis es, qui reſpondeas Deo?* & tandem ad Dei occulta judicia totum negotium reducit.

XIV. Verùm Monachis non quieſcentibus, quinimò congeſtis ſophiſmatibus poſtulantibus, ut cauſam aſſignaret ſaltem, quare Deus juſto ſuam retraheret gratiam, ſine qua perſeverare non poteſt; & tamen, cur non perſeveret ei vitio vertat, reſpondit tandem Sanct. Auguſtin. hanc eis ſubtrahi ob peccatum primi Parentis ad nos uſque carnali propagatione transfuſum.

XV. Reſponſio iſta Monachorum animos magis excitavit: putantes enim, ſe Auguſtinum ſuiſmet armis vincere poſſe, ajebant *c.* 10. Quid ergo de primo Parente dicendum eſt, cui certè perſeverantiæ donum datum non fuit, alioquin ſi illud accepiſſet in juſtitia perſeveraſſet, & ab ea non defeciſſet? *Neque enim dici poteſt, ideò non accepiſſe, quia non eſt diſcretus à maſſa perditionis, gratia largitate: nondùm quippe erat illa in genere humano perditionis maſſa, antequam peccaſſet, ex quo tracta eſt origo vitiata.*

XVI. Cui objectioni, ut ſatisfaceret Sanctus Auguſtinus diſtinguens duplex adjutorium, unum *ſine quo aliquid non fit*, quod *ſufficiens* à Theologis vocatur: *& aliud adjutorium quo aliquid fit*, & hoc eſt *efficax*. Sicut *ſine alimentis non poſſumus vivere, nec tamen, cum adfuerint alimenta, eis fit, ut vivat, qui mori voluerit. Ergo adjutorium alimentorum eſt, ſine quo non fit, non quo fit, ut vivamus.* Primum dat poſſe agere, ſi homo velit. Secundum dat actu agere. Primum datum fuit primo homini, non verò ſecundum. *Primo itaque homini, qui in eo bono, quo factus fuerat rectus, acceperat poſſe non peccare, poſſe non mori, poſſe ipſum bonum non deſerere: datum eſt adjutorium perſeverantiæ, non quo fieret ut perſeveraret, ſed ſine quo per liberum arbitrium perſeverare non poſſet.* Hæc S. Auguſtinus *c.* 12.

XVII. Verùm, quia de hoc nulla dubitatio eſſe poterat, quis enim neſciat Adamum non perſeveraſſe, eumque adjutorium, quo perſeveraret, non habuiſſe? Nam nec hoc Monachi Adrumetini negabant. Controverſia erat, quale eſſet hoc adjutorium *quo* ſeu efficax, an donum diſtinctum ab adjutorio *ſine quo*, & dante poſſe perſeverare; an verò donum ab eo indiſtinctum, ità ut gratia ſufficiens, quâ donatus fuerat, ſeù adjutorium *ſine quo* ſatis fuiſſet ad actu perſeverandum, ſi liberi arbitrii conſenſus eam reddidiſſet efficacem. Quod Adverſarii contra quos agimus, evidenter ſe colligere contendunt.

XVIII. Præmiſerat enim c. 11. S. Doctor. *Tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem; in illa quippe eum fecerat, qui fecerat rectum. Dederat adjutorium, ſine quo in ea non poſſet permanere, ſi vellet, ut autem vellet in ejus reliquit arbitrio. Poſſet ergo permanere ſi vellet: quia non deerat adjutorium per quod poſſet, & ſine quo non poſſet perſeveranter bonum tenere, quod vellet. Sed quia noluit permanere, profecto ejus culpa eſt, cujus meritum fuiſſet, ſi permanere voluiſſet*, quod Angelorum exemplo confirmaus, *ſicut*, inquit

quit, *fecerunt Angeli Sancti, qui cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium ſteterunt ipſi &c.* Deinde addens, quòd ſi tale adjutorium *ſine quo* homini, vel Angelo defuiſſet, non utique ſuâ culpâ cecidiſſent, ſubjungit: *nunc autem quibus deeſt tale adjutorium, jam pœna peccati eſt: quibus autem datur, ſecundùm gratiam datur, non ſecundùm debitum; & tantò amplius datur per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, quibus id dare Deo placuit, ut non ſolùm adſit ſine quo permanere non poſſumus, etiamſi velimus, verùm etiam tantum, ac tale ſit, ut velimus. Fit quippe in nobis per hanc Dei gratiam in bono recipiendo, & perſeveranter tenendo, non ſolùm poſſe, quod volumus, verùm etiam velle quod poſſumus. Quod non fuit in homine primo: unum enim horum in eo fuit, alterum non fuit. Namque ut reciperet bonum gratiâ non egebat, quia nondum perdiderat: ut autem in eo permaneret, egebat adjutorio gratiæ, ſine quo id omnino non poſſet: & acceperat poſſe, ſi vellet, ſed non habuit velle quod poſſet, nam ſi habuiſſet, perſeveraſſet. Poſſet enim perſeverare, ſi vellet: quod ut nollet, de libero deſcendit arbitrio; quod tunc ità liberum erat, ut benè velle poſſet, & malè.*

XIX. Ex his, Adverſarii ità diſcurrunt. A Monachis Adrumetinis rogatus Sanct. Auguſtinus, primum hominem innocentem ab homine lapſo hac ratione diſtinxit; quod ille ſolo adjutorio *ſine quo non*, hoc eſt ſufficiente, quo pro ſuo arbitrio benè, aut malè uti poterat, & permanere ſi vellet, & ut vellet in ejus arbitrio relinquendo, donatus fuit: Hic autem, nempe homo originali vulnere ſaucius, ulteriùs ad perſeverandum indigeat adjutorio *quo*, ſeu efficaci, quodque tale ſit, ut velit, atque faciat, ut velit. Atqui hoc eſt in ſtatu naturæ innocentis ponere adjutorium ſolùm verſatile, & dependens quoad efficaciam à libero arbitrio, & conſequenter Deum in eo ſtatu per ſcientiam mediam præſciviſſe, quid Adamus tali adjutorio inſtructus, & in ea circumſtantia poſitus facturus eſſet; ergo &c. Quare eodem capite 12. poſtquam dixerat, dignum fuiſſe, ut cujus voluntas ſine ullo fuerat inſtituta peccato, *perſeverare, vel non perſeverare id ejus relinqueretur arbitrio*. Subdit: *Deo quidem præſciente quid eſſet facturus injuſtè, præſciente tamen, non ad hoc cogente: ſed ſimul ſciente, quid de illo ipſe faceret juſtè.*

XX. Hæc tota Adverſariæ opinionis baſis, quam ejus Patroni totius Auguſtinianæ doctrinæ clavem jactitant. Nodus eſt iſte apparenter ſolutu difficilis. Si tamen ad ea, quæ ſuperiùs dicta ſunt Lector reſpexerit, non adeò difficilem ſolutionem, & S. Auguſtini cum ſe ipſo conciliationem inveniet; maximè ſi D. Thom. quem *Auguſtinum contractum* ab Adverſariis vocatum ſuperiùs audivimus, attentè conſuluerit.

Diſcrimen ergo inter hominem lapſum, & ſaucium, ac hominem integrum, & ſanum, & Angelos, non in eo ſitum eſt, quod homo ſaucius egeat adjutorio *quo* Dei ad perſeverandum, homo autem ſanus, & Angeli eo non indiguerint. Sed in hoc, quòd homo ſaucius egeat adjutorio ſanante vulnus, homo autem ſanus, & Angeli tali adjutorio non eguerint. Duplex porrò per peccatum homo contraxit vulnus; unum in mente, quæ à Deo ſeſe avertit; alterum in carne, in qua appetitus ſenſitivus rebellis à ratione factus eſt. Utrumque vulnus,ſanat gratia, ſeu adjutorium per Chriſtum. Primum ſanat gratia habitualis,quæ eſt adjutorium *ſine quo*, & cætera dona ab ipſa fluentia, quæ mentem ſanant, eique ad bonum velle vires, ac ſufficientiam præſtant: quia verò actualem bonam operationem carnis rebellio impedire conatur, ad hoc ſanandum datur adjutorium *quo*, ſeu gratia efficax vincens carnis reſiſtentiam.

XXI. Totum hoc docet D. Thom. 1. 2. *qu.* 109. locis ſuperiùs laudatis, & præ-

Digitized by Google

& præcipuè *artic. 9. in corp.* Ubi poſtquam docuit, hominem ad rectè vivendum dupliciter auxilio Dei indigere: *Uno quidem modo, quantum ad aliquod habituale donum, per quod natura humana corrupta ſanetur, & etiam ſanata elevetur ad operandum opera meritoria vitæ æternæ, quæ excedunt proportionem naturæ. Alio modo indiget homo auxilio gratiæ, ut à Deo moveatur ad agendum:* ſubjungit: *Quantum igitur ad primum auxilii modum homo in gratia exiſtens non indiget alio auxilio gratiæ, quaſi aliquo alio habitu infuſo. Indiget tamen auxilio gratiæ ſecundùm alium modum, ut ſcilicet à Deo moveatur ad rectè agendum. Et hoc propter duo. Primò quidem ratione generali, propter hoc, quod ſicut ſupra dictum eſt* [art. 1.] *nulla res creata poteſt in quemcumque actum prodire, niſi virtute motionis divinæ. Secundò ratione ſpeciali propter conditionem ſtatus humanæ naturæ: quæ quidem licèt per gratiam ſanetur quantum ad mentem, remanet tamen in ea corruptio, & infectio quantum ad carnem, per quam ſervit legi peccati &c.* En quomodo adjutorium *quo*, ſeu efficax, ex duplici titulo requirit in natura corrupta, & titulo generali, quia creata eſt, & titulo ſpeciali, ut ſanaretur quantum ad carnem, quia corrupta eſt. Eſto igitur natura integra eo non indigeret ſpeciali titulo, ut ſanaretur, indigeret tamen, quia creata, ut à Deo moveretur ad rectè agendum.

XXII. Clarè etiam hoc idem expreſſit citatâ *qu. 109. artic. 10. ad 3.* ubi *ſicut* (inquit *Auguſtinus lib. de natura, & gratia* cap. 48. & apertiùs lib. de corrept. & gratia cap. 12.) *homo in primo ſtatu accepit donum, per quod perſeverare poſſet, non autem accepit, ut perſeveraret. Nunc autem per gratiam Chriſti multi accipiunt, & donum perſeverantię, quo perſeverare poſſunt, & ulteriùs eis datur, quod perſeverent. Et ſic donum Chriſti eſt majus, quàm delictum Adæ. Et tamen facilius homo per gratiæ donum perſeverare poterat in ſtatu innocentiæ, in quo nulla erat rebellio carnis ad ſpiritum, quàm nunc poſſimus, quando reparatio gratiæ Chriſti, etſi ſit inchoata quantum ad mentem, nondum tamen eſt conſummata quantum ad carnem.* Igitur non perſeveravit Adam, quia defuit adjutorium quo perſeveraret. Cum quo adhuc ſtat differentia inter utrumque ſtatum, quia in ſtatu innocentiæ non eſſet auxilium ſanans quoad carnem, ſicut modò.

XXIII. Quapropter ad argumentum propoſitum, nego maj. Differentia enim inter ſtatum naturæ innocentis, & corruptæ, non eſt in hoc, quòd ille non egeret adjutorio *quo*, iſte egeat; ſed in hoc, quòd ſtatus naturæ ſanæ egeret adjutorio *quo* Dei moventis, ſed non ſanantis; iſte egeat auxilio movente, & ſanante quantùm ad carnem. Cùm enim eſſentia ſtatus innocentiæ in eo ſita ſit, quòd pars ſuperior Deo, inferior ſuperiori perfectè ſubjecta ſit; & eſſentia ſtatus naturæ lapſæ conſiſtat in hoc, quòd pars ſuperior eſto per gratiam ſit ſubjecta Deo, non tamen ratio inferior ità ſit ſubjecta rationi, quin motus carnis rebelles ſubrepant; hinc oritur eſſentialis auxiliorum diverſitas pro utroque ſtatu: quod auxilium *quo* in ſtatu innocentiæ nudam, ac ſimplicem applicationem ad opus importat ex generali titulo Dei moventis. At auxilium *quo* in ſtatu naturæ corruptæ, ultra hoc dicit ſanare vulnus, quoad carnem; ſeu tam potentem ac fortem, eſſe voluntatis applicationem, ut appetitum ſibi perfectè ſubjiciat, & externa impedimenta tollat. Adam ergo, ut Sanctus Auguſtinus docet c. 11. gratiam non habuit *quâ nunquam vellet eſſe malus*, ſeu adjutorium *quo*, & efficax; *ſed ſanè habuit, in qua, ſi permanere vellet nunquam malus eſſet, & ſine qua etiam cum libero arbitrio bonus eſſe non poſſet; ſed eam tamen per liberum arbitrium deſerere poſſet:* & hoc eſt adjutorium *ſine quo*, ſeu ſufficiens.

XXIV. Ex quibus tandem concluditur,

ditur, quod ſecundùm Auguſtinum primus homo duplici gratiâ indiguerit, ut perſeveraret; unâ, quâ poſſet benè agere, & perſeverare ſi vellet, & quam poſſet deſerere, & hæc eſt adjutorium *ſine quo*, ſeu ſufficiens: Alterâ, quâ vellet nunquam eſſe malus, & gratiam non deſerere, & hęc eſt adjutorium *quo* ſive efficax; quod homo deſerere non poſſe dicitur, quia facit ipſum vellè bonum, & velle ſe velle. Prius adjutorium Adamo collatum fuit, quod ſcilicet poſſet deſerere, quodque de facto deſeruit. Secundum verò non habuit: *Illam gratiam non habuit primus homo, quâ nunquam vellet eſſe malus*. Hæc eſt genuina, & ſincera S. Auguſtini mens. Aliòquin ſi hâc ſecundâ gratiâ non indiguiſſet, non benè diceret Auguſtinus: *Illam gratiam non habuit primus homo quâ nunquàm vellet eſſe malus*. Nam vel non erat gratia, vel eſſe non poterat. Non erat gratia, ſi ad perſeverandum nil aliud requirebatur, niſi quod Adam ſuâ libertate determinaret auxilium ſufficiens. Non poterat eſſe illo ſtatu permanente, ſi Deus non poterat conformiter ad illum ſtatum alio modo dare homini perſeverantiam, quàm dando illi auxilium ſufficiens ab ipſo homine determinandum; hoc enim poſito eſſet quidem gratia poſſe perſeverare, at actu perſeverare gratia non eſſet. Ex quo fit primò, quod Adamus non teneretur à Deo petere actualem perſeverantiam: quid enim à Deo peteret, quod non in Dei poteſtate eſſet, ſed ſuâ? Secundò, quod in Dei poteſtate non fuerit, quod homo, aut Angelus non caderet contra dictum Auguſtini *lib. 14. de Civit. Dei cap. 27. Quis audeat credere, aut dicere, ut neque Angelus, neque homo caderet, in Dei poteſtate non fuiſſe? Sic ergo* [ait Sanct. Doctor ibi] *erat conſtitutus Adamus, ut ſi De adjutorio Dei* [ſine quo] *fideret, bonus homo malum Angelum vinceret, ſi autem Creatorem, atque adjutorem Deum ſuperbè ſibi placendo deſereret, vinceretur, meritum bonum habens in adjuta divinitùs voluntate recta, malum verò in deſerente Deum voluntate perverſa; Quia & ipſum confidere de adjutorio Dei* [nempe benè uti adjutorio ſine quo] *non quidem poſſet ſine adjutorio Dei* [nimirum *quo*] *nam ſicut in hac carne vivere ſine adjumentis alimentorum in poteſtate non eſt, non autem in ea vivere in poteſtate eſt: quod faciunt, qui ſe ipſos necant: ità benè vivere ſine adjutorio Dei, etiam in Paradiſo, non erat in poteſtate; erat autem in poteſtate malè vivere*. Sicut ergo in poteſtate quidem hominis eſt ſibi vitam eripere, non tamen in vita continuare ſolis adjuti alimentis, niſi adſit Dei adjutorium, quo vitam conſervet: ità homo in Paradiſo in poteſtate habuit quidem Deum deſerere, ſed in bono perſeverare cum ſolo adjutorio ſine quo, niſi adeſſet adjutorium *quo*, planè non poterat. Quare ut oſtenderet Deus, quid valeret liberum arbitrium abſque tali adjutorio, illud primo homini, & Angelis deſertoribus denegavit. Hanc S. Auguſt adſignat rationem, cur Deus permiſit Adæ, & Angelorum lapſum: ſermone enim 11. *de verb. Apoſtoli nunc ſerm. 26. c. 3. Hoc modo* [inquit] *oſtendere voluit Deus, quid valeat liberum arbitrium ſine Deo*: ſinè Deo, inquam, faciente, ut in bono perſeveraret. *Et lib. de Cantico novo c. 8. Quid enim* [ait] *valeat liberum arbitrium non adjutum, in ipſo Adam monſtratum eſt. Ad malum ſufficit ſibi, ad bonum autem non, niſi adjuvetur à Deo*. De quo autem adjutorio loquitur Auguſtinus? de adjutorio ſine quo? nequaquam. Nam hoc in Adamo fuit. Loquitur de adjutorio, quod illi defuit, ut oſtenderetur, ſine tali adjutorio, liberum arbitrium etiam ſanum nonniſi ad malum ſibi ſufficere. Quare *lib. de nat., & gratia c. 48.* contra Pelagium, qui dicebat, *quod non peccare noſtrum ſit, poſſe verò non peccare non noſtrum*. Ait S. Doctor *ſi de integra, & ſana hominis natura lo-*

que-

Digitized by Google

quæretur, quam modò non habemus... nec ſic rectè diceret, quod non peccare noſtrum tantummodo ſit, quamvis peccare noſtrum eſſet. Nam & tunc eſſet adjutorium Dei, & tanquam lumen ſanis oculis, quo adjuti videant, ſe præberet volentibus. Quale autem eſſet adjutorium, quod daretur, ne homo integer peccaret, niſi efficax, ſeu *quo*? Adverſarii ergo volentes in primi hominis poteſtate fuiſſe non peccare, eſto in ejus poteſtate non fuerit poſſe non peccare, dum negant adjutorium ad non peccandum, & ſolùm concedunt adjutorium ad poſſe non peccare, veriùs cum Pelagio loqui videntur, quàm cùm S. Auguſtino. Satis ſuperque hanc materiam evoluimus, in qua ſi à promiſſa brevitate receſſimus, ignoſcat lector; Agebatur enim de re, quâ velut charactere Schola S. Thomæ ab extraneis ſecerni, & pro divinæ gratiæ jure pugnare meritò gloriatur. Qui de hoc poſtremo dubio plura optaverit adeat noſtrum Antoninum Reginaldum. De mente Concil. Trident. circa gratiam efficacem *p. 2. à cap. 30. ad 34.*, & laudatum Serry in ſuo *Auguſtino Conciliato*.

XXV. Supereſſet quærere, quid addat adjutorium *quo*, ſeu efficax, quo indigemus in præſenti ſtatu, nimirùm ſanante quoad carnem, ſupra adjutorium *quo*, quod ad benè agendum datum fuiſſet homini in ſtatu innocentiæ, in quo fuiſſet quidem applicativum, ſed non ſanans; quia nulla fuiſſet in parte inferiori pro eo ſtatu infirmitas. P. Serry in ſuo *Auguſtino Conciliato* paſſim, & maximè *c. 25. & ult.* apertè ſuſtinet, gratiam efficacem ſanantem novas vires addere voluntati, novumque robur ad benè agendum, & ſola auxilia ſufficientia dare quidem poſſe; ſed non expeditum, completum, & proximum.

XXVI. Attamen ſtando in doctrina S. Thomæ ſuperius allatâ: nimirùm, quod per gratiam habitualem, & per auxilia ſufficientia anima ſufficienter ſanetur quantum ad mentem; & per gratiam actualem, ſeu efficacem ſanetur ſolùm quantum ad carnem, ejus motus inordinatos comprimendo: Non video, cur gratia efficax ut ſanans debeat addere voluntati novas vires, ſeu eam roborare quantum ad ea, quę ſe tenent ex parte potentiæ; ſed ſolùm vincere ea, quæ obſiſtunt ne agat, efficaciter eam applicando, & impedimenta, ſeu difficultates, quæ extrinſecę potiùs ſunt, & morales, quàm intrinſecæ, & phyſicæ; ortę, non ex defectu virtutis in parte ſuperiori, ſed ex reſiſtentia partis inferioris, ne quod vellet, actu velit, & quod ageret, actu agat. Quapropter inter gratiam efficacem utriuſque ſtatus naturæ integræ, & corruptæ nullam aliam differentiam puto agnoſcendam; niſi quòd illa applicat voluntatem ad benè agere, nec reſiſtentiam carnis tollat, quia non invenit; iſta verò, quia reſiſtentiam invenit, & applicat, & ſimul reſiſtentiam vincit. Quare S. Auguſtinus illam vocat *latiorem*, iſtam *potentiorem*; non quia iſta vires addat, quas non illa; ſed quia iſta hoſtem vincit, quem invenit, illa non vincit, quia non invenit. Sicut ignis applicatus ligno viridi vincit contrarium, applicatus ligno arido non vincit, quia non invenit. Et ſicuti gratia habitualis primò collata Adamo, & gratia habitualis Adamo poſt peccatum reſtituta ejuſdem ſpeciei fuit: Et tamen, ut primò collata, non ejecit peccatum, quod non invenit, nec ſanavit eum quoad mentem, quia non erat infirma. At ut reſtituta expulit peccatum, quod invenit, & ſanavit mentem, quam corruptam deprehendit. Sic de gratia actuali in utroque ſtatu diſcurro. Ex quo concludo, differentiam gratiæ efficacis in utroque ſtatu ſumi potiùs penes extrinſecum, nempe ſubjectum, quàm penes intrinſecum, ipſam nempè gratię efficacis naturam.

TRACTATUS
DE DIVINA VOLUNTATE,
SEU
DE DEO VOLENTE.

TRactatus iſte, quem de Divina Voluntate, ſeu de Deo volente inſcribimus, ſi quaſi deforis, & in cortice ſpectetur, omnibus patens eſt, & apertus, adeò ut nemo, qui admiſerit Deum eſſe, eum eſſe ſcientem, ac volentem negaverit. Quis enim ambigat, in Deo eſſe voluntatem, cujus voluntate cuncta facta ſunt, reguntur univerſa? Verùm ſi introſpicere, ac penetrare quis conetur, non niſi abdita inacceſſa, latebras caligine plenas, myſteria humanum captum ſuperantia deprehendet; ut niſi fidei lumine identidem confortaretur, meritò timere poſſet, ne viam veritatis amitteret. Quomodo enim conciperet voluntatem divinam immutabilem, ſed liberam; velle omnium ſalutem, ſed etiam aliquorum perditionem; efficacem eſſe, ut ei nullus reſiſtat, & tamen humanam non lædere libertatem? Hæc, ſimiliaque ſunt, quæ terrerent animum, niſi divinæ gratiæ auxilio, cui unicè fidimus, omnia hæc pro viribus nos evaſuros eſſe ſperaremus. Igitur de divina voluntate primò quęremus exiſtentiæ rationem, objectum, & diviſionem. Secundò immutabilitatem, & libertatem. Tertiò cauſalitatem, & efficaciam.

QUÆSTIO I.

De Exiſtentia, Objecto, Diviſione Voluntatis Divinæ.

DUBIUM I.

An efficaciter probet D. Thomas, eſſe in Deo Voluntatem.

§. I.

Quòd in Deo ſit Voluntas.

I. VOluntatis nomine nil aliud venit, quàm pondus, ſeu inclinatio, quâ natura rationalis afficitur, & conjungitur cum bono cognito. Hanc ergo eſſe in Deo fides docet, omnes enim Textus Sacri exiſtentiam voluntatis in Deo nobis oſtendunt. Pſalm. 113. verſ. 3. *Omnia quęcumque voluit fecit*. Iſaiæ 46. v.10. *Omnis voluntas mea fiet*. Matth. 5. v. 10. Chriſtus orare nos docet dicendo: *fiat voluntas tua*. Roman. 9. v. 19. *Voluntati enim ejus quis reſiſtit?* Verùm ne aliquis reponat, voluntatem de Deo propriè non dici, ſed ſolùm per ſimilitudinem noſtri, ad eum modum, quo in ipſo dicitur eſſe ira, & indignatio. Propterea

II. Probatur in Deo eſſe voluntatem propriè talem ſic. Omnis perfectio ſimpliciter ſimplex, ſeu quæ in ſuo conceptu formali nullam eſſentialiter dicit imperfectionem, propriè, hoc eſt ſecundum propriam ſuam formam, ponenda eſt in Deo, ut ſuperiùs

Digitized by Google

riùs *qu. 3. de eſſentia Dei dub. 4. §. 2.* oſtenſum eſt: Sed voluntas eſt huiuſmodi; ergo &c. Min. probatur. Tum quia ſi intelligere verum, eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, & ideò in Deo ſtatuimus intellectum, & ſcientiam ſecundum propriam rationem, ab omni imperfectione, quam habet in creaturis, deſęcatam: cur proſequi bonum, & erga illud aſſici, perfectio ſimpliciter non erit? Eò vel maximè, quòd, ut ſtatim dicemus, voluntas neceſſariò conſequitur ad intellectum? Tum etiam. Si quia Deus eſt infinitè verus, non eſſet perfectus, niſi ſe ipſum intelligeret; cur, cùm ſit infinitè bonus, perfectus eſſet, etſi ſuam bonitatem non amaret, cùm ſicut verum eſt intelligibile, ità bonum amabile ſit?

III. Neque dicas, hanc eſſe conditionem voluntatis, ut moveatur ab objecto ſuo, nempè bono, tanquam à fine; Deus autem, qui eſt primum movens immobile, à nullo moveri poteſt: Dei etiam nullus poteſt eſſe finis, cum ipſe ſit finis omnium.

IV. Nam reſpondeo, conditionem voluntatis eſſe, ut realiter moveatur ab objecto ſuo, & à fine, quando tàm finis ejus, quàm objectum eſt aliquid extra volentem. Si verò objectum, & finis voluntatis ſit intra volentem, imò ſit realiter idem cum volente, movètur ſolùm virtualiter, & ſecundum modum ſignificandi. Cum ergo objectum voluntatis divinæ ſit ſola divina bonitas, & finis ſit ipſe Deus, non movetur à ſuo objecto, & fine, niſi ſolùm virtualiter, & ſecundùm modum ſignificandi; quemadmodum quia ſola divina eſſentia, ut repræſentans divinas veritates eſt illa, quę per ſe movet ad cognitionem ſui, & divinorum, dicitur cauſa divinæ cognitionis ſolùm virtualis. Sic ergo divina bonitas eſt virtualiter finis, & objectum movens divinam voluntatem, quia ſic illi comparatur, ac ſi eſſet finis & movens; & ſi voluntas Dei aliquam cauſam habere poſſet, non aliam haberet, quàm bonitatem ſuam. Eſto enim Deus amet, & velit etiam bonitatem in creaturis repertam, ab hac tamen non dicitur moveri, neque hanc reſpicit tanquam finem, ſed unicè bonitatem ſuam. *Sic igitur* (ait D. Thom. *1. p. qu. 19. art. 2. in corp.*) Deus *vult & ſe eſſe, & alia: ſed ſe, ut finem; alia verò, ut ad finem, in quantùm condecet divinam bonitatem, etiam alia ipſam participare*.

V. Clariſſimè totum hoc expreſſit idem S. Præceptor *qu. 23. de verit. ar. 1. ad 3.* his verbis: *Sciendum eſt autem, quòd voluntas, & volitum aliquando diſtinguuntur ſecundùm rem; & tunc volitum comparatur ad voluntatem, ſicut realiter cauſa finalis. Si autem voluntas, & volitum diſtinguuntur tantùm ratione, tunc volitum non erit cauſa finalis voluntatis, niſi ſecundùm modum ſignificandi. Voluntas ergo divina comparatur ſicut ad finem ad bonitatem ſuam, quæ ſecundùm rem eſt idem, quod ſua voluntas, diſtinguitur autem ſolùm ſecundùm modum ſignificandi. Unde relinquitur, quod voluntatis divinæ nihil ſit cauſa realiter, ſed ſolùm ſecundùm modum ſignificandi. Nec eſt inconveniens, in Deo ſignificari aliquid per modum cauſæ: ſic enim divinitas ſignificatur in Deo, ut habens ſe ad Deum per modum cauſæ formalis*.

§. II.

Ratio quâ D. Thomas probat in Deo Voluntatem.

VI. D. Thomas hàc *1. p. quæſt. 19. art. 1.* & *quæſt. 23. de verit. artic. 1.* probat. In Deo eſſe voluntatem hoc diſcurſu: in Deo eſt intellectus, ut ſupra oſtenſum eſt; ergo in Deo debet eſſe voluntas: omnis enim natura intellectiva volitiva eſſe debet. Conſequentiam explicat S. Doctor ſic. Sicut res naturalis, ut lapis, conſtituitur in eſſe naturali per ſuam formam naturalem; ità natura intelle-

Digitized by Google

ctualis conſtituitur actu intelligens per ſuam formam intelligibilem : ſed res naturalis conſtituta in actu per ſuam formam naturalem, fundat inclinationem naturalem ad bonum conveniens illi, ratione ſuæ formę naturalis; unde ex forma, ſeu naturâ lapidis naſcitur in lapide naturalis inclinatio in centrum, tanquam illi ratione formæ gravitatis conveniens; ergo natura intellectualis cognoſcitiva boni, per formam intelligibilem fundat inclinationem ad bonum cognitum per illam, ut conveniens : ſed inclinatio in bonum, ut cognitum per intellectum, eſt inclinatio non merè naturalis, ſed elicita, quæ eſt voluntas; ergo natura intellectiva boni neceſſe eſt, ut ſit etiam volitiva.

VII. Ex hoc diſcurſu colligitur primò, non poſſe dari naturam intellectivam, quæ volitiva non ſit. Non enim dari poteſt natura, quæ ſit intellectiva entis, & non intellectiva boni convenientis ſibi, quia eſt idem ens, ac bonum, & bonum eſt proprietas entis: ſed natura intellectiva boni convenientis ſibi debet eſſe volitiva illius: cùm enim bonum cognitum ut conveniens ſit excitativum ad ſui amorem, ſicut è contra cognitum, ut diſconveniens, ſit excitativum cognoſcentis ad ſui fugam; neceſſe eſt ut in cognoſcente bonum ſit vis, quâ poſſit à tali bono excitari, & illud proſequi : hæc autem in natura intellectivâ eſt voluntas.

VIII. Colligitur ſecundò, in natura cognoſcitiva priùs eſſe gradum cognoſcitivum, quàm appetitivum, ſeu volitivum. Is enim ordo ſervandus eſt inter gradus, ſeu potentias, qui ſervatur inter objecta, & inter actus: priùs autem eſt objectum eſſe cognoſcibile, & cognitum ut conveniens, quàm eſſe volibile, & volitum; ergo prior etiam eſt vis cognoſcitiva boni, ut convenientis, quàm vis appetitiva illius.

IX. Colligitur tertiò, quòd eſto ad eſſe cognoſcitivum ſequatur eſſe appetitivum, ſeu volitivum, non tamen ad omnem cognitionem ſequitur actualis amor, ſeu volitio rei cognitæ, vel fuga ejus: plura enim cognoſcimus, circa quæ non accendimur, aut amore, aut odio. Ex ea ergo cognitione ſolùm naſcitur amor, vel fuga in appetitu, quæ practicè proponit aliquid, ut conveniens, vel ut diſconveniens cognoſcenti: ſi enim ſpeculativè ſolùm cognoſcam naturam ſanitatis, nec eam conſiderem, ut hìc, & nunc practicè mihi convenientem, & bonam, certè nullus naſcetur in me ſanitatis amor.

§. III.

Quomodo Voluntas in Deo ſit.

X. Obſervo primò, cum D. Thom. 1. *p. quæſt.* 19. laudatâ *artic.* 1. *ad* 2. in Deo non eſſe voluntatem per modum appetitus rationalis, ſicut eſt in nobis, ſed purè per modum voluntatis; Voluntas enim ideò dicitur appetitus rationalis, quia *appetit ea, quæ nondum habet*. Nihil autem vult Deus, quod non perfectiſſimè poſſideat; & ſic non eſt in eo voluntas per modum appetitus. Quia tamen voluntas habet etiam hunc actum, *ut amet quod habet, & delectetur in illo, quantum ad hoc voluntas in Deo ponitur, quę ſemper habet bonum*.

XI. Obſervo ſecundò, cum eodem S. Doctore *quæſt. cit. artic.* 2. *ad* 3. quòd ſicut Deus uno actu omnia intelligit, ità uno actu omnia vult: *Sicut* (inquit) *intelligere divinum eſt unum, quia multa non videt, niſi in uno: ità velle divinum eſt unum, & ſimplex, quia multa non vult, niſi per unum, quod eſt bonitas ſua*.

An verò ponenda ſit in Deo voluntas purè per modum actus, an etiam per modum potentiæ.

XII. Dico pariformiter nos loqui debere quoad hoc de divina voluntate, ac ſuperiùs de divina ſcientiâ *q.* 1. *dub.* 1. §. 4. locuti fuimus. Sicut ergo ibi abſque ullo ſcrupulo diſtinximus

Digitized by Google

mus in Deo tres virtualitates; unam principii radicalis intelligendi, nempe divinam naturam; aliam principii proximi, nempe intellectum; & tertiam actualis intellectionis, licèt hæc tria unum, ac idem realiter ſint, æquivalens tamen tribus, & ideò ſolâ ratione diverſa: ità loquimur de divina voluntate, cui principium radicale volendi aſſignamus divinam naturam; principium proximum, divinam voluntatem; & denique actualem volitionem, quâ Deus actu vult: quæ tria idem realiter ſunt, ſed quia æquivalent tribus, ideò dant fundamentum, ut hæc tria concipiamus in Deo.

DUBIUM II.

Quodnam ſit Divinæ Voluntatis objectum.

§. I.

Deus amat non ſolùm ſe, ſed etiam alia.

I. DEum velle non ſe ipſum ſolùm, ſed etiam alia à ſe oſtendit D. Thomas hâc *qu.* 19. *art.* 2. Hæc enim eſt conditio naturæ volentis, ut non ſolùm tendat ad bonum habendum, cùm illud non habet, & in illo quieſcat, cùm illud habet, ſed etiam, ut velit, bonum, quod in ſe habet, aliis communicare quantùm fieri poteſt: quod in rebus naturalibus patet, in quibus nedum adeſt naturalis inclinatio ad bonum ſibi connaturale acquirendum, cùm illud non habent, & dùm illud habent in eo quaſi quieſcunt, ſed inſuper, ut bonum, quod in ſe habent, aliis communicent: unde videmus, quod omne agens in quantùm eſt in actu, & perfectum facit ſibi ſimile. Cùm ergo Deus ſit in ſe ſummè bonus, ſummè perfectus, & ſummè in actu, ſequitur, ut, nedum ſibi complaceat in ſua bonitate, & eam velit; ſed etiam velit ſuam bonitatem in alia à ſe, ſecundùm quòd capacia ſunt, propagare, & ſic amet alia à ſe. *Sic igitur* (concludit S. D.) *vult, & ſe eſſe, & alia: ſed ſe, ut ſinem: alia verò, ut ad ſinem, in quantùm condecet divinam bonitatem, etiam alia ipſam participare.*

II. Ex qua doctrina ſequitur, Deum amando alia, ab aliis tamen non moveri; quia ut advertit S. Tho. laudato loco ad 2. *tota ratio movendi eſt finis; & hoc eſt quod movet voluntatem...... Unde cum Deus alia à ſe non velit niſi propter finem, qui eſt ſua bonitas, non ſequitur, quod aliquid aliud moveat voluntatem ejus, niſi bonitas ſua.*

III. Obſervandum eſt primò, quòd amor divinus licèt omnia æqualiter amet ex parte actus, & ex parte amantis, non tamen omnia æqualiter amat ex parte rei amatæ, ſeu ex parte boni voliti, & rebus communicati; Quibuſdam enim, nempe melioribus, meliora dona largitur. Sic plus amavit Chriſtum, quàm totam creaturarum univerſitatem, quia ei ſublimius donum communicavit. Cùm enim non neceſſariò amet creaturas, ſed liberè, magis, vel minus amatæ à Deo dicuntur, ſecundùm quod ſibi complacet majus, vel minus bonum illis communicare. Ità D. Thom. 1. *p. quæſt.* 20. *art.* 3.

IV. Obſervandum ſecundò cum eodem S. Thom. *qu. cit. art.* 2. quod *cum amare nihil aliud ſit, quàm velle bonum alicui, manifeſtum eſt, quòd Deus omnia, quæ ſunt, amat, non tamen eo modo, ſicut nos. Quia enim voluntas noſtra non eſt cauſa bonitatis rerum, ſed ab ea movetur, ſicut ab objecto, amor noſter, quo bonum alicui volumus, non eſt cauſa bonitatis ipſius, ſed è converſo bonitas eius, vel vera, vel æſtimata, provocat amorem, quo ei volumus, & bonum conſervari, quod habet, & addi, quod non habet, & ad hoc operamur. Sed amor Dei eſt infundens, & creans bonitatem in rebus.* Hæc D. Tho.

§. II.

De Objecto formali, & motivo Divinæ Voluntatis.

V. EX dictis apparet, cùm Deus amet non ſolùm ſemetipſum, ſed etiam creaturas, inter objecta ſaltem materialia à Deo volita ponenda eſſe, non Deum ſolum, aut divinas perfectiones, ſed etiam creaturas, tùm exiſtentes, tùm futuras, & probabiliter etiam poſſibiles, ut dicemus; imò tùm bona, tùm mala, ità tamen ut non omnia velit, ſed quædam velit, quædam nolit, quædam purè permittat. Quod probatur. Illud eſt objectum materiale divinæ voluntatis, circa quod divina voluntas quomodocumque verſatur: ſed divina voluntas quomodocumque verſatur circa omnia præfata; ergo &c. Min. probatur. Nam divina voluntas verſatur circa Deum, volendo ſe, & ſibi complacendo in ſe, ac ſuis perfectionibus. Verſatur circa bona creata exiſtentia, & futura, volendo, illa, ut exiſtant nunc, hęc, ut exiſtant poſtea. Verſatur circa poſſibilia probabiliter, volendo eorum poſſibilitatem. Verſatur circa mala culpæ, illa prohibendo, quia mala ſunt in ſe, illa verò permittendo, quia in aliquibus illa permittere, bonum eſt: debet enim omnia velle, prout decet Deum illa velle; decet autem Deum circa bona verſari volendo illa poſitivè, circa mala verò ſolùm permiſſivè.

Hæc certa ſunt. Quod in dubium vertitur eſt, quodnam ex præfatis ſit objectum formale movens divinam voluntatem, ſeu quod Deus ità velit, ut ei ſit ratio volendi alia.

VI. Dico igitur. Sola divina eſſentia, & divina bonitas eſt objectum formale motivum divinę voluntatis. Ità expreſsè S. Thomas hic *art. 2. ad 2* & probatur ſic. Illud eſt objectum formale divinæ voluntatis, quod divina voluntas ità vult, ut ſit ei ratio volendi omnia, quæ vult, nolendi omnia, quæ non vult, & permittendi omnia, quæ permittit: atqui ſola divina eſſentia, & bonitas eſt talis ratio, ergo &c. Major explicatur. Ideò enim ſanitas eſt objectum formale movens infirmum ad ſumendam potionem amaram, quia ſanitas eſt tota ratio movendi, & volendi potionem amaram ſumere. Min. verò probatur. In his, quæ ſunt ad finem, tota ratio volendi, & movendi voluntatem eſt finis: ſolus enim finis eſt, qui amatur propter ſe, alia verò, quæ ſunt ad finem, amantur propter bonitatem, quę eſt in fine. Sic ſola ſanitas amatur ab infirmo propter ſe ipſam, potio autem amara non amatur propter ſe ipſam, ſed propter bonitatem ſanitatis, quam per illam conſequi ſperat: ſed divina voluntas verſatur circa ſolam ſuam bonitatem tanquam circa finem, circa alia verò tanquam circa ea, quæ ſunt ad finem; ergo ſola divina bonitas &c. Min. prob. In tantum enim Deus vult creaturas exiſtere, in quantum in earum exiſtentia relucet ſua bonitas; in tantum mala culpæ prohibet, in quantum hæc avertunt à ſua bonitate; in tantum verò illa permittit, in quantum ea permittere aliqualiter conducit ad oſtenſionem ſuæ bonitatis. Hinc ait D. Thomas citatus, quod, *ſicut alia à ſe intelligit intelligendo eſſentiam ſuam, ità alia à ſe vult volendo bonitatem ſuam.*

§. III.

Contraria diluuntur.

VII. OBjici primò poteſt. Deus vult unam creaturam propter aliam; ergo ratio volendi Deo non eſt ſola ſua bonitas, ſed etiam bonitas creata. Antecedens probat. Deus enim, ut infra dicetur vult dare gloriam propter merita.

Reſpondetur ad hęc, & ſimilia, neg. antec. ad prob. diſt. antecedens: ſi

ly *propter* dicat cauſam, & motivum ex parte volentis, nego antec. Si ly *propter* dicat cauſam ex parte rei volitæ, conc. anteced. Deus enim (ait D. Thom. hìc *art. 5.) non propter hoc vult hoc*, ſed *vult, hoc eſſe propter hoc*. Quare non propter merita vult gloriam, quaſi bonitas mediorum ſit alliciens, & movens voluntatem divinam ad volendam gloriam homini, (motivum enim unicum eſt ſua bonitas) ſed Deus vult gloriam dari propter merita, ità ut hæc ſint quidem cauſa gloriæ dandæ, & volitæ, non autem Dei volentis. Nam inquit D. Thom. ibi: *Deus ſicut uno actu omnia in eſſentia ſuâ intelligit; ità uno actu vult omnia in ſua bonitate. Unde, ſicut in Deo intelligere cauſam non eſt cauſa intelligendi effectus, ſed ipſe intelligit effectus in cauſa: ità velle finem non eſt ei cauſa volendi ea, quæ ſunt ad finem, ſed tamen vult, ea quę ſunt ad finem ordinari ad finem. Vult ergo, hoc eſſe propter hoc, ſed non propter hoc vult hoc*.

VIII. Objici poteſt ſecundò. Voluntas Dei, cùm ſit infinita, amare debet omnia eo modo, quo amabilia ſunt: ſed bonitas creata ratione ſui amabilis eſt; ergo &c.

Reſpondeo, quòd, ſicut intellectus divinus licèt debeat cognoſcere omnia eo modo, quo cognoſcibilia ſunt, modo ſe tenente ex parte rei cognitæ; non verò modo ſe tenente ex parte cognoſcentis; quare omnia cognoſcit ſolùm in ſua eſſentiâ, & ratione illius: ſic voluntas divina, debet quidem omnia volibilia velle omni modo, quo ſunt volibilia ex parte rei volitæ, non tamen omni modo quo volibilia ſunt ex parte motivi volendi. Res enim creatas, ut diximus, vult Deus, non tanquam finem, ſed tanquam ea, quæ ſunt ad finem. Sicut ergo quæ amat finem, in omnibus, quę amat propter finem, unicè amat bonitatem finis, quæ eſt illi unica ratio volendi illa: ità Deus, qui amat creaturas, ut ea, quæ ſunt ad finem, nempe ad ſuam bonitatem, in creaturis unicè amat ſuam bonitatem, tanquam rationem volendi, & amandi illas. *Principale volitum* (inquit D. Thom. 1. contrag. c. 74. ratione tertia) *unicuique volenti eſt cauſa volendi. Cùm enim dicimus volo ambulare, ut ſaner, cauſam nos reddere arbitramur: & ſi quæramus, quare vis ſanari? procedetur in aſſignatione cauſarum, quouſque perveniatur ad finem ultimum, qui eſt principale volitum, quod eſt cauſa volendi per ſe ipſum. Si igitur Deus aliquid aliud velit principaliter, quàm ſeipſum, ſequetur, quòd aliquid aliud ſit ei cauſa volendi, ſed ſuum velle eſt ſuum eſſe, ut oſtenſum eſt; ergo aliquid aliud erit ei cauſa eſſendi, quod eſt contra rationem primi entis*.

Adhuc (inquit rat. 4.] *unicuique volenti principale volitum eſt ſuus ultimus finis: nam finis eſt per ſe volitus, & per quem alia fiunt volita: ultimus autem finis eſt ipſe Deus, quia ipſe eſt ſummum bonum, ut oſtenſum eſt: ipſe igitur eſt principale volitum ſuæ voluntatis*. Hæc D. Thomas.

IX. Objicies tertiò. Si Deus omnia amaret propter ſe ipſum, non amaret creaturas amore amicitiæ, ſed ſolùm amaret amore concupiſcentiæ, quæ amat alterum propter ſe: atqui hoc eſt contra D. Thom. qui 2. 2. *qu. 23. artic. 1.* expreſsè admittit amicitiam inter Deum, & Hominem juſtum caritate ornatum. Et colligitur ex illo Joa. 15. v. 14. *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis, quæ ego præcipio vobis*. Et v. 15. *Jam non dicam vos ſervos ..... Vos autem dixi amicos &c.*

Confirm. Si Deus omnia operaretur propter ſe, & non propter nos, parum illi adſtricti, & obligati eſſemus: ideòque falsò caneret Eccleſia: *qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cœlis*.

X. Reſponderi ſolet, ad amorem amicitiæ non requiri, ut ametur amicus propter ipſum ſicut finem ultimum; aliàs amor amicitiæ inter homines eſſet peccatum mortale, ſi conſti-

ſtitueret ultimum finem in amico: ſed ſolum requiritur, ut ametur amicus propter ſe ipſum, ut finem proximum. Sic ergo amatur homo juſtus à Deo propter ſe ipſum, ut finem proximum, non quidem Dei volentis, qui nec proximè poteſt pro fine aliquid creatum habere, ſed ut finis rei volitæ; quatenus vult, creaturam juſtam, quam amat amore amicitiæ, eſſe finem proximum illius boni, quod ipſi vult.

XI. Hinc claritatis gratia diſt. ma. Si amaret creaturas propter ſe ipſum tanquam propter finem amoris divini, & finem boni voliti, non amaret &c. conc. maj. Si amaret propter ſe ipſum, ut finem amoris divini, non verò, ut finem proximum boni voliti, ſed vellet, creaturas eſſe perceptivas totius utilitatis ex bono volito, non amaret &c. nego maj. Ad amorem ergo benevolentiæ abſtractiſſimè ſumtum, non requiritur, ut ſubjectum ametur tanquam finis amoris; ſed ſufficit, ut ametur tanquam finis boni voliti, & ſit perceptivus totius utilitatis ex bono volito, ità ut non ordinetur ulteriùs ad utilitatem alteriùs. Deus autem licèt non amet creaturas rationales, ut finem amoris divini, qui amor eſt ipſe Deus; tamen illas amat ut finem perceptivum totius utilitatis ex bono volito, illas non ordinando ad utilitatem Dei, ſive alterius contradiſtincti ab ipſis. Ex quo patet, amorem divinum erga juſtos eſſe benevolentiæ, non concupiſcentiæ, quia hic amat rem, ut utilem ſibi, vel aliis: Deus autem non amat juſtum, ut utilem ſibi, quia bonorum noſtrorum non indiget, neque ut utilem alteri, quia bonum, quod vult juſto, vult eſſe utilem ipſi. Ex oppoſita ratione creaturas irrationales Deus non amat amore benevolentiæ, quia illas totaliter ordinat in utilitatem rationalium, quæ ab irrationalibus ſunt diſtinctæ, juxta illud Pſalm.8. v.8. *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus, oves, & boves univerſas &c.*

Ità docet S. Thomas citata 2. 2. *qu.* 23. *artic.* 1. dicens: *Non quilibet amor habet rationem amicitię, ſed amor, qui eſt cum benevolentia; quando ſcilicèt ſic amamus aliquem, ut ei bonum velimus: ſi autem rebus amatis non bonum velimus, ſed ipſum earum bonum nobis velimus, ſicut dicimur amare vinum, aut equum, aut aliquid hujuſmodi, non eſt amor amicitiæ, ſed cujuſdam concupiſcentiæ. Ridiculum enim eſt dicere, quod aliquis habet amicitiam ad vinum, vel ad equum &c.*

XII. Ad Confirm. nego anteced. Imò maximè Deo debemus, quia cum nihil in nobis ſit, quod divinum amorem poſſit allicere, ſuâ merâ liberalitate tot nobis bona confert in ordine gratiæ propter nos; non quidem ut finem ſui amoris, ſed ut finem proximum boni, quod nobis vult, & quod unicè in noſtram ordinat utilitatem, ſicut in noſtram utilitatem direxit maximum Incarnationis beneficium.

§. IV.

An objectum formale Divinæ Voluntatis ſit bonitas ſolius Eſſentię Divinæ.

XIII. Dico. Quòd ſicut ſupra in tractatu de Scientia *quæſt. 2. dub. 2. §. 1.* poſuimus pro objecto formali divini intellectus, non ſolam veritatem eſſentię divinæ, ſed veritatem divinam, ut comprehendentem omnia divina prædicata: ità in præſenti pro objecto formali voluntatis divinæ ſtatuimus, non ſolam bonitatem divinæ eſſentiæ, ſed bonitatem divinam comprehendentem omnes divinas perfectiones. Omnes enim divinæ perfectiones non magis ſunt unius indiviſibilis veritatis, & intelligibilitatis, quàm ſunt unius indiviſibilis infinitæ bonitatis, & amabilitatis; ergo omnes concurrunt æqualiter ad conſtituendum unam rationem formalem motivam, & quaſi ſpecificativam divinæ voluntatis.

Urgeo ſic. Divina bonitas movet divinam voluntatem prout eſt in re: ſed in re non ſolùm eſt eſſentia, ſed

omnia

Digitized by Google

omnia divina; ergo movet non ſolùm prout eſt eſsentia, ſed pro ut eſt omnia divina.

XIV. Hinc non valet ſi dicas: Deus eo ordine amat bona divina, quo ipſa habent bonitatem in ſe: ſed ſola eſſentia divina habet bonitatem à ſe, attributa autem bonitatem ſuam habent ab eſſentia; ergo &c.

Reſpondeo enim, negando abſolutè Min. Deus enim amat bonitatem ſuam pro ut in ſe realiter eſt; in ſe autem realiter æqualiter eſt in omnibus divinis prędicatis. Quòd enim priùs in eſſentia ſit, quàm in aliis divinis perfectionibus, ex noſtro modo concipiendi, & ſignificandi unicè ortum habet.

Vel claritatis gratia diſt. Min. habent ab eſſentia, quæ tamen ejuſdem omnino rationis eſt cum bonitate eſſentię, conc. Min. aliter, nego Min. Cùm ergo bonitas aliorum divinorum ſit ejuſdem omnino rationis, imò eadem ipſiſſima bonitas, quæ eſt in eſſentia; Si, ut in eſſentia, eſt objectum formale divinæ voluntatis, cur non erit etiam, ut in aliis divinis prædicatis?

XV. Si iterum dicas: ſaltem non intellectis relationibus divinis intelligitur completa tota bonitas divina, quia divinæ relationes, in probabili ſententia, ſecundùm proprium relativi non addunt peculiarem perfectionem; ergo ſaltem divinæ relationes non pertinebunt ad objectum formale divinæ voluntatis.

Reſpondeo, negando abſolutè antecedens. Ad probat. ibi implicitam dico, quòd dato, divinas relationes ſecundum ſibi propria non dicere perfectionem formaliter, eam tamen, & quidem maximam, dicunt connexivè; nimirùm fęcunditatem, & communicationem ad intra, quæ infinitam perfectionem dicit. Cumque hæc non ſit ſignabilis ſine relationibus, propterea tota divina perfectio & bonitas ſignari, & intelligi non poteſt, quin ſignentur, & intelligantur divinæ Perſonæ, & relationes.

DUBIUM III.

An Deus amet omnes Creaturas.

§. I.

De Creaturis præſentibus, præteritis, & futuris.

INter creaturas, aliquæ non ampliùs ſunt, ſed fuerunt; aliquæ nondum ſunt, ſed erunt; aliquæ modò ſunt; aliquæ tandem nec ſunt, nec fuerunt, nec erunt, ſed poſſibiles ſunt, ſeu poſſunt eſſe.

I. Quod Deus amet creaturas, quæ ſunt, extra dubium eſt. Nam Sap. 11. v. 25. dicitur *diligis enim omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorum, quæ feciſti*: & v. 27. *Domine, qui amas animas*, & Jo. 3. v. 16. *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret.* Ratio autem evidens eſt. Nam omne bonum, quod in creatura eſt, eſt effectus amoris divini, qui cauſat bonitatem in iis, quos amat: ſed in creaturis exiſtentibus adeſt bonitas, nempe exiſtentia, & omnes aliæ perfectiones; ergo effectus ſunt divini amoris erga illas.

II. Circa creaturas verò, quæ non ſunt actu, ſed fuerunt, vel erunt: Certum quoque eſt, has actu, & de facto amari à Deo. Amare enim Dei eſt velle bonum: ſed Deus ab æterno voluit bonum creaturis, tùm præteritis tùm futuris; voluit enim eis, ut eſſent, vel pro tempore præterito, vel futuro; ergo &c.

Licèt autem (ait D. Tho. 1. p. quæſt. 20. art. 2. ad 2.) *creaturæ ab ęterno non fuerint, niſi in Deo; tamen per hoc, quòd ab æterno in Deo fuerunt, ab æterno Deus cognovit res in propriis naturis, & eâdem ratione amavit.* Sic & modò eas amat, quia eſto non ſint præſentes in propria duratione, omnes tamen, & quæ nobis ſunt præteritæ, & futuræ, Deo præſentes ſunt in æternitate, ut dictum eſt ſupra.

Digitized by Google

III. Neque dicas, quòd, ſicut creatio non poteſt referri, niſi ad præſens, non enim Deus creans eſt, niſi præſentia, ita neque amor referri poterit, niſi ad præſentia, nec Deus dicendus erit amans, niſi præſentia.

IV. Nam reſpondetur ex D. Thoma 1. *contragentes cap.* 79. non eſſe ſimile de relatione Volentis ad volitum, & Creantis ad creatum, Facientis ad factum, aut Domini ad ſubjectam creaturam. Nam velle eſt actio in volente manens, quâ non eſt neceſſe, ut producatur aliquid in materiam exteriorem. Unde ejus terminus non debet eſſe aliquid exiſtens actu extra: actu enim volumus infirmo ſanitatem, eſto ſanitas in infirmo actu non ſit. Sed creare, facere, gubernare ſignificant actionem terminatam ad exteriorem effectum, ſine cujus exiſtentia hujuſmodi actiones non poſſunt intelligi.

V. Difficultas ergo eſt de creaturis, quæ nec ſunt, nec fuerunt, nec erunt, ſed poſſunt eſſe; an ſcilicet & iſtæ aliquo modo à Deo amentur. Pro quo duplicem poſſumus in Deo concipere amorem; unum abſolutum, efficacem, & fæcundum, quo nempe Deus abſolutè, & efficaciter bonum vult, & cauſat in creatura. Alterum inefficacem, & ſimplicis complacentiæ, quo nimirùm ſibi complacet de aliqua bonitate; nil tamen ſaltem efficaciter decernit circa ejus exiſtentiam in re ponendam: ſicut ſi ego, conſiderando ſanitatem eſſe ſecundùm ſe bonam, mihi de ea complacerem, nihil tamen determinando, ut eam mihi, vel aliis procurarem.

VI. Hac in re communior apud Noſtrates ſententia negativa videtur, qui tamen in aſſignanda cauſâ diviſi ſunt. Nam aliqui, ideò negant, poſſibilia à Deo amari, quoniam omnis prorſùs actualis bonitatis expertes putant; ita Salmanticenſes, & alii. Aliqui verò, etiam eis conceſſâ aliquâ bonitatis ſpecie, adhuc amari à Deo negant, ut Godoij, Gonet &c. Alii verò aliquo amore ſaltem complacentiæ creaturas poſſibiles à Deo diligi, non improbabilitèr autumant. Pro hac opinione citatur Cajetanus in 1. *part. quæſt.* 34. *art.* 3. quem ſecutus eſt Serra *quæſt.* 20. 1. *part. art.* 2. Bancel de Volunt. Dei. *quæſt.* 5. *art.* 1. §. 1. & ex Societate communiter, imò & Scotiſtæ, ac in D. Thoma utraque opinio fundamentum habet.

§. II.

De amore Dei erga poſſibilia.

VII. Dico primò. Deus non amat creaturas poſſibiles amore efficaci, & effectivo. Certa eſt hæc aſſertio. Nam amor efficax, & effectivus Dei pro aliquo tempore bonum cauſat in re, quam amat: ſed Deus nullum pro quovis tempore vult creaturis poſſibilibus bonum conferre, & in eis cauſare, Cùm illis nolit pro ullo tempore dare eſſe, quod totius bonitatis eſt fundamentum; ergo &c.

VIII. Dico ſecundò. Probabile eſt, Deum creaturas poſſibiles amare amore aliquo conditionato, inefficaci, & ſimplicis complacentiæ. Indicat hoc Sanctus Thomas 1. Contragentes cap. 84. ubi probans voluntatem Dei impoſſibilium eſſe non poſſe, diſcurrit ſic, ratione quartâ *Secundùm quòd unumquodque ſe habet ad eſſe: ita ſe habet ad bonitatem: ſed impoſſibilia ſunt, quæ non poſſunt eſſe, ergo non poſſunt eſſe bona: ergo nec volita à Deo, qui non vult, niſi ea, quæ ſunt, vel poſſunt eſſe bona*: ſed creaturæ poſſibiles poſſunt eſſe bonæ, quia poſſunt eſſe: ergo eâ ratione, quâ negatur divina voluntas circa impoſſibilia, quia non poſſunt eſſe, nec eſſe bona, debebit affirmari circa poſſibilia, quia cum poſſint eſse, poſsunt eſse bona.

IX. Secundò probatur. Ut aliquid ſit objectum ſimplicis complacentiæ, non requiritur, ut ſit exercitè bonum, ſic enim eſſet objectum amoris effi-

Digitized by Google

efficacis, ſed ſufficit, ut in eo concipiatur aliquid, quod ſecundùm ſe, & ex ſua naturâ bonum ſit: ſed potentia, ſeu capacitas ad eſſe eſt aliquid, quod ſecundùm ſe, & ex natura ſuâ bonum eſt, ergo eſt ſufficiens, ut terminet ſimplicem complacentiam. Min. probatur. Tum quia ratione talis capacitatis eſſendi participant poſſibilia naturam entis, ergo etiam naturam boni, quia bonum eſt proprietas entis. Tum quia ratione talis capacitatis fiunt terminus divinæ Omnipotentiæ; ergo fiunt participes alicujus bonitatis, ſignatè quidem, non exercitè. Cur ergo Deus, qui infinitè amat ſuam Omnipotentiam, non ſibi complacebit in termino illius, ſine quo (etſi ſolùm à poſteriori) ſua Omnipotentia non ſubſiſteret? Cur Omnipotentia eſt amabilis, & terminus ejus amabilitate carebit? Certè qui neceſſariò vult finem, vult ea, quæ ſunt ad finem, ſine quibus finis eſſe non poteſt, ut docet idem S. Thomas hac. *q.* 19. *a.* 3.

X. Tertiò probatur. Sicut Mundus poſſibilis nullam habet, nec habiturus eſt exiſtentiam, ita nec ſalus omnium hominum, ſtante reprobatione aliquorum: hæc enim nunquam futura eſt ſaltem abſolutè, & tamen Deus vult omnium hominum ſalutem, ſecundum illud 1. ad Timoth. 2. v. 4. *Qui omnes homines vult ſalvos fieri;* & hoc ideò, quia omnes homines ſalvos eſſe, ſecundùm ſe bonum eſt; ergo pariter alterum mundum velle poteſt Deus, quia alterum mundum eſſe, ſecundùm ſe bonum eſt.

XI. Confirmatur. Salus omnium hominum eſt objectum voluntatis antecedentis: ſed objectum voluntatis antecedentis eſt res merè poſſibilis: ergo &c. min. probatur. Ut infra dicemus, objectum voluntatis antecedentis eſt res ſecundùm ſe, & ſecundùm ſuam naturam, pro ut præſcindit ab omnibus circumſtantiis, quibus ponenda eſt in re. In tantùm enim Deus vult omnium hominum ſalutem, in quantùm præciſis omnibus circumſtantiis, omnium hominum ſalus ſecundùm ſe bona eſt: atqui res ſecundùm ſe conſiderata, & præciſis circumſtantiis, quibus ponenda eſt in re, eſt res, non ut præſens, neque ut futura, ſed ſecundùm ſua prædicata eſſentialia, ac ut merè poſſibilis; ergo &c.

Si dicas, omnium hominum ſalutem eſſe futuram ſaltem remotè, & conditionatè in auxiliis ſufficientibus, quæ Deus omnibus confert.

XII. Contra eſt primò. Nam auxilium ſufficiens dat homini ſolùm poſſe ſalvari quantum ex vi illius eſt, non verò actu ſalvari; ergo illi reddit ſalutem ſuam merè poſſibilem.

Secundò. Si ſalus omnium hominum ideò eſt amabilis à Deò, quia illam omnibus vult ſaltem ſub conditione, cùm etiam poſſibilibus poſſit velle bonum, & exiſtentiam ſub conditione; ergo & iſta aliquomodo amare poteſt. Cur enim non potuit Deus circa homines poſſibiles habere decretum conditionatum illos creandi, & beatificandi? ergo cur iſtos amare non poterit aliquo amore ſaltem conditionato?

§. III.

Contrariis fit ſatis.

XIII. Primò objicitur contra ſecundam Concluſionem D. Thomas, qui *q.* 20. *hujus* 1. *p. a.* 2. ait, Deum amare creaturas, *quia eis vult bonum: bonum autem, quod eis vult, cauſat in eis:* ſed in poſſibilibus nullum bonum vult, quia nullum bonum cauſat; ergo &c.

XIV. Reſpondeo, D. Thom. ibi loqui de amore efficaci, quo amat creaturas exiſtentes; unde concludit; *Manifeſtum eſt, quod Deus omnia, quæ ſunt, amat*, non de amore ſimplicis complacentiæ, quo dicimus amare creaturas poſſibiles. Hoc enim amore omnes creaturas abſque ulla exceptio-

Digitized by Google

ne amari à Deo indicavit S. Doctor part. 1. quæſt. 37. art. 2. ad tertium his Verbis: *Sicut Pater dicit ſe, & omnem creaturam Verbo, quod genuit, inquantùm Verbum genitum ſufficienter repræſentat Patrem, & omnem creaturam; ità diligit ſe, & omnem creaturam Spiritu Sancto, inquantum Spiritus Sanctus procedit ut amor bonitatis primæ, ſecundùm quam amat ſe, & omnem creaturam.* Tunc ſic. Sed per Verbum repræſentatur omnis creatura etiam poſſibilis, & Verbum procedit ex cognitione omnium creaturarum etiam poſſibilium; ergo per Spiritum Sanctum diligit Pater omnem creaturam etiam poſſibilem,& ex amore etiam iſtarum Spiritus Sanctus procedit.

Neque dicas, mentem S. Thomæ eſſe, quòd Spiritus Sanctus procedat ex amore omnis creaturæ, quæ tamen amabilis ſit, creatura autèm poſſibilis ut talis amabilis non eſt. Non inquam; oſtenſum eſt enim, creaturam poſſibilem amabilem ſuo modo eſſe, & ex eodem D. Thoma confirmatum dicente 1. Contragentes cap. 84. Deum non velle niſi ea, *quæ ſunt, vel poſſunt eſſe bona*: poſſe enim eſſe bonum bonitate exercitâ quædam ſpecies bonitatis, & amabilitatis eſt.

XV. Secundò Objicitur idem S. Thomas hac *quæſt.* 19. *art.* 3. ubi univerſaliter dicit, Deum aliæ à ſe non neceſſariò velle, ſed liberè: Sed creaturas poſſibiles neceſſariò amaret, ſi eas amaret, quia amaret eas amore antevertente omne divinum decretum liberum; cum ante omne decretum liberum poſſibiles ſint, & amaret eodem amore, quo amat ſuam Omnipotentiam, & ex vi connexionis, quâ cum iſta connectuntur, quæ neceſſaria eſt; ergo &c.

XVI. Reſpondeo. S. Thomam ibi loqui de voluntate efficaci, quâ diligit creaturas exiſtentes, ſivè futuras, quibus vult eſse, & bonitatem exercitam communicare, has enim profectò diligit amore non neceſsario, ſed libero; & rationem dat, quia divina ejus bonitas non connectitur cum earum exiſtentia, poteſt enim eſse, quin illa ſint. Non autem loquitur de amore ſimplicis complacentiæ, quâ dicimus diligere creaturas poſſibiles; hic enim neceſsarius eſse debet; cum eodem actu, quo diligit ſuam Omnipotentiam, qui neceſsarius eſt, diligat etiam creaturas poſſibiles, quæ ſunt terminus ejus, & ſine quibus ſua Omnipotentia non poteſt eſſe.

XVII. Sed dices: Si Deus vellet creaturas poſſibiles amore neceſſario, aut talis amor eſſet neceſſarius quoad ſpecificationem tantùm, aut etiam quoad exercitium: ſed non poteſt eſſe neceſſarius quoad ſpecificationem, quia potentia non poteſt ſic neceſſitari, niſi à ſuo objecto adæquato; creaturæ autem poſſibiles etiam collectivè ſumtæ non ſunt objectum adæquatum divinæ voluntatis. Neque quoad exercitium, quia voluntas divina nequit quoad exercitium neceſſitari, niſi à bonitate per eſſentiam, qualis non eſt bonitas poſſibilium.

XVIII. Reſpondetur, amorem, quo Deus amat creaturas poſſibiles eſſe neceſſarium, tam quoad ſpecificationem, quàm quoad exercitium; hujuſmodi autem neceſſitas non ſumitur à creaturis, ſed à divina bonitate, quæ neceſſariam dicit habitudinem ad creaturas poſſibiles, quibus eſt communicabilis. Sicut enim cognitio, vel ſcientia, quâ Deus eaſdem creaturas cognoſcit, eandem habet neceſſitatem; non ab ipſis creaturis, ſed à divina eſſentia, quæ, cum neceſſariam dicat habitudinem ad illas, non poteſt adæquatè cognoſci, & comprehendi, quin cognoſcantur poſſibilia: ſic neque poterit divina bonitas amari amore adæquato, & comprehenſivo, quin amentur omnia, quibus neceſſariò eſt communicabilis. Hinc quidquid hac in re objiciunt adverſarii de amore divino, inſtari poteſt, & in ipſos retorqueri ex iis, quæ docent de ſcientia poſſibilium.

XIX. Quæres an voluntas Divina ver-

verſetur circa impoſſibilia?

Reſpondetur. Cum D. Thoma 1. Contra gentes cap. 84. negativè; & probatur primò. Nam Deus volendo ſuum eſſe, vult omnia alia, in quantùm habent ejus ſimilitudinem in participanda ratione entis; ergo non poteſt Deus velle id, quod eſſentialiter repugnat rationi entis: ſed impoſſibilia, puta eſſe, & non eſſe repugnant rationi entis; repugnat enim, quod ſit ens, & quod ſit, & non ſit; ergo &c.

Secundò. Voluntas non eſt circa illud, quod non poteſt intelligi; quia quod non cadit in intellectu, non cadit in voluntate: ſed ea, quæ ſunt ſecundùm ſe impoſſibilia, non cadunt in intellectu; quod enim homo rationalis ſit, & irrationalis, non poteſt cadere in intellectu, niſi fortè per errorem non intelligentis rerum eſſentias, quod de Deo dici non poteſt: ergo &c.

Tertiò. Secundùm quòd res ſe habet ad eſſe, ſe habet ad bonitatem: ſed impoſſibilia ſunt, quæ non poſſunt eſſe; ergo nec poſſunt eſſe bona; ergo nec volita à Deo. Niſi fortè dicatur, quòd ſicut Deus volens ſe ipſum, vult neceſſariò poſſibilia eſſe poſſibilia, ita velit impoſſibilia eſſe impoſſibilia, ſeu ea nolit; quia ſicut poſſibilia participant divinam bonitatem, ita impoſſibilia ab ea recedunt.

DUBIUM IV.

De variis divinæ Voluntatis diviſionibus.

§. I.

Quæſiti reſolutio.

Quamvis voluntas divina realiter una ſit, imò unico actu omnia velit, tamen ex rebus volitis multiplicem colligunt Theologi in Deo voluntatem.

I. Primò ergo dividitur voluntas divina in voluntatem ſigni, & beneplaciti. Secundò in voluntatem neceſſariam, & liberam. Tertiò in abſolutam, & conditionatam. Quartò in antecedentem, & conſequentem. Quintò in efficacem, & inefficacem.

II. Voluntas beneplaciti eſt actus, quo Deus verè, & propriè vult aliquid, tamquam ſibi placens, de qua Paulus Roman. 12. v. 2. ait: *ut probetis, quæ ſit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta.* Voluntas verò ſigni eſt effectus exterior, quo ſignificat Deus, ſe aliquod velle, ſeù quo ſuam voluntatem manifeſtat. Voluntas beneplaciti eſt voluntas propriè talis; Voluntas verò ſigni eſt voluntas metaphoricè, ſeu ſignum voluntatis. Sicut enim, cùm aliquis præcipit aliquid, ſignum eſt, quòd velit, illud fieri; ita cum Deus aliquid præcipit, tale præceptum vocamus Dei voluntatem, ſecundùm illud Matth. 6. v. 10. *fiat Voluntas tua, ſicut in Cœlo, & in Terra.* hæc D. Tho. hac *quæſt. 9. art. 11.*

III. Quinque autem ex eodem ib art. 12. ſunt ſigna voluntatis divinæ, nempe Præceptum, prohibitio, permiſſio, conſilium, & operatio. Unde Verſus.

Præcipit, ac prohibet, permittit, conſulit, implet.

Quinque enim modis conſuevimus ſignificare, nos aliquid velle, aut noſtram manifeſtare voluntatem. Aliquando enim eam declaramus per nos, aliquando per alios. Si per nos, vel directè, ut cùm per nos aliquid operamur, tunc enim declaramus, nos, velle id, quod facimus, & quantum ad hoc inter ſigna voluntatis ponitur *operatio.*

Vel indirectè, ſeù per accidens, non impediendo, ſeu ſinendo fieri operationem; & quantum ad hoc voluntatis ſignum dicitur *permiſſio*: quod enim poſſumus impedire, ne fiat, & permittimus, ſeu ſinimus, ut fiat, illud nos velle dicimur.

Si verò per alium declaramus nos aliquid velle, nempe alium ad faciendum aliquid ordinando; Vel id decla-

claramus neceſſariò inducendo alium, præcipiendo ei, quod volumus: & ſic ſignum voluntatis erit *præceptum*; aut prohibendo id, quod non volumus, & ſic ſignum voluntatis erit *prohibitio.* Vel illum inducimus ſolâ ſuaſione, & ſic ſignum, nos illud velle, erit *conſilium*.

Quædam ex hiſce ſignis verſantur circa mala, ut prohibitio, & permiſſio; quædam circa bona, ut operatio, & præceptum. Conſilium verò circa perfectum, vel optimum.

IV. Quod verò quinque ſint ſigna ad dignoſcendam voluntatem Dei, probatur. Tot enim ſunt ſigna voluntatis Dei, quot ſunt ſigna, quibus judicamus, Deum aliquid velle: ſed hæc ſunt quinque ſupra explicata: Tot enim ſunt ſigna, quibus judicamus, Deum aliquid velle, quot ſunt ſigna, quibus judicamus, creaturam, puta hominem, aliquid velle; nam hìc Deum apprehendimus ad modum noſtrum. Sicut quia videmus homines, cum puniunt eſſe iratos, ita cum videmus, Deum punire peccatorem, dicimus, Deum eſſe illi iratum: atqui ſunt quinque ſpecies ſignorum, quibus judicamus, hominem aliquid velle, aut nolle; velle quidem cum præcipit, aut ſuadet; aut permittit, aut operatur; nolle verò, cum prohibet; ergo &c.

Quodlibet ex his ſignis ſemper aliquomodo indicat voluntatem Dei: non tamen ſemper talem, qualem exiſtimamus. Nam v. g. præceptum, quod Deus fecit Abrahæ, ut immolaret filium ſuum, Abraham putabat eſſe ſignum, quòd Deus vellet filii ſui mactationem, cùm tamen revera ſignificaret, Deum velle Abrahæ obedientiam. Similiter permiſſio peccati ſignificat voluntatem Dei, non quâ velit peccatum, ut falsò putant hæretici recentiores, ſed quâ velit bonum ex peccato. Qui plura de hac voluntate beneplaciti, & ſigni deſiderat, adeat D. Thomam hac *quæſt.* 19. *art.* 11. & 12. & *quæſt.* 23. *de veritate art.* 3.

V. Voluntas divina neceſſaria dicitur, quæ ita diligit, ut non poſſit non diligere; & hoc modo Deus diligit ſeipſum. Dicitur autem libera quatenus ita diligit, ut poſſit non diligere; & hoc modo diligit Deus creaturas exiſtentes.

VI. Rursùs divina voluntas dici poteſt neceſſaria, & quoad ſpecificationem, & quoad exercitium. Primò modo; dicitur neceſſaria, quando licèt poſſit ceſſare ab actu, tamen ſi velit illum habere, debet eſſe actus talis ſpeciei, puta amoris, non odii. Secundo autem modo neceſſitatur, quando ſic neceſſitatur ad habendum actum, ut ab exercitio ceſſare non poſſit.

VII. Dupliciter autem contingere poteſt hæc neceſſitas: uno modo abſolutè, alio modo ſolùm ex ſuppoſitione. Tunc eſt neceſſitas abſoluta, quando nullâ factâ ſuppoſitione voluntas eſt obligata ad actum; & hoc modo neceſſitatur Deus ad amandum ſeipſum. Tunc verò eſt neceſſitas ſolùm ex ſuppoſitione, quando, eſto voluntas abſolutè non obligetur, factâ tamen aliquâ ſuppoſitione obligatur ad actum; & ſic Deus ex ſuppoſitione quòd ab æterno amaverit creaturas, quas voluit producere, eas amare tenetur; quia eſto abſolutè eas amore efficaci non amare potuiſſet, Deus enim illis non indiget; ſuppoſito tamen, quòd illas amare voluerit, cùm ſit immutabilis, non poteſt eas non amare; hæc tamen neceſſitas non oritur ex creaturis, aut ex earum bonitate, ſed ab ipſo Deo, à ſua nimirùm immutabilitate: ſicut dum aliquis ſtatuit, aut promiſit, tenetur illud implere in creatura, debito uon orto ex aliquo jure à creatura acquiſito; ſed ex Deo & ſua fidelitate: Nec *propter hoc, quòd Deus creaturæ obligetur, ſed potiùs in quantum Creatura debet ſubiici Deo, ut in ea divina ordinatio impleatur,* ut docet D. T. 1. 2. *quæſt.* 111. *art.* 1. *ad* 2.

VIII. De voluntate abſoluta, & conditionata dictum eſt in Tractatu

de

Digitized by Google

de Scientia Dei, loquendo de decretis abſolutis, & conditionatis, præſertim *quæſt. 6. dub. 2. §. 1.* Modò breviter dico, voluntatem Dei dici abſolutam, quâ Deus vult aliquid abſolutè fieri. Dici autem conditionatam, quando vult aliquid fieri ſolum poſitâ conditione ſe tenente ex parte objecti, non ex parte ſubjecti, nempe Dei. Omnis enim voluntas Dei ex parte Dei abſoluta eſt, quamvis quædam ſit conditionata ex parte objecti, quia eſt de objecto ſolùm conditionatè, ſeù dependenter à conditione ponendo; quæ ſi ponatur, de conditionatè futuro tranſit in futurum abſolutè; Si verò non ponatur, remanet in ſtatu purè conditionato.

§. II.

De voluntate antecedente, & conſequente.

IX. IN admittenda celebri diviſione divinæ voluntatis in antecedentem, & conſequentem, Theologi cujuſcumque Scholæ Catholicæ conveniunt; in modo tamen explicandi, in quo conſiſtat, voluntatem eſſe antecedentem, aut conſequentem, diſſentiunt.

X. Qui enim ſcientiam mediam in Deo ſtatuunt, volunt, eam diviſionem ſumi ex vario reſpectu, quem habet divina voluntas ad humanam; unde voluntatem Dei dicunt eſſe antecedentem, quatenus intelligitur præcedere humanæ voluntatis conſenſum; eſſe verò conſequentem, quatenùs intelligitur eundem conſenſum ſupponere, eumque conſequi. Hanc interpretationem excogitarunt, ut declinent argumentum, quod ex hac diviſione petitur adversus eorum ſiſtema de Prædeſtinatione, & Gratiâ. Si enim voluntas conſequens in prioritate naturæ antecedat futurum humanæ voluntatis conſenſum, ac ſemper impleatur, ut docet D. Thomas hâc *quæſt. 19. art. 6. ad 1.* Voluntas Dei erit per ſe efficax, & non dependens à præviſione liberi conſenſus voluntatis creatæ; & erit pariter in Deo voluntas efficax, & abſoluta ſalvandi aliquos homines independenter à præviſione meritorum; & conſequenter prædeſtinatio non ſolùm ad gratiam, ſed etiam ad gloriam erit gratuita, quod Authores præcitati, conſtanter negant.

XI. Qui autem ſcientiam mediam à Deo ablegant, unanimi conſenſu docent, diviſionem, de qua hìc agitur, non peti ex reſpectu, quem Dei voluntas dicat ad non præviſum, aut præviſum creatæ voluntatis conſenſum, ſed ex diverſo ſtatu, in quo res volita poteſt conſiderari. Poteſt autem conſiderari, vel ſecundùm ſe, hoc eſt abſtrahendo à circumſtantiis, quibus in re exiſtit; vel ut involvens circumſtantias, quibus ut in re poſita efficitur. Si primo modo ſpectetur, eſt objectum voluntatis antecedentis: Si verò ſecundo, eſt objectum voluntatis conſequentis. Ut ergo mentem noſtram aperiamus.

XII. Dico primò. Voluntas Dei non dicitur antecedens ex eo, quòd antecedat præviſum conſenſum, quem creata voluntas eſt, vel non eſt præſtitura gratiæ excitanti. Nec dicitur conſequens ex eo, quòd ſupponat prævium, ac præviſum ejuſdem voluntatis conſenſum. Probatur. Omnis Dei voluntas antecedit humanæ voluutatis conſenſum, ergo malè explicatur voluntas Dei antecedens, quòd antecedat, & conſequens, quòd ſubſequatur creatæ voluntatis conſenſum. anteced. quoad voluntatem antecedentem, & ipſi Mediiſtæ fatentur. Quoad voluntatem verò conſequentem probabitur inferiùs, ubi oſtendemus, voluntatem Dei eſſe de ſe efficacem, & prævenire ut cauſam, liberum conſenſum noſtrum. Tum etiam, quia Prædeſtinatio includit voluntatem conſequentem dandi gloriam: unde D. Thomas in *1. ad Annibald. diſt. 26. q. unicâ a. 2. ad 1. Prædeſtinatio* [inquit] *includit voluntatem ſalutis, non ſo-*

Digitized by Google

ſolùm antecedentem, *ſed etiam conſequentem*. Sed Prædeſtinatio, ut infra oſtendemus, & non pauci ex Societate admittunt, antecedit prævisionem meritorum, & illa infert; ergo, &c.

Et confirmatur. Nam voluntas, quâ Deus vult, aliquos perſeverare finaliter, antecedit noſtrum conſenſum, cùm non poſſit cadere ſub merito: & tamen hujuſmodi voluntas eſt conſequens, cùm ſit ſpecialis prædeſtinatis: voluntas autem antecedens ſit prædeſtinatis, & reprobis communis; ergo, &c.

XIII. At dices: Damaſcenus *lib. 2. de fide c. 29.* indicare videtur, antecedentem Dei voluntatem eſſe illam, quæ non præſupponit operationem creaturæ, conſequentem verò eſſe eam, quæ operationem creaturæ ſupponit: ait enim: *antecedens eſt acceptio Dei in ipſo exiſtens, & conſequens eſt conceſſio ex cauſa noſtra*. Quod idem docet D. Thom. *in 1. diſt. 46. q. un. a. 1.* dicens *voluntas conſequens præſupponit præſcientiam operum*.

XIV. Reſpondetur, diſt. ant. voluntas conſequens, quæ eſt actus juſtitiæ, præſupponit &c. co. ant. voluntas conſequens, quæ eſt actus miſericordiæ, de qua hìc agimus, nego ant. De prima ergo voluntate agunt Damaſcenus, & D. Thomas. Damaſcenus quidem, quia ante præmiſerat: *Peccantes porrò puniri* [Deus] *vult, quia juſtus eſt*, & exponens quænam ſit hæc cauſa noſtra, ait: *ad abſolutam, ut diximus, pœnam pertinens*. D. Thomas autem; quia ibi loquitur de nolente, & reſiſtente gratiæ divinæ, *nolentem verò, & reſiſtentem non eſt bonum ſalvari, quia injuſtum eſt*. Et meritò, quia voluntas conſequens juſtitiam punitivam exercens, ſupponit culpam, & ex vitio noſtro ortum ducit; juxta illud Tertulliani, *Deus de ſuo miſericors, de noſtro juſtus*. Addo, D. Tho. laudatum non velle, opera prævisa eſſe cauſam, ut Deus voluntate conſequente aliquid velit, ſed eſſe cauſam rei volitæ, ideſt ut res volita ponatur, ſubdit enim: *non tanquam cauſam voluntatis, ſed tanquam rationem voliti*.

XV. Dico ſecundò. Diviſio voluntatis in antecedentem, & conſequentem ſumitur ex diverſo ſtatu, in quo objectum aliquod poteſt conſiderari: ita ut antecedens ſit ea, quæ verſatur circa objectum, ut eſt in ſpecie ſua, ſeu ut abſtractum, & præciſum ab omnibus circumſtantiis particularibus, in quibus in individuo, & à parte rei reperitur: Conſequens verò ſit ea, quæ verſatur circa objectum, non ſolùm, ut in ſpecie conſideratum: ſed in individuo, ſeu cum omnibus circumſtantiis, quibus in individuo à parte rei exiſtit. *Unumquodque* enim [*ait D. Tho. 1. p. q. 19. a. 6. ad 1.*] *Secundùm quòd bonum eſt, ſic eſt volitum à Deo. Aliquid autem poteſt eſſe in prima ſui conſideratione, ſecundùm quòd abſolutè conſideratur, bonum, vel malum, quòd tamen pro ut cum aliquo adjuncto conſideratur, quæ eſt conſequens conſideratio ejus, è contrario ſe habet. Sicut hominem vivere eſt bonum, & hominem occidi eſt malum, ſecundùm abſolutam conſiderationem: ſed ſi addatur circa aliquem hominem, quòd ſit homicida, vel vivens in periculum multitudinis: ſic bonum eſt, cum occidi, & malum eſt eum vivere. Unde poteſt dici, quòd Judex juſtus antecedenter vult omnem hominem vivere, ſed conſequenter vult homicidam ſuſpendi. Similiter Deus antecedenter vult omnem hominem ſalvari, ſed conſequenter vult quoſdem damnari, ſecundùm exigentiam ſuæ juſtitiæ*.

Ex quibus D. Thomæ verbis patet, quàm aptè ad etymologiam nominis explicetur per nos hæc diviſio. Voluntas enim dicitur antecedens, quæ verſatur circa objectum in ſui prima conſideratione, quâ conſideratur ſecundùm ſuam naturam, & ſpeciem: dicitur autem conſequens, quæ verſatur circa objectum in ſui ſecunda conſideratione, quâ ſcilicet conſideratur

tur

tur in individuo, & ut veſtitum omnibus circumſtantiis, & adjunctis.

XVI. Quod ſi diviſionem hanc velimus applicare materię ſalutis hominum, eam exponere poſſumus cum eodem D. Thoma *in 1. diſt. 46. quaſt. un. art. 1. Poteſt enim in unoquoque homine conſiderari natura ejus, & alia circumſtantia ipſius, ut quod eſt volens, & præparans ſe ad ſalutem ſuam, vel etiam repugnans, & contrariè agens. Si ergo in homine tantùm natura ipſius conſideretur, æqualiter bonum eſt omnem hominem ſalvari, quia omnes conveniunt in natura humanâ. Et cùm omne bonum ſit volitum à Deo, hoc etiam Deus vult; & hoc vocatur voluntas antecedens, quâ omnes homines ſalvos fieri vult ſecundùm Damaſcenum. Et hujus voluntatis effectus eſt ipſe ordo naturæ in finem ſalutis, & promoventia in finem omnibus communiter propoſita, tàm naturalia, quàm gratuita ſicut potentiæ naturales, & præcepta legis, & alia huiuſmodi. Conſideratis autem omnibus circumſtantiis Perſonæ, ſic non invenitur de omnibus bonum eſſe, quòd ſalventur: bonum eſt enim, qui ſe præparat, & conſentit, ſalvari per largitatem gratiæ divinæ, nolentem verò & reſiſtentem non eſt bonum ſalvari, quia injuſtum eſt. Et quia hoc modo ſe habet aliquid ad hoc, quod ſit volitum à Deo, ſicut ſe habet ad hoc, quod ſit bonum, ideò illum hominem ſub iſtis conditionibus conſideratum, non vult Deus ſalvari, ſed tantùm iſtum, qui eſt volens, & conſentiens: & hoc dicitur voluntas conſequens eò, quòd preſupponat præſcientiam operum, non tanquam cauſam voluntatis, ſed quaſi rationem voliti, ut ſupra dictum eſt.*

XVII. Hinc communis Noſtratum orta eſt doctrina, quòd ſcilicet voluntas antecedens illa eſt, quæ præparat auxilia, & media ſufficientia, illa verò conſequens, quæ præparat efficacia; quia *poſſe* præcedit *agere*, & *agere* conſequitur poſſe. Unde benè illa voluntas eſt antecedens, quæ præparat auxilia ſufficientia, quibus confertur poſſe, & illa eſt conſequens, quę præparat auxilia efficacia, quibus confertur agere.

Utraque tamen voluntas, ſi conſideretur reſpectu prædeſtinatorum, antecedit prævisionem meritorum: ex ſola enim bonitate Dei præviè ad omnia merita naſcitur voluntas, nedùm antecedens dans poſſe ſalvari, ſed etiam conſequens dans de facto, & efficaciter ſalvari, ut infra dicemus; quia merita licèt ſint quaſi ratio conferendi rem volitam, nempe gloriam, non tamen ſunt cauſa illam primò volendi. Si verò conſideretur reſpectu reproborum, voluntas antecedens dicitur quidem ea, quâ Deus præparat illis beneficia ad eorum ſalutem neceſſaria; Verùm conſequens dicitur, quatenùs conſequenter ad prævisionem peccatorum, quæ ab ipſis Deus vidit admittenda, vult eos ex juſtitia damnare: quia pro ut ſupra dicebamus ex Damaſceno, & D. Thoma prima voluntas, quâ efficaciter elegit ad gloriam hos præ illis, eſt voluntas miſericordiæ: ſecunda damnans ad pœnam eſt voluntas juſtitiæ. Sed hoc ſatis ſit in pręſenti attigiſſe, ad Tractatum enim Prædeſtinationis pertinet.

QUÆSTIO II.

De Voluntate Dei circa hominum ſalutem.

SPecialem quæſtionem de hac re inſtituimus fuſiori calamo pertractandam, quia hiſce temporibus non ſine contentione agitatur Catholicos inter, & Janſenii ſectatores. Quin imò (referente Gomaro in *epiſt. ad Galat. cap. 1.*) diviſos tenet à Calviniſtis Lutheranos.

DUBIUM I.

An detur in Deo Voluntas antecedens ſalvandi omnes.

§. I.

Reſolutio Dubii.

I. Dico. In Deo datur voluntas antecedens ſalvandi omnes. Probatur, tùm ex illo Ezech. 33. v. 11. *Vivo ego, dicit Dominus Deus; nolo mortem impii, ſed ut convertatur impius à via ſua, & vivat*, & 2. Petri 3. v. 9. *Nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti*; Tùm 1. ad Timoth 2. v. 4. *Qui omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*.

II. Si reſpondeas cum Janſenio primò, Deum habuiſſe quidem talem voluntatem pro omnibus in ſtatu naturæ innocentis, non tamen in ſtatu naturæ lapſæ, poſt Adę culpam, & originalis peccati prævisionem.

III. Contra eſt primò. Nam Apoſtolus ex modo loquendi loquitur de hominibus, qui modò ſunt, pro quibus ibi vult fieri obſecrationes, & orationes apud Deum, & reddens rationem, ait *v.* 3. *Hoc enim bonum eſt, & acceptum coram Salvatore noſtro Deo, qui omnes homines vult ſalvos fieri*. Quare Sanct. Chryſoſt. in hoc cap. homil. 7. *Si*, inquit, *omnes ille vult ſalvos fieri, meritò pro omnibus oportet orare; ſi omnes ipſe ſalvos fieri cupit, illius, & tu, concorda voluntati*.

Secundò. Paulus loquitur de hominibus, quos ſupponit, nondùm id veritatis cognitionem veniſſe: ſed homines innocentes ſemper in cognitione veritatis fuiſſent; ergo &c.

Tertiò. Subdit Apoſtolus v. 5. 6. *Unus enim Deus, unus & Mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Jeſus: qui dedit redemtionem ſemetipſum pro omnibus*: Sed homines, quorum Chriſtus eſt Mediator, pro quibus ſemetipſum dedit redemtionem, non ſunt homines innocentes, ſed lapſi; ergo ſi hos omnes Deus vult ſalvos fieri, voluntas hæc eſt circa homines lapſos.

IV. Si reſpondeas ſecundò, Deum ex Apoſtolo velle, omnes homines ſalvos fieri, ſumendo ly *omnes*, non per diſtributionem completam, quæ omnes includat, nullo excepto; Sed, vel per diſtributionem, ut ajunt, accomodam, quæ adaptatur ad omnes expoſitionis illius capaces; Nimirùm, non quòd Deus velit ſalvare omnes abſolutè; ſed eos omnes, qui ſalvantur; ità ut nullus ſalvetur, quem Deus non velit ſalvari. Sicut Ludimagiſter dicitur docere omnes pueros Civitatis, non omnes abſolutè, ſed omnes eos, qui diſcunt, ità ut nullus diſcat, quem ille non doceat.

Vel ſecundò, per diſtributionem, & univerſalitatem, ut inquiunt, incompletam pro generibus ſingulorum, non completam pro ſingulis generum. Ità ut Deus non velit ſalvare omnes, & ſingulos ex omni genere, nullo demto, ſed ex omni genere, nationum, conditionum, ſtatuum velit ſalvare aliquos. Sicut dicitur, omne animal fuiſſe in Arca Noè, quia in ipſa fuit aliquod ex omni genere animalium. Has expoſitiones tradit Sanctus Auguſtinus in *Enchirid. c.* 103., cujus verba prætereunda non ſunt: *Cum audimus*, inquit, *& in Sacris Litteris legimus, quòd velit omnes homines ſalvos fieri, quamvis certum ſit nobis, non omnes homines ſalvos fieri, non tamen ideò debemus Omnipotentiſſimæ Dei Voluntati aliquid derogare: ſed ità intelligere, quod ſcriptum eſt*: Qui omnes homines vult ſalvos fieri. *Tanquam diceretur; nullum hominem fieri ſalvum, niſi quem fieri ipſe voluerit: non quòd nullus ſit hominum, niſi quem ſalvum fieri velit: ſed quòd nullus fiat, niſi quem velit; & ideò ſit rogandus ut velit: quia neceſſe eſt fieri, ſi voluerit &c.* Et paulò poſt: *Aut certè*, inquit, *ſic dictum eſt*: Qui omnes homines vult ſalvos fieri: *non quòd nullus hominum eſſet*,

Digitized by Google

eſſet, quem ſalvum fieri nollet .... ſed ut omnes homines *omne genus humanum intelligamus, per quaſcumque differentias diſtributum, Reges, Privatos, Nobiles, Ignobiles ... in linguis omnibus, in moribus omnibus, in artibus omnibus ... Iſto locutionis modo, & Dominus uſus eſt in Evangelio, ubi ait Phariſæis* [Lucæ 11. v. 42.] Decimatis mentham, & rutam, & omne olus. *Neque enim Phariſæi, & quæcumque aliena, & omnium per omnes terras alienigenarum omnia olera decimabant. Sicut ergo hîc*, omne olus, *omne olerum genus: ità & illic* omnes homines *omne hominum genus intelligere poſſumus &c.* Ità Sanctus Auguſtinus, quem ſequitur fidelis diſcipulus Sanct. Thom. hîc *qu. 19. art. 6. ad 1. in 1. ad Timoth. c. 2. lect. 1.* & alibi.

V. Contra tamen eſt. Nam, ut advertit S. Thomas in *1. diſt. 46. qu. 1. art. 1. ad 1.* præfatæ expoſitiones allatę ex Sancto Auguſtino non opponuntur noſtræ aſſertioni. Etenim, quando nos dicimus, Deum univerſaliter completâ univerſalitate velle omnes ſalvos fieri, ita ut nullus ſit, quem ſalvum fieri non velit, intelligimus de voluntate antecedente, & generali. Quando verò Sanctus Auguſtinus ait, accipiendum eſſe *ly omnes* ſecundùm diſtributionem accommodam, vel univerſalitatem ſolum incompletam, loquitur de voluntate conſequente, & efficaci: non enim de facto, & univerſaliter omnes ſalvantur, ſed ſolùm ii, qui ſalvantur, nec ex omni genere omnes, ſed aliqui tantùm, quos Deus vult ſalvari. Ità D. Thomas laudatus. *Dicendum*, inquit, *quòd, ſecundùm Damaſcenum, verbum Apoſtoli intelligitur de voluntate antecedente, & non de conſequente. Sed ſecundùm Auguſtinum intelligitur de conſequente: Unde exponit eam dupliciter. Uno modo, ut ſit diſtributio accommoda pro omnibus, qui ſalvantur, ut in littera dicitur. Alio modo ut ſit diſtributio pro generibus ſingulorum, quia de qualibet conditione hominum aliquos prædeſtinavit ad vitam, & non pro ſingulis generum.*

VI. Ratio autem, quare S. Auguſtinus ſenſum Paulinę propoſitionis ità reſtrinxerit, ea eſſe poteſt. Agebat enim contra Pelagianos, qui (ſicut & Semipelagiani) non diſtinguebant inter voluntatem antecedentem, & conſequentem; ſed aſſerebant, Deum abſolutè velle omnes ſalvos fieri voluntate, & amore generali, & indifferenti, ut non magis diligeret hos, nempè prędeſtinatos, quàm illos, nempè reprobos, nec magis illorum ſalutem voluiſſe, quàm iſtorum. Sed totum ſalutis negotium eorum libertati dimiſiſſe, prædeſtinationem negantes. Quare ut illis ſeſe opponeret, & aſſereret, præter illam voluntatem generalem, adeſſe aliam diſcernentem electos à reprobis, Paulinum textum, cui fortè fidebant, expoſuit, & docuit, non omnes generaliter Deum ſalvos velle, voluntate nimirùm conſequente, & efficaci; ſed tantùm aliquos, & de hac ſpeciali voluntate, quam Pelagianus negabat, tantùm fuit ſolicitus. Videatur *lib. de corrept. & grat. cap. 14.*

VII. Cæterùm, quòd ſtando in mera voluntate antecedente, & generali ſenſerit Sanct. Auguſtinus, Deum velle omnes univerſaliter homines ſalvos fieri, liquet ex Doctrina, quam *lib. 6. c. 4. contra Julianum* urget, ubi ex eo, quod Chriſtus mortuus ſit pro omnibus, infert omnes mortuos eſſe, ſive originale peccatum contraxiſſe; ſed omnes & ſingulos originale peccatum contraxiſſe, docet ibi; ergo Chriſtus pro omnibus, & ſingulis mortuus eſt; ergo ex voluntate antecedente omnes ſalvandi. Cum itaque hanc voluntatem reſtringit ad ſola genera ſingulorum, dicendum omnino eſt, eum loquutum de voluntate, non quidem antecedente, & generali, ſed conſequente, & ſpeciali, quam Pelagiani negabant.

Digitized by Google

§. II.

Argumenta contraria.

VIII. Objicies primò. Si in Deo foret voluntas ſalvandi omnes, foret in Deo voluntas, quę nunquam impleretur: ſed omnis Dei voluntas debet impleri; ergo &c. Maj. probatur, quia effectus illius voluntatis eſſet ſalus omnium hominum: ſed ſalus omnium hominum nunquam erit; ergo &c. illa enim voluntas non impletur, quæ caret effectu ſuo. Min. etiam probatur. Tùm quia D. Thom. hâc *qu.* 19. *art.* 6. docet, quòd voluntas Dei ſemper impletur. Tùm quia Deus *Iſaiæ* 46. *v.* 10. de ſe ait: *omnis voluntas mea fiet*; & *Pſalm.* 134. *v.* 6. dicitur: *Omnia quæcumque voluit, Dominus fecit in Cœlo, & in Terra.*

IX. Huic argumento aliqui, etiam ex noſtris, reſpondent, neg. mai. Ad cujus probationem dicunt, effectum voluntatis antecedentis immediatum eſſe ſalutem omnium hominum, non in ſe ipſa, ſed ſolum in cauſa, nempè in auxiliis ſufficientibus. Cùmque hæc auxilia omnibus conferantur, jam voluntas illa ſortitur ſuum effectum, & impletur. Quare in horum ſententia proximus hujus voluntatis effectus, non eſt dare gloriam, ſed dare poſſe ad gloriam: & cùm Deus, licèt non omnibus det gloriam, omnibus tamen det poſſe ad illam; ideò illa voluntas in omnibus ſuum effectum ſaltem immediatum ſortitur. Et propterea D. Thom. *in* 1. *ad Timoth. cap.* 2. *lect.* 1. eam reducit ad voluntatem ſigni, dicens: *Pro voluntate ſigni vult ſalvare omnes, quia omnibus propoſuit ſalutis præcepta, conſilia, & remedia.*

Probabilis eſt hæc ſolutio: aliquibus tamen ſubeſt inſtantiis. Nam Paulus laudatus docet, pro omnium ſalute orandum eſſe; quia Deus vult omnes homines ſalvos fieri. Tùm etiam, quia ſi Deus vult omnibus dare auxilia ſufficientia ad ſalutem, debet etiam omnibus velle ſalutem, quia amor mediorum oritur ex amore finis.

X. Propterea reſpondeo ſecundò, diſtingu. mi. Omnis voluntas conſequens, conc. mi. Antecedens, nego mi. Quando ergo Scriptura, & S. Thomas dicunt, omnem voluntatem Dei impleri, loquuntur de voluntate ſimpliciter tali, qualis eſt voluntas conſequens, quę quidem, utpote efficax ſemper impletur; non verò de voluntate antecedente, quæ reſpicit objectum ſecundum ſuam ſpeciem, & naturam tantùm, non ut ponendum in eſſe, nec cum omnibus ſuis circumſtantiis, & eſt voluntas ſolùm talis ſecundùm quid; hæc enim non ſemper impletur, ut colligitur ex illo Matthæi 23. v. 37. *Jeruſalem, Jeruſalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt, quotiès volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti!*

Unde D. Thomas hoc art. 6. qu. 19. ad 1. *Neque tamen*, inquit, *quod antecedenter volumus ſimpliciter volumus, ſed ſecundùm quid; quia voluntas comparatur ad res, ſecundùm quòd in ſe ipſis ſunt; in ſe ipſis autem ſunt in particulari. Unde ſimpliciter volumus aliquid, ſecundùm quòd volumus illud, conſideratis omnibus circumſtantiis particularibus, quod eſt conſequenter velle. Unde poteſt dici quòd Judex juſtus ſimpliciter vult homicidam ſuſpendi, ſed ſecundùm quid vellet eum vivere, ſcilicet in quantùm eſt homo. Unde magis poteſt dici velleitas, quàm abſoluta voluntas. Et ſic patet, quòd quidquid Deus ſimpliciter vult, fit, licèt illud, quod antecedenter vult, non fiat.*

XI. Sed dices. Omnis voluntas, quę non impletur, & caret ſuo effectu dicit imperfectionem: ſed in Deo nulla dari poteſt imperfectio; ergo nec voluntas, quæ non impleatur.

Reſpondeo, dupliciter dici poſſe voluntatem carere effectu, & non impleri: vel defectu activitatis, & impedimento extrinſeco vincente, vel retardante

dante efficaciam ipſius; vel ex libera ordinatione ipſius volentis. Voluntas, quæ non impletur, & caret effectu primo modo, eſt certè imperfecta, qualis eſt voluntas mercatoris ſalvandi merces, dum eſt in tempeſtate; hæc enim effectu ſæpe caret, quia non habet vim ſalvandi merces, & tuendi vitam ſuam. Voluntas autem ſecundo modo carens effectu, potiùs ex ſumma perfectione procedit, & talis eſt voluntas antecedens Judicis ſalvandi vitam hominis, etſi homicidæ, poſset enim eum abſolvere, & ſalvare: ſed quia juſtus eſt, vult efficaciter eum, ſi homicida eſt, ſuſpendi. Et ſic ejus voluntas liberè uno effectu caret, ut alium ſortiatur. *Quia ergo* (ait D.Th. qu. 23. de verit. art. 2. in corp.) *Deus omnes homines propter beatitudinem fecit, dicitur voluntate antecedente omnium ſalutem velle. Sed quia quidem ſaluti ſuæ adverſantur, quos ordo ſuæ ſapientiæ ad ſalutem venire non patitur, propter eorum defectum, implet in eis alio modo id, quod ad ſuam bonitatem pertinet, ſcilicet eos per juſtitiam damnans; ut ſic, dùm à primo ordine voluntatis deficiunt, in ſecundum labantur: & dùm Dei voluntatem non faciunt, impleatur in eis voluntas Dei.* Ità D. Thomas. Quæ repetit hâc *qu. 19. art. 6. in fine corp.* dicens: *Cum igitur divina voluntas ſit univerſalis cauſa omnium rerum, impoſſibile eſt, quòd divina voluntas ſuum effectum non conſequatur. Unde quod recedere videtur à divina voluntate ſecundùm unum ordinem, relabitur in ipſam ſecundùm alium. Sicut peccator, qui, quantum eſt in ſe, recedit à divina voluntate peccando, incidit in ordinem divinę voluntatis, dùm per ejus juſtitiam punitur.* Quæ valdè notanda ſunt.

XII. Quare ad argumentum principale diſtingui poſſet: Nimirùm, quòd divina voluntas ſemper impletur in aliquo ordine, eſto non ſemper in omni ordine. Et rationem dat ibi S. Doctor. quia licèt effectus poſſit totaliter deficere à cauſa particulari, & fieri extra ordinem ejus, propter aliquam cauſam impedientem, ſicut aliqua ſtella poteſt impediri, ne inducat ſuum effectum; effectus tamen non poteſt totaliter deficere à cauſa univerſali, ſub qua omnes cauſæ particulares continentur, nam licèt dari poſſit aliquid, quod non ſit homo, vel vivum, non poteſt tamen dari aliquid, quod non ſit ens; & effectus qui ſubterfugit influxum ſtellæ particularis, virtutem tamen primi Cœli ſubterfugere non poteſt, quin per aliquam cauſam mediam in illud reducatur.

XIII. Secundò objicitur. Voluntas iſta antecedens ſalvandi omnes videtur otioſa, & parùm ſincera. Otioſa quidem: ad quid enim ſervit, ſi effectu fruſtratur? Parùm verò ſincera: nam ſi Deus antecedenter ad præviſa demerita excludat hominem à gloria, quomodo cum hoc ſtat ſincera voluntas ſalvandi illum? Sanè, ſi in manu Mercatoris eſſet ſedare tempeſtatem, ne merces perirent, & non faceret, ac merces projiceret, quis crederet, eum ſincerè velle ſalvare merces ſuas? ergo cùm Deus conferre poſſit omnibus beneficia efficacia, quibus ſalventur, ſi hæc non conferat, imò decernat ea non conferre, ſicut de facto ſe gerit erga eum, quem reprobavit, quis credet, eum ſincerè velle omnes ſalvare?

XIV. Reſpondeo, voluntatem illam non eſſe in Deo otioſam, ſed per illam oſtendere viſcera miſericordiæ ſuę, quâ omnibus præparat auxilia, quibus poſſint finem, ad quem illos creavit, adipiſci. Quòd ſi illam non in omnibus implet, hoc non eſt ex impotentia Dei, ſed ex ſua rectiſſimâ voluntate, quâ illam non in omnibus impleri vult, ut alius ſuæ voluntatis ordo impleatur, & ne aliud majus bonum impediatur. Sicut non eſt otioſa in Judice voluntas ſalvandi vitam omnium ſubditorum, ſed hâc oſtendit viſcera ſuæ pietatis: quòd ſi hanc non implet in omnibus, puta in homicida, hoc eſt ex ejus juſta voluntate, quâ te-

Digitized by Google

tenetur juſtitiam ſervare, ne aliud majus bonum impediatur.

Nec etiam deſinit eſſe ſincera, ſicut non deſinit eſſe ſincera voluntas Judicis ſalvandi hominem, quatenus homo eſt, quamvis efficaciter ſuſpendi faciat homicidam. In omni enim actione conſiderandum eſt, non ſolùm id, quod ſe tenet ex intentione agentis, nempè producere effectum perfectum, quod eſt de prima intentione ejus; ſed etiam id, quod ſe tenet ex conditione materiæ recipientis effectum, quæ quandoque eſt indiſpoſita, quod eſt de ſecunda intentione ejus. *Quamvis* autem Deus [ait D. Thomas qu. 23. de verit. art. 2. citato in corp.) *in ſua operatione materiam non requirat, & res à principio creaverit nullâ materiâ præexiſtente, nunc tamen operatur in rebus, quas primò creavit, eis adminiſtrans præſuppoſitâ naturâ, quam priùs eis dedit. Et quamvis poſſet à creatura omne impedimentum auferre, quo perfectionis incapaces exiſtunt: tamen ſecundùm ordinem ſuæ ſapientiæ diſponit de rebus ſecundùm earum conditionem, ut unicuique tribuat ſecundùm modum ſuum. Illud ergo, ad quod Deus creaturam ordinavit, quantum eſt de ſe, dicitur eſſe volitum ab eo, quaſi primâ intentione, ſive voluntate antecedente; ſed quando creatura impeditur propter ſui defectum ab hoc fine, nihilominùs tamen Deus implet in ea id bonitatis, cujus eſt capax; & hoc eſt quaſi de ſecunda intentione ejus, & dicitur voluntas conſequens.*

Exemplum autem mercatoris non eſt omnino ſimile. Mercator enim, utpote perſona particularis, neque duplex bonum reſpicit, neque duplici intentione fertur in illud, ſed unicè tenetur ſuum particulare bonum procurare: unde ſi imminente tempeſtate non faciat quidquid poteſt ad ſuarum mercium conſervationem, certè convincitur, eum ſincerè non velle eas ſalvari. At Deus eſt proviſor univerſalis, cujus eſt attendere non ſolùm ad id, quod de ſui prima intentione eſt, ſed etiam aliquando ad id, quod conditio naturæ, in quam agit, efflagitat; quòd unam ſui voluntatem, ac unum bonum omittat, ut aliam ſui voluntatem impleat, & aliud bonum procuret.

XV. Tertiò objicies. Voluntas hęc antecedens ſalvandi omnes erat refugium Semipelagianorum, qui propterea ad laudatum Pauli teſtimonium pro ea tuenda confugiebant, ut ex epiſtolis Proſperi, & Hilarii ad Auguſtinum, *libris de Prædeſtin. SS.*, *& de corrept. & gratia* præfixis, ſatis conſtat.

XVI. Reſpondeo, Semipelagianos explicaviſſe voluntatem antecedentem modo toto Cęlo diverſo ab eo, quo à nobis cum D. Auguſtino, & Thoma explicata eſt. Illi enim ſolam voluntatem antecedentem, & generalem expectantem liberum conſenſum noſtrum, ex quo illa voluntas fieret conſequens, & efficax, admittebant; unde negabant, Deum ſpeciali dilectione proſequi electos præ reprobis, ſed æquè velle eis ſalutem, quantum eſt ex parte ſui. Ità referunt D. Proſper epiſt. laudatâ ad Auguſtin. nimirùm, quòd Dei *bonitas in eo appareat, ſi neminem repellat à vita, ſed indifferenter univerſos velit ſalvos fieri*; & Hilarius præcitatâ epiſt. *Inde eſt*, inquit, *quod & illud pariter non accipiunt, ut eligendorum, rejiciendorumque eſſe definitum numerum velint: atque illius ſententiæ expoſitionem, non eam, quæ à te eſt depromta ſuſcipiant; ideſt, ut nonniſi omnes homines ſalvos fieri velit, & non eos tantùm, qui ad Sanctorum numerum pertinebunt, ſed omnes omnino, ut nullus habeatur exceptus:* quibus apertè conſtat, eos voluntatem diſcretivam, ac prædeſtinativam à Deo ablegaſſe, & ſolam voluntatem generalem, ac indifferentem, quæ ex previſione noſtri conſenſus effectum eſſet habitura, in Deo admiſiſſe. At nos præter voluntatem generalem, & antecedentem ſalvandi omnes, voluntatem conſequentem, ac prædilectivam horum præ aliis, non ſupponentem, aut expectantem

tem

Digitized by Google

tem noſtrum conſenſum, ſed illum inferentem, ac prævenientem ſtatuimus. Et quamvis voluntatem antecedentem, conditionatam, & inefficacem eſſe dicamus; Non ità tamen conditionatam, & inefficacem dicimus, quaſi liberum conſenſum, tanquam conditionem ad ſui efficaciam requirat, ſed quia non vult ſalutem, niſi ſub conditione, quòd ipſe hìc, & nunc fini ſuæ gubernationis viderit convenire. An autem modus, quo explicatur voluntas antecedens à Patronis ſcientiæ mediæ differat à modo explicandi Semipelagianorum, examinare noſtrum non eſt.

DUBIUM II.

An Chriſtus mortuus ſit ex animo, & voluntate antecedente ſalvandi omnes.

§. I.

Janſeniſmi ortus, & progreſſus.

I. AD plenam intelligentiam præcedentis Dubii, & perfectam voluntatis antecedentis, quam habet Deus de ſalute omnium hominum, notitiam, addere æquum duxi hanc celebrem quæſtionem, ex cujus reſolutione ea, quæ dicta ſunt, magis firmabuntur.

Inter Janſenianas Propoſitiones à Summis Pontificibus Innocentio X. Alexandro VII. & Succeſſoribus proſcriptas, quinta in ordine hæc eſt: *Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut Sanguinem fudiſſe.* (Quod priùs docuerat Calvinus, & docent Calviniſtæ, teſte Gomaro *in c. 1. ad Galat.* dicente, hoc in Synodo nationali Dordracena ſtatutum, & in ſcholis ſuis Calviniſticis doceri, Lutheranis in contrarium obſtrepentibus). Quia tamen nihil magis per omnium ora verſatur hiſce temporibus, quàm *Janſeniſmi*, & *Janſeniſtarum* nomina, non abs re fore exiſtimavi, ſi Candidato noſtro tradidero (brevi quidem calamo) initia, & progreſſus Janſeniſmi, qui licèt totiès profligatus, caput tamen erigere contumaciter non ceſſat, ac demùm, in quo reverà Janſeniſmi damnatus error conſiſtat.

II. Cornelius Janſenius Natione Belga, ex Doctore Lovanienſi Epiſcopus Iprenſis, ſuis in Pentateuchum, & quatuor Evangelii Commentariis celebris Janſeniſmo nomen, & errorem dedit. Conſcripſerat prçtereà magnę molis volumen de divina gratia, quod tamen graſſante lue fato præreptus anno 1638. publicum facere nequivit. Id tamen anno ſequenti præſtitit Libertus Firmondus, qui illud typis mandavit ſub hoc titulo: *Cornelii Janſenii Iprenſis Epiſcopi Auguſtinus, ſeu S. Auguſtini Doctrina*, per tres Tomos diſtributum. Quaſi in eo opere pura genuina, ac ſincera Sancti Auguſtini doctrina à nullo Veterum cognita, aut Recentiorum hactenus intellecta, contineretur. Et profectò ſibi adeò adulatur Janſenius in eo opere, ut, ac ſi ſolus ipſe Auguſtinum penetraſset, cæteros omnes tanquam S. Doctoris doctrinę ignaros traducat. Quamquàm ſuæ deceptionis fortè conſcius, fato proximus in Teſtamento, quod condidit, proteſtatus eſt, ſe omnia ſua ſcripta ſincero obſequio ſubjicere judicio, correctioni, & emendationi Romani Pontificis, doctrinæ à Summis Pontificibus approbatæ ſe firmiter adhærere, falſa verò dogmata ab iiſdem damnata ex animo reprobare. Hinc proteſtationem ad calcem Libri de Gratia Chriſti inſertam quiſquis legere poteſt.

III. Evulgato igitur Janſenii *Auguſtino*, in Belgio, & Galliis contentio exorta eſt; quibuſdam tanquam è Cœlo delapſum Auguſtinum in eo excipientibus, quibuſdam, & quidem ſanioribus, adversùs ipſum, ceu Pſeudo-Auguſtinum ſtrenuè dimicantibus; inter quos S. Facultatis Pariſienſis Theologi quinque Propoſitiones veluti graviter erroneas ex eodem (jam per Urbanum

banum VIII. damnato) collegere, quas anno 1651. Epiſcopi Gallicani num. 85. ut de iis prævio examine judicium, ac ſententiam ferret, ad Summum Pontificem Innoc. X. tranſmiſe unt, qui maturâ præmiſsâ diſcuſſione, necnon fuſis ad Deum precibus, ſuâ Conſtitutione *pridie Kal. Junii anni* 1653. publicatâ, prefatas quinque Propoſitiones ex Janſenii Auguſtino excerptas damnavit, unicuique ſingulari damnationis inuſtâ cenſurâ.

IV. Innocentii damnatio fuit quidem reverenter ſuſcepta à Galliarum Epiſcopis, quod eorumdem gratulatoriæ Litteræ ſub die 15. *Julii anni* 1653. palàm teſtantur: Verum à Janſenii Fautoribus, non item. Cùm enim Magiſtrum ſuum imitari debuiſſent, qui, ut, nuper dictum eſt, ſe, ſuaque ſcripta Romano Pontifici corrigenda ſubjecit, novas turbas excitare, & variis querelis Catholicum Orbem implere cœperunt, adeò ut dici poſſit; quod de Pelagianis timebat Auguſtin. *ſerm. 2. de verb. Apoſtoli nunc ſerm.* 131. *c.* 10. Innocentii reſcripto cauſam quidem finitam eſſe, ſed non finitum errorem. Palàm ergo contumaces dicere cœperunt Janſeniani, & exclamare;

V. Primò: Innocentianâ Conſtitutione, ac quinque Propoſitionum latâ cenſurâ, & damnatione per Janſenii latus Auguſtinum peti, ejus doctrinam imò, & veterum Conciliorum, Romanorumque Pontificum explodi, ac proſcribi; Molinæ verò, ejuſque ſequacium de gratia verſatili opinionem extolli, ac velut in Throno collocari. Quod quàm falſum ſit oſtendunt, tùm vivæ vocis Oracula, tùm Romanorum Pontificum Innocentii X. Alexandri VII. Clementis IX. Clementis X. Innocentii XI. Alexandri VIII. Innocentii XII. Clementis XI. & noviſſimè Benedicti XIII. diplomata, qui omnes S. Auguſtini de gratia, & libero arbitrio doctrinam à Sede Apoſtolicâ approbatam, & in Eccleſia conſecratam eſse declararunt; ideòque Janſenii doctrinam fuiſſe confixam, quia ab Auguſtiniana diſſentiat, & toto Cœlo aberret.

Nec minùs falsò aſſeruerunt, & adhuc aſſerunt Janſeniani, Molinæ doctrinam Janſenii damnatione triumphaſſe, cùm etiam poſt proſcriptas quinque Janſenii Propoſitiones liceat in doctrina de Gratia eſse Catholicum, nec tamen Moliniſtam: Doctrina enim de duplici gratia, ſufficienti, & per ſe efficaci, quam univerſa D. Thomæ Schola profitetur, media eſt, nimirùm, nec Janſeniana, nec Moliniana. Hanc, poſt Janſenii damnationem, à Sede Apoſtolica adhuc probari teſtis eſt Roma, ſub cujus oculis publicè defenſatur; teſtes libri poſtea editi, quique in dies eduntur (inter quos *Panoplia* de divina gratia Thomæ de Lemos) in quibus doctrina de Gratia per ſe efficaci, & Prædeſtinatione gratuita Romanis Pontificibus non obſiſtentibus, imò probantibus ſtatuitur, defenſatur, & Moliniſtarum momenta pro viribus excutiuntur. Adeò ut oppoſitum improperantes, tanquam calumniatores traduxerit Benedictus XIII. in ſuis Litteris Romæ datis 6. *Novembris* 1724. Et in noviſſima ſua Conſtitutione *Pretioſus* Privilegiorum Ordinis Prædicatorum confirmatoria §. 41. data 26. Maii 1727. quibus D. Thomæ diſcipulos ad eam tuendam, & propugnandam accendit.

VI. Viderunt, & adhuc vident, ſe hoc aſylo parùm, imò nihil tutos eſſe Janſeniani. Quare relictâ quæſtione Juris, ad quæſtionem (ut ajunt) facti confugerunt. Dixerunt, & adhuc dicunt, quinque Propoſitionum damnationi ſe lubentes adhærere, ac ſubſcribere, ſed videndum, an illæ fideliter ex Janſenii libro excerptæ fuerint, & in eo reperiantur. Quod ipſi negarunt pertinaciter aſſerentes, in toto Janſenii libro, nullam ex damnatis Propoſitionibus, ſaltem in eo ſenſu, quo damnatæ ſunt extare, & propterea hæreſim Janſenianam chimericam eſſe, & imaginariam. Ex hoc intulere, in hac quæſtione facti non eſſe opus judice, ſed ſanis oculis. Hoc ultimum Jan-

Digitized by Google

Janſenianorum effugium prȩcluſit Alexander VII. *Conſtitut.* quam edidit anno 1656. quâ declarat, præfatas Propoſitiones ex libro Janſenii fideliter excerptas, & in ſenſu ab eodem Janſenio intento damnatas fuiſſe. Quod & nos inferiùs præſtabimus, loca, in quibus Janſenius eas profert, indicando. Vigentibus adhuc Janſeniſtarum motibus in Galliis, petente Rege Chriſtianiſſimo, idem Alexander anno 1664. 15. *Kal. Martii* Formularium prȩſcripſit, cui omnes Eccleſiaſticæ Perſonæ, etiam Moniales, ſubſcribere, ac juramento dictas Propoſitiones in ſenſu à Janſenio intento, & à Sede Apoſtolica damnato, damnare, tenerentur. Fruſtra iterum audiri poſtulantes, Formulario ſubſcribere, Regiâ auctoritate urgente, coacti ſunt Janſeniani. Sed novâ fraude vim juramenti eludere conati ſunt. Statuerunt itaque, ſe Formulario Alexandri VII. ſubſcribere, ſed continendo ſe circa quæſtionem facti intra limites externæ dumtaxat obedientiæ, & religioſi ſilentii, licèt animo contradicerent, & penes ſe pro comperto haberent, eas Propoſitiones nec in libro Janſenii extare, nec in ſenſu Janſenii damnatas eſſe.

Fraudem hanc detexit Clemens XI. & damnavit. Quare Conſtit. data anno 1705. definivit, ad ſinceram Formularii ſubſcriptionem requiri non ſolùm externam, ſed internam obedientiam, ac ſimplicem mentis, & cordis adhæſionem; & oppoſitum nil aliud eſſe, quàm meram ſimulationem, illuſionem, hypocriſim, mendacium contra Spiritum Sanctum ſacrilego perjurio confirmatum &c. quibus omnibus cuique ſubdolæ interpretationi, & ancipiti ſignificationi via penitùs clauſa eſt, nec cuiquam abſque fidei diſpendio reclamandi locus relinquitur.

§. II.

Janſenius quinque Propoſitionum damnatarum verè Auctor.

VII. Supereſt primò præfatas quinque Propoſitiones referre, & eas verè in Janſenii libro eſſe demonſtrare. Secundò à doctrina Thomiſtarum procul diſtare, quod, Janſenii doctrinam cum Thomiſtica conferendo prȩſtabimus.

Prima ergo Propoſitio Janſeniana damnata, eſt: *Aliqua Dei Præcepta hominibus juſtis volentibus, & conantibus, ſecundùm præſentes, quas habent vires ſunt impoſſibilia; deeſt quoque illis gratia, quâ poſſibilia fiant.* Hanc declaravit Innocentius *temerariam*, *impiam*, *blaſphemam*, *anathemate damnatam*, & *hæreticam*, & ut talem damnavit.

VIII. Hanc expreſsè docet Janſenius *lib.* 3. *de gratia Chriſti c.* 13. his verbis: *Hæc igitur omnia pleniſſimè, planiſſimèque demonſtrant, nihil eſſe in S. Auguſtini doctrinâ certius, ac fundatius, eſſe præcepta quædam, quæ hominibus, non tantùm infidelibus, excæcatis, induratis; ſed fidelibus quoque, & juſtis, volentibus, & conantibus, ſecundùm præſentes, quas habent vires ſunt impoſſibilia; deeſſe quoque gratiam, quâ poſſibilia fiant.*

IX. Secunda Propoſitio eſt: *Interiori gratiæ in ſtatu naturȩ lapſæ nunquam reſiſtitur.* Quam *hæreticam* declaravit, & ut talem damnavit Innocentius.

X. Hanc disertè docet Janſenius *l.* 2. *de Gratia Chriſti c.* 25. ubi ait: *hæc eſt vera ratio, & radix, cur nulla omnino medicinalis Chriſti gratia effectu ſuo careat, ſed omnis efficiat, ut voluntas velit, & aliquid operetur.* Cumque eodem *lib.* 3. *cap.* 27. Non aliam medicinalem Chriſti gratiam agnóſcat, niſi ſuaptè naturâ efficacem, ſequitur, eum docere, quod in ſtatu naturæ lapſæ gratiæ interiori nunquam reſiſtitur.

XI. Tertia Propoſitio eſt. *Ad meren-*

rendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ, non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione. Quam pariter *hæreticam* declaravit, & ut talem damnavit Innocentius.

XII. Hanc evidenter docet Janſenius *lib. 6. de Gratia Chriſti toto cap. 6.* cui hunc titulum præfigit: *Duplex neceſſitas Auguſtino, coactionis, & ſimplex, ſeu voluntaria: illa, non hæc repugnat libertati.* Et in eo capite totus eſt in oſtendendo violentiam, & coactionem, quâ renitens, & nolens quis agat, capitaliter repugnare libertati, non autem *illam neceſſitatem, quæ eſt ſimul voluntaria, quâ ſcilicet neceſſe eſt, aliquid fieri, non repugnante, ſed immutabiliter volente voluntate.* Prævidens autem, hoc viſurum novum in Scholis Catholicis, ſubdit: *mira videbitur Scholaſticis iſta doctrina: & tamen in Auguſtini principiis* (pravè ab ipſo intellectis) *eſt indubitata.* Sed nova non apparuit hæc doctrina Theologis Catholicis: eam enim audierant non ab Auguſtino, ſed à Calvino, qui *lib. 2. Inſtit. c. 2. §. 7.* ait: *liberi ergo arbitrii hoc modo dicitur homo, non quia liberam habeat boni æquè, ac mali electionem, ſed quia malè voluntate agit, non coactione.*

XIII. Quarta Propoſitio eſt: *Semipelagiani admittebant gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei: & in hoc erant Hæretici, quòd vellent, eam gratiam talem eſſe, cui poſſet voluntas humana reſiſtere, vel obtemperare.* Hanc *falſam*, & *hæreticam* declarat Innocentius, & ut talem damnat.

XIV. Eam tamen conceptis terminis aſtruit Janſenius tùm *lib. 2. de Gratia Chriſti c. 12.* ubi, & ſtatuit, Semipelagianos ad initium fidei, *internæ, actualiſque gratiæ adjutorium ſtatuiſſe neceſſarium*; & rurſus, quia putabant cum tali adjutorio *poſſe credere &c. tanquam gratiæ medicinalis deſtructores, & liberi arbitrii præſumtores meritâ cenſuræ ſeveritate damnati ſunt.* Quod repetit *lib. 3. cap. 1.* ubi rejiciens auxilium ſufficiens, & nullum dari poſt lapſum auxilium, quod non ſit efficax, oſtendens, rationem (quæ eſt tertia) reddit; *quia* auxilium ſufficiens *eſt adjutorium*, quod *Maſſilienſes ad credendum neceſſarium eſſe, atque ità ſufficere ſtatuebant, ut cum eo credere poſſet homo, ſi vellet: qui tamen tanquam hæretici proſcripti ſunt, non aliam ſanè ob cauſam, niſi quia tale auxilium homini ſufficere putarent &c.*

XV. Quinta tandem Propoſitio eſt: *Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut Sanguinem fudiſſe.* Quam *falſam, temerariam, ſcandaloſam, & intellectam eo ſenſu, ut Chriſtus pro ſalute dumtaxat Prædeſtinatorum mortuus ſit, impiam, blaſphemam, contumelioſam, divinæ pietati derogantem, & hæreticam* declarat, & damnat Innocentius.

XVI. Hanc à Janſenio prolatam oſtendit ad oculum *lib. 3. de Gratia Chriſti cap. 21.* ubi eſto non neget Paſſionem, & Mortem Chriſti fuiſſe pretium ſufficiens ad Redemtionem omnium omnino Infidelium, imò etiam Dęmonum, omniumque damnatorum, negat tamen Chriſtum ſe *redemtionem dediſſe, vel propitiatorem eſſe pro omnibus*, quia hoc plus aliquid dicit: Indicat enim *intentione morientis pretium pro illis oblatum eſſe.* Concludens, Chriſtum pro ſolis Prædeſtinatis, qui oves ejus ſunt, ſe tradidiſſe, & pro iſtis à peccato liberandis, & in æternum vivificandis mortuum eſſe, & Patrem rogaſſe: *non pro cæteris, qui à fide, & caritate deficientes in iniquitate moriuntur. Pro his enim in tantùm mortuus eſt, & in tantùm propitiatio peccatorum eſt, & in tantùm rogavit Patrem, in quantùm temporalibus quibuſdam divinæ gratiæ effectibus exornandi ſunt.* Hęc Janſenius. Quam doctrinam multis confirmare conatur. Cùm ergo hæc adeò clara ſint, quid aliud de Janſeniſtis dicere poſſumus niſi, quòd in duplicem cęcitatem lapſi ſint. Unam, quâ videre ſe autumant falsâ imaginatione

in

Digitized by Google

in libro Janſenii ea, quæ in eo non ſunt, nempe Doctrinam Sancti Auguſtini, quæ profectò in eo libro non eſt. Alteram, quâ ſe non vidiſſe, & adhuc non videre contendunt ea, quę in illo revera ſunt; quinque nimirùm damnatas Propoſitiones, quas in eo Summi Pontifices, omneſque Doctores, præter illos, viderunt, & in eo verè adeſſe ad oculum eis demonſtravi.

§. III.

Thomiſtę Janſenio, & Janſeniſtis in materia Gratiæ, & Liberi Arbitrii contrarii.

XVII. Modò repellenda eſt calumnia, quâ Janſeniſtæ, & aliqui fortè apud vulgus indoctum ſpargere ſolent, Thomiſtarum doctrinam de gratia per ſe efficaci, eandem eſſe cum doctrina Janſenii, & Janſeniſtarum; & perinde hâc damnatâ, damnatam quoque fuiſſe Thomiſticam doctrinam. Licèt autem ad hanc nubem diſſipandam ſatis ſint teſtimonia Romanorum Pontificum, quæ ſuperiùs §. 1. indicata ſunt, & inter iſta nuperrima Benedicti XIII. ad hanc depellendam calumniam ſpecialiter data. Licèt etiam hâc macula D. Thomæ diſcipulos liberaverint præclari Societ. Jeſu Scriptores *Jo: Martinus de Ripalda* lib. 2. operis *adverſ. errores Michaelis Baii diſp.* 14. *ſect.* 5. Franciſcus Annatus [licèt Junior alitèr ſenſerit] Senior factus in libro, Janſenianâ causâ pendente, Romæ edito, cui titulum dedit *Janſenius à Thomiſtis gratiæ per ſe ipſam efficacis defenſoribus condemnatus circa quinque Propoſitiones*, & in *Informatione*, quam idem Annatus ſuper hoc exhibuit, in qua duo de viginti inter Janſenianam, & Thomiſticam doctrinam diſcrimina Lectorum oculis ſubjecit. *Petrus Deſchamps*, qui lib. 2. de hæreſi Janſenianâ diſput. 3. cap. 3. & diſput. 6. cap 9. ſic Janſenianos perſtringit: *Glorientur licèt Janſeniani, tot ſe nuperi dogmatis Patronos habere, quot phyſicæ prædeterminationis defenſores extiterunt; verè tamen mihi videor dicturus, nullos huic doctrinæ infenſiores reperiri, quàm qui poſt natam Calvini hæreſim ex S. Dominici Ordine, aliiſque ejuſdem Sacramenti Theologis majoris eruditionis, & ingenii laude floruerunt.* Hæc aliaque ſatis eſſent ad depellendas tenebras, quibus Thomiſtarum hac in parte doctrinam obſcurare contendunt Janſeniſtæ.

XVIII. Nihilominùs, ut Candidato noſtro veritatem hanc, quaſi digito, demonſtremus, conferre placet ſigillatim ea, quæ Janſenius, & Janſeniſtæ docent cum iis, quæ Thomiſtæ in ſuis Scholis, & voce, & ſcriptis tradunt, ac typis evulgant.

Primò, ergo diſcriminantur in ſtatuenda gratia pro Angelorum, & hominis innocentis ſtatu. Nam Janſenius, & Janſeniſtæ dicunt, ut ſuprà oſtendimus, Angelos, & hominem innocentem nullâ eguiſſe gratiâ ex natura ſuâ efficaci ad perſeverandum, ſive *adjutorio quo*; ſed gratiam Angelis, & Adamo innocenti collatam, fuiſſe dumtaxat ſufficientem, verſatilem, è nutu liberi arbitrii pendentem, ut eâ vel benè, vel malè uteretur, ſi vellet, quam vocant *adjutorium ſine quo*. Ex quo inferunt, Prædeſtinationem bonorum Angelorum ad gloriam, à Deo factam poſt prævisionem meritorum, ideòque per ſcientiam mediam; ac Deum ſtatui naturę innocentis, & Angelorum conſuluiſſe per ſolam voluntatem antecedentem, quâ præparabat, & concedebat gratias ſufficientes ad conſequendam æternam ſalutem, accedente ſolo liberi arbitrii conſenſu. Et hoc ideò, quia gratiæ per ſe efficacis neceſſitatem non aliunde repetunt, niſi ex infirmitate naturæ humanæ læſæ, ac ſauciatæ per peccatum.

XIX. Thomiſtæ verò concorditer aſſerunt, Angelos, & hominem innocentem eguiſſe utrâque gratia; & ſufficiente, ut poſſent perſeverare, ſeu *adjutorio ſine quo*; & per ſe efficaci, ſeu *adjutorio quo*, ut de facto perſeve-

Digitized by Google

rarent. Et propterea Angelos, qui perſeverarunt, præter gratiam ſufficientem, habuiſſe ulteriùs gratiam per ſe efficacem, ſeu *quâ* perſeverarent, quâ Angeli mali, & Adamus caruerunt. Unde Thomiſtæ duplicis gratię neceſſitatem pro eo ſtatu admittunt, nimirùm ſufficientis ad poſſe, & per ſe efficacis ad actu perſeverandum; Janſeniſtæ unam tantum volunt, nempè ſufficientem, quæ ex bono uſu liberi arbitrii fieret efficax. Hinc Thomiſtę Angelorum prædeſtinationem omnino gratuitam, & antecedentem prævisionem meritorum ſtatuunt, ortam ex voluntate conſequente, & efficaci eos ſalvandi, non merè antecedente. Et hoc ideò, quia neceſſitatem gratię per ſe efficacis non repetunt unicè ex infirmitate naturæ vitiatæ, ſed etiam ex generali ſubordinatione cauſę ereatæ ad primam, ſcilicet Deum, & ex indifferentia, ſeu flexibilitate voluntatis ad operandum, quæ rationes, eſto non primæ, militant, & in Angelis, & in homine innocente.

XX. Secundò. Non minus diſcriminantur Thomiſtæ à Janſeniſtis, imò magis, in ſtatuenda gratiâ pro ſtatu naturę lapſę. Primo, quia Janſeniſtę nullos in hoc ſtatu agnoſcunt gratias ſufficientes, ſed ſolum admittunt gratias per ſe efficaces.

XXI. Thomiſtæ verò admittunt gratias ſufficientes, non quidem complectentes omnia neceſſaria nedum ad poſſe, ſed ad actu agere, ut volunt Molinæ diſcipuli: ſed ſufficientes in ſenſu Thomiſtico, nimirùm, quæ compleant, ac perficiant actum primum, ſeu potentiam ad benè operandum. Præter has tamen ad actu de facto operandum, aliæ ex parte Dei requirantur, quæ ſint per ſe efficaces, nedùm ex generali ſubordinatione cauſę creatæ ad Deum, & voluntatis indifferentiâ, ſed ad ſanandam infirmitatem in carne, ut ſuperius dictum eſt. Et hoc Thomiſtis eſt *adjutorium quo medicinale, ſeu gratia Salvatoris*.

XXII. Præterea Janſenius, & Janſeniſtæ gratiam per ſe efficacem, quam, omni gratiâ ſufficiente exploſâ, ſolam admittunt in homine lapſo, non ſolum volunt dominari voluntati, ſed eam dicunt eſſe ineluctabilem, quę licèt non cogat, neceſſitet tamen voluntatem, libertatem ejus abſorbeat, ut dum agit: eſto voluntariè agat, neceſſariò tamen agat: quare voluntatem hominis dicunt, gaudere quidem libertate à coactione, ſed non libertate indifferentiæ, ſeu à neceſſitate.

XXIII. Thomiſtæ è contra gratiam quidem per ſe efficacem ultrà ſufficientem admittunt; aſſerunt tamen, Deum gratiæ multiformis Auctorem, ità ad naturam voluntatis eam temperare, ut intactam relinquat ejus libertatem, nedùm à coactione, ſed & à neceſſitate, indifferentiam poteſtatis non lædat, & ſic eam velle faciat, ut potentiam ad non volendum, ſeu ad volendum contrarium relinquat: quare libertatem indifferentiæ tuentur.

XXIV. Ulterius. Janſenius, & Janſeniſtæ negant, Deum habere voluntatem antecedentem ſalvandi omnes homines pro ſtatu naturæ lapſæ, eiſque præparandi auxilia ſufficientia ad æternam ſalutem conſequendam: voluntatem enim antecedentem, quâ Deus præparat, & concedit media, ſeu auxilia ſufficientia ad ſalutem, ad ſtatum innocentiæ ſolummodo pertinuiſſe dicit Janſenius, nec in ſtatu naturæ corruptæ ullum habere locum; aut ſi adhuc in hoc ſtatu admittatur, dicit, quod hęc *Antecedens voluntas in ſola præciſione mentis, adeoque nuda velleitate, nibil gratia cauſante, conſiſtere poteſt*. Ità paſſim inculcat Janſenius; Sed pręſertim *t. 3. de gratia Chriſti Salvatoris lib. 3. c. 20.* ubi illud Pauli exponit, *Deus omnes homines vult ſalvos fieri &c.*

XXV. Hàc doctrinâ Janſenii ſuppoſitâ, & præcipuè, quòd in ſtatu naturæ lapſæ nullæ dentur gratiæ merè ſufficientes, ſed omnes ſint per ſe efficaces, Sole clarius apparet, quàm legitimè, ex Janſeniana doctrinâ quinque damna-

Digitized by Google

damnatæ Propoſitiones inferantur; & ex adverſo, niſi quis in meridiana luce cęcum ſe facere velit, quàm injuſtè Thomiſticæ doctrinæ à Janſeniſtis adaptentur. Si enim homini lapſo deeſt gratia ſufficiens dans poſſe, legitimè infertur prima Propoſitio, nempè quòd *aliqua Dei præcepta ſint ei impoſſibilia ſecundùm præſentes, quas habet vires*: & cùm gratia per ſe efficax, nec omnibus detur, nec *ſemper adſit*, *ſequitur, quòd deſit illi gratia, quâ poſſibilia fiant*. Quod in Thomiſtica doctrina aſſerente omnibus adeſſe auxilia dantia poſſe, non ſequitur.

Item: cùm omnis gratia interior Janſeniana ſit per ſe efficax, cui certè reſiſti non poteſt, aliàs non eſſet per ſe efficax, benè infertur ſecunda Propoſitio, *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur*. Hoc tamen in doctrina Thomiſtica admittente prętter gratiam per ſe efficacem, etiam ſufficientem, cui ſæpè reſiſtitur, inferri non poteſt.

Præterea: cùm â natura lapſa libertatem indifferentię abſtulerit Janſenius, & ſolam libertatem à coactione ſtatuat, ac voluntatem per gratiam per ſe efficacem neceſſitari ad agendum dicat, eſto non cogi, benè ſequitur tertia Propoſitio, quòd *ad merendum, vel demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiratur libertas à neceſſitate, ſed ſufficiat libertas à coactione*: quod tamen in doctrina Thomiſtarum, quæ cum gratia per ſe efficaci, beneficio gratiæ ſufficientis, conciliat libertatem indifferentiæ ad utrumque extremum, non ſequitur. Ulteriùs, quia Janſenius admittit ſolam gratiam per ſe efficacem, cui reſiſti non poteſt, legitimè infertur quarta Propoſitio, quâ dicebat Semipelagianos hæreticos fuiſſe, quia vellent *gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare*. Hoc tamen ex Thomiſtica doctrina gratiam ſufficientem, cui reſiſti, vel obtemperari poteſt, admittente, planè non ſequitur.

Tandem: ex eodem falſo principio, quo ablatâ ab homine lapſo omni gratiâ ſufficienti, ei ſolam per ſe efficacem indulgeat, & hanc Chriſtus Infidelibus, obcęcatis, imò nec reprobis finaliter concedat, cohærenter quintam Propoſitionem aſſeruit, nimirùm, *Chriſtum pro omnibus omnino hominibus non eſſe mortuum, aut Sanguinem fudiſſe, ſed pro Prædeſtinatis dumtaxat*. Hoc certè dicere averſantur Thomiſtæ, qui, omnibus, nullo excepto, ex Chriſti Paſſione parata eſſe media ad ſalutem ſufficientia aſſeverant. Hæc benè perpendat ſtudioſus Thomiſta, quibus, calumniis, & calumniatoribus ora poſſit obſtruere, cùm tantum à Janſeniſtis differant Thomiſtę, quantum à tenebris lux.

Interim redeamus ad propoſitum præſentis dubii, & oſtendamus falſitatem quintę Janſenianæ Propoſitionis.

§. IV.

Chriſtus pro omnibus Sanguinem fudit.

XXVI. Dico, dicere, quòd Chriſtus pro omnibus hominibus mortuus ſit, & Sanguinem fuderit ex voluntate antecedente ſalvandi omnes, Semipelagianum non eſt, ſed Catholicum. Probo. Id, quod docet Scriptura, & ex ea SS. Patres communi conſenſu interpretantur, Semipelagianus error non eſt, ſed Doctrina Catholica: atqui quòd Chriſtus mortuus ſit ex animo, & voluntate ſalvandi omnes, Scriptura docet, & Patres conſenſu communi teſtantur; ergo &c. Min. pro prima parte probatur 1. ex Apoſtolo *Dub. præced.* laudato 1. *ad Timoth.* 2. v. 1. &c. ubi Apoſtolus rogat, fieri obſecrationes, & orationes pro omnibus hominibus, & rationem reddens, ait: *hoc enim bonum eſt, & acceptum coram Salvatore noſtro Deo, qui omnes homines vult ſalvos fieri*. Deinde oſtendens, quomodo ſit Salvator omnium addit: *Unus enim Deus, unus & mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Jeſus*,

Digitized by Google

Jeſus, qui dedit ſemetipſum Redemtionem pro omnibus: ſed unus eſt Deus omnium, nedùm loquendo de generibus ſingulorum, ſed etiam de ſingulis generum; eſt enim unus Deus omnium, nullo excepto; unus ergo eſt etiam Mediator omnium, & ſingulorum, qui dedit ſemetipſum Redemtionem pro omnibus, & ſingulis nullo excepto; ergo tàm Deus, quàm mediator Dei, & hominum Chriſtus, vult, omnes, & ſingulos ſalvos fieri, nullo excepto: eos enim vult ſalvos fieri, pro quibus dedit ſemetipſum Redemtionem. Imò ex hoc, quòd Deus, & Chriſtus voluit omnes ſalvos fieri, factum eſt in executione, ut dederit ſemetipſum Redemtionem pro omnibus, non pro aliquibus dumtaxat.

Hinc ſuper præfata verba Cajetanus noſter egregiè: *Si eſſent*, inquit, *plures Dii, cogitari poſſet, quòd unus Deus haberet curam ſalvandi aliquos homines, & alius haberet curam ſalvandi alios: ſed ubi unus tantùm eſt Deus, illi uni incumbit cura omnium.* Et dè Mediatore idèm ſubdens, ait: *Si plures eſſent Mediatores inter Deum, & Hominem, exiſtimaretur, quòd unus eſſet Mediator pro quibuſdam, & alius pro aliis: ſed ex quo unus eſt mediator Dei, & hominum, ad reconciliandum homines Deo; illi uni incumbit mediare inter Deum, & omnes homines.*

XXVII. Hoc idem Apoſtolus indicavit 2. *Corinth. c.5. v.14. & 15.* dicens, *caritas enim Chriſti urget nos: æſtimantes hoc, quoniam ſi unus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt: Et pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, ut & qui vivunt, jam non ſibi vivant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexit.* Quibus Sanctus Paulus duo dicit; unum, ſe ex caritate teneri pro omnibus laborare, & vitam ipſam prodigere exemplo Chriſti, qui pro omnibus mortuus eſt: ſed D. Paulus pro omnibus, & ſingulis, nedùm pro electis, ſed pro omnium ſalute procurandâ, caritate Chriſti urgebatur; ergo hoc ideò, quia ſciebat, pro omnibus, & ſingulis Chriſtum mortuum eſſe voluntate, & affectu. Hinc Sanct. Chryſoſtomus hom. 11. in hoc caput: *conſtringit*, inquit, *nos caritas Dei, & non ſinit, nos quieſcere. Extremę enim miſerię eſſet, & ipſâ gehennâ gravius, ſi tantâ re oſtenſâ, inveniantur quidam, poſt tantam illius providentiam nullum fructum afferre: ſumma enim caritatis excellentia eſt mori pro tali mundo, & mori pro ſic affecto.*

Alterum, quod D. Paulus dicit, eſt, quòd *ſi unus pro omnibus mortuus eſt; ergo omnes mortui ſunt:* ſuper quę verba D. Auguſtinus *lib. 6. contra Julianum cap. 4. Ex hoc* [inquit] *probavit, omnes mortuos eſſe, quia pro omnibus mortuus eſt unus.* Ex quibus inferens, etiam parvulos mortuos eſſe, quia pro eis etiam mortuus eſt Chriſtus, qui pro mortuis mortuus eſt, ait: *Quapropter, ſi nullum trahunt peccatum parvuli, non ſunt mortui. Si non ſunt mortui, non eſt mortuus pro eis, qui non eſt mortuus niſi pro mortuis.* Cùm ergo omnes, nullo excepto, mortui peccato ſint, pro omnibus, nullo excepto, affectu, & voluntate mortuus eſt Chriſtus: unde idem Auguſtinus lib. 20. de Civit. Dei c. 6. *Omnes*, inquit, *mortui ſunt in peccatis, nemine prorſùs excepto: ſive in originalibus, ſive etiam voluntatę additis, vel ignorando, vel ſciendo, nec faciendo, quod juſtùm eſt: & pro omnibus mortuis vivus mortuus eſt unus, ideſt nullum habens peccatum.*

XXVIII. Idem confirmatur ex eodem S. Auguſt. pluribus in locis. Videlicet *enarrat. in pſalm.* 95. non procul à fine, ubi: *Judicabit*, inquit, *Orbem terrarum in æquitate; non partem, quia non partem emit. Totum judicare habet, quia pro toto pretium dedit.* Specialiter autem eum eſſe mortuum etiam pro reprobis oſtendit *lib. 2. de Symbolo ad Cathecumenos cap.* 8. ubi inducens Chriſtum Judicem reprobos alloquentem: *Videtis*, inquit, *vulnera, quæ infixiſtis, agnoſcitis latus, quod pupugiſtis: quoniam, & per vos, & propter vos apertum eſt, nec tamen*

intrare

Digitized by Google

intrare voluiſtis. Eſto autem ſtatim ſubjungat: *Qui non eſtis redemti pretio mei Sanguinis, non eſtis mei:* quis non videt, hoc debere intelligi, reprobos non eſſe redemtos quoad effectum, non verò quoad affectum? Eadem ferè Auguſtini verba adduci ſolent ex ſerm. 67. *de tempore*; ſed quia ſermo ille à Patribus Maurinis inter ſpurios amandatur, ideò ea omittimus. Videri tamen poteſt ſerm. 1. *in pſalm.* 68. *num.* 14. ubi illud verbum *ſitio* à Chriſto in Cruce prolatum exponens, dicit, quòd de Cruce cum diceret *ſitio*, fidem illorum quærebat, pro quibus dixerat *Pater ignoſce illis &c.* qui tamen in Chriſtum non crediderunt, cùm ei obtulerint fel. Æquum fuit in mente Auguſtini indagandâ nos immorari, ut appareat, quàm iniquus Auguſtino ſit Janſenius, dùm eum ſui erroris Patronum facit.

XXIX. In eandem veritatem conſpirant cæteri Patres. Ambroſius in Pſ. 118. ſerm. 8. c. 8. in illa verba: *Miſericordia tua Domine plena eſt terra*, inquit: *plena eſt terra Miſericordiâ Domini, quia omnibus eſt data remiſſio peccatorum. Super omnes Sol oriri jubetur. Et hic quidem Sol quotidie ſuper omnes oritur. Myſticus autem Sol ille Juſtitiæ omnibus ortus eſt, omnibus venit, omnibus paſſus eſt, & omnibus reſurrexit. Si quis autem non credit in Chriſtum, generali beneficio ipſe ſe fraudat: ut ſi quis clauſis feneſtris radios Solis excludat, non ideò Sol non ortus eſt omnibus, quia calore ejus ſe ipſe fraudavit: ſed quod Solis eſt prærogativam ſuam ſervat: quod imprudentis eſt, communis à ſe gratiam lucis excludit. Super omnes pluvia eſt, & hoc divinæ Miſericordiæ deputatur, quia pluit ſuper juſtos, & injuſtos*. quid autem clarius pro hac Catholica veritate?

XXX. Item D. Jo: Chryſoſt. *homil.* 4. *in c.* 2. *ad Hebr.* fideles hortatur ad conſiderandum: *qualiter gratia Dei pro omnibus guſtaverit mortem, non pro Fidelibus tantùm, ſed pro Mundo univerſo, & ipſe quidem pro omnibus mortuus eſt. Quid autem, ſi non omnes credunt? ille quod ſuum erat implevit*. Quomodo, quæſo, quod ſuum erat implevisſet ad omnium ſalutem, ſi noliet dare reprobis auxilia, nec efficacia, nec ſufficientia ad ſalutem, non magis, quàm Dæmonibus?

XXXI. Ex his præcluſa manet Janſenii evaſio, dicentis, Chriſtum mortuum quidem eſſe etiam pro reprobis; ſed quantùm ad ſufficientiam pretii, non quantùm ad affectum: & primò quidem pro omnibus obtuliſſe ſuam mortem Patri, ſed cum vidit, eam non pro omnibus acceptari, tunc his ſolum prodeſſe voluit, quos Pater elegerat.

XXXII. Eum enim falſitatis evincunt præallata teſtimonia, quibus apertè conſtat, Chriſtum de facto pro omnibus prorsùs, etiam peccatoribus, ac reprobis obtuliſſe ſuam Paſſionem ex voluntate omnes ſalvandi. Deinde ſic arguo primò. Si Chriſtus mortuus eſt pro omnibus ſolùm quoad ſufficientiam pretii, pari ratione dici poterit, quòd ſit mortuus, quòd de Cœlo deſcenderit pro dæmonibus, & propter eorum ſalutem, cùm ejus mors ſit pretium ſufficiens ad ſalvandos etiam dæmones. Hoc autem eſt contrarium fidei, quam profitemur in Symbolo: *Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cœlis*; imò contra Paulum, qui paſſim Chriſtum pro nobis traditum docet.

Rursùs: Tridentinum *ſeſſ.* 6. *c.* 3. ſupponit, Chriſtum pro omnibus mortuum eſſe, etſi ejus mors non omnibus proſit: Inquit enim: *Verùm ille* (Chriſtus) *pro omnibus mortuus eſt. Non omnes tamen beneficium mortis ejus recipiunt, ſed ii dumtaxat, quibus meritum Paſſionis ejus communicatur*. Ergo ſupponit Concilium, Chriſtum mortem pertuliſſe etiam pro ſalute eorum, quibus mors ejus non eſſet profutura. Præterea cùm Paulus ſupracitatus 1. ad Thim. *c.* 2. *v.* 6. dicat, quòd Chriſtus Jeſus, *dedit Redemtionem ſemetipſum pro omnibus*. Cùm S. Joannes *epiſt.* 1. *c.* 2.

Digitized by Google

c. 2. *v.* 1. 2. & 3. dicat, quòd *advocatum habemus apud Patrem Jeſum Chriſtum juſtum; & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris; non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius Mundi. Et in hoc ſcimus, quoniam cognovimus eum, ſi mandata ejus obſervemus*: reſpondeat ſincerè Janſeniſta: hæc verba: dediſſe ſe Redemtionem pro omnibus, eſſe advocatum apud Patrem, eſſe propitiationem, non pro peccatis dumtaxat aliquorum, ſed totius Mundi, ſi mandata ejus obſerventur, indicantne Chriſtum obtuliſſe ſolùm pretium de ſe ſufficiens ad omnium ſalutem; an verò etiam ex animo, ut omnibus prodeſſet, ſi eo ad ſui Redemtionem uti vellent? Sanè phraſes iſtę, dare ſe Redemtionem pro omnibus, eſſe advocatum, propitiationem, nedùm pro aliquibus, ſed pro toto Mundo, ſi mandata cuſtodiant, demonſtrant, nedùm virtutem, ſed animum, & voluntatem: ſicut ſi graſſante lue in aliqua Civitate veniret Medicus, qui daret ſe curationem, & ſanationem pro morbo, nedùm aliquorum, ſed totius Civitatis, ſi præcepta ab ipſo præſcripta cuſtodirent; indicaret iſte, nedùm virtutis ſuæ ſufficientiam ad omnes ſanandos, ſed & præparationem animi ad omnium curationem, qui ei ſeſe ſubjicere vellent. Sicut ergo Medicus, eſto pro omnibus Civibus veniſſet, eſto ex animo omnibus ſeſe curationem exhibuiſſet, non tamen effectum curationis ejus omnes reciperent, ſed ii, dumtaxat, quibus beneficium curationis, & remedii communicaretur; ità dicit Tridentinum, dicit Paulus, dicit Joannes, Chriſtum ex animo omnes ſalvandi ſe dediſse Redemtionem, advocatum, propitiationem, non tamen omnes hoc beneficio frui, quia non omnibus communicatur.

XXXIII. Neque hinc ſequitur, ut putat Janſenius *lib.* 3. *de Gratia Chriſti Salvatoris c.* 20. quòd oblatio Chriſti, ac dilectio foret inanis; ſicut nec foret inanis oblatio, exhibitio, & animus Medici, ſi non omnes oblato remedio ſanarentur. Redemtio ergo Chriſti ſemper eſt utilis, & fructuoſa reſpectu omnium, ſi ſumatur activè, & ex parte Chriſti; quia in animo, & virtute ipſius omnes, nullo excepto, beneficio Redemtionis gauderent, ſi ei ſeſe ſubjicerent. Sed eadem Redemtio, paſſivè ſumta, & ex parte hominum inanis redditur, & infructuoſa in illis, qui, non ſalvantur: ſed hoc ideò eſt, quia ejus fructum ſibi applicare, & ſuum facere negligunt, & in vacuum gratiam Dei recipiunt contra monitum Pauli 2. *Cor.* 6. *v.* 1.

XXXIV. Hoc autem dicendum eſſe, dictat etiam ratio, ne in varia incidamus abſurda. Si etenim Chriſtus ex animo. & voluntate mortuus non eſſet pro omnibus, & ſingulis, ſed pro ſolis electis, ut quid omnes ipſum invocaremus Redemtorem, ſicut omnes invocamus Creatorem? Si enim eſſet Redemtio ſolùm electorum, quis ſcit, ſe eſse electum, ut illum ſuum Redemtorem, ac ſuam Redemtionem vocare queat? Rueret inſuper fides noſtra, quâ credimus, Deum propter Chriſtum nobis propitium fore, ſi pro ſolis electis factus eſſet propitiatio. Rueret ſpes noſtra, quâ ſperamus per Chriſti mortem nos poſſe ſalvari. Rueret denique caritas. Cùm enim maximum amoris noſtri incentivum ſit conſideratio mortis, quam Chriſtus pro noſtra ſalute pertulit, non adeò amaremus ipſum, ſi pro ſolis electis mortuus eſſet ex animo, & voluntate eos ſalvandi ſolos, cum nemo ſciat, an inter electos ſit reponendus.

§. V.

Fundamenta Janſenii evertuntur.

XXXV. PRimum fundamentum ſumit ex Joan. *c.* 17. *v.* 9. ubi Chriſtus proteſtatur, ſe non rogaſſe pro omnibus, ſed pro iis ſolis, quos Pater dederat ipſi. *Ego pro eis rogo: non pro mundo rogo, ſed pro his, quos dediſti mihi: quia tui ſunt:* ſed pro

pro his rogavit Chriſtus, quorum ſalutem voluit; ergo cùm non pro omnibus, ſed pro ſolis electis rogaverit, horum ſalutem dumtaxat voluit, non omnium.

XXXVI. Confirmat hoc auctoritate Sancti Auguſtini, qui *tract. 107. in Joannem* ſuper hæc verba dicit: *Non itaque pro mundo* [ideſt *qui vivunt ſecundùm concupiſcentiam mundi*, ut priùs dixerat] *ſed pro his, quos ei Pater dedit, rogare ſe dicit*. Et *tract. 110.* advertens, Chriſtum poſteà rogare Patrem, *ut credat mundus*, *Ecce* (inquit) *qui dixerat*: Non pro mundo rogo, *pro mundo rogat, ut credat*. Cui difficultati ſic reſpondet: *Eſt mundus, de quo ſcriptum eſt, ne cum hoc mundo damnemur. Pro iſto mundo non rogat: neque enim quo ſit prædeſtinatus ignorat. Et eſt mundus de quo ſcriptum eſt: Non enim venit Filius hominis, ut iudicet mundum, ſed ut ſalvetur mundus per ipſum.... Pro iſto mundo rogat dicens, ut mundus credat, quia tu me miſiſti.* Pro ſolis ergo de mundo, teſte Auguſtino, rogat Chriſtus, qui de mundo crediturí erant, ideſt prædeſtinati, pro aliis non rogat, quia eos non eſſe prædeſtinatos non ignorat.

XXXVII. Confirmat ſecundò ex eodem Auguſtino docente, ideò Eccleſiam præſentem orare indifferenter pro omnibus, & omnium ſalute, quia neſcit, quinam ſint prædeſtinati ad gloriam, quinam ad ſupplicium. Ceterùm ſi certa eſſet, aliquos eſſe prædeſtinatos ad æternum ſupplicium, pro iſtis non oraret. Primum colligit ex Auguſtino *lib. de corrept. & gratia c. 15.* ſic dicente. *Neſcientes enim, quis pertineat ad prædeſtinatorum numerum, quis non pertineat; ſic affici debemus caritatis affectu, ut omnes velimus ſalvos fieri*. Secundum colligit ex eodem, *lib. 21. de Civit. Dei cap. 24. ſi de aliquibus* [Eccleſia] *ità certa eſſet, ut qui ſint illi, etiam noſſet, qui licèt adhuc in hac vita conſtituti, tamen prædeſtinati ſunt in æternum ignem ire cum Diabolo; tàm pro eis non oraret, quàm nec pro ipſo. Sed quia de nullo certa eſt, orat pro omnibus dumtaxat hominibus inimicis ſuis in hoc corpore conſtitutis, nec tamen exauditur.*

Ex his concludit Janſenius *lib. 3. de gratia Chriſti Salvatoris cap. 21.* Auguſtini principiis nullo modo conſentaneum eſſe, *ut Chriſtus Dominus vel pro infidelium in infidelitate morientium, vel pro fidelium non perſeverantium æterna ſalute mortuus eſſe, Sanguinem fudiſſe, ſemetipſum redemtionem dediſſe, Patrem oraſſe ſentiatur. Scivit enim quo quiſque jam ab æterno prædeſtinatus erat, ſcivit hoc decretum, neque ullius pretii oblatione mutandum eſſe, nec ſe ipſum velle mutare. Ex quo factum eſt, ut juxta Sanctiſſimum Doctorem, non magis Patrem pro æterna liberatione ipſorum, quàm pro diaboli deprecatus fuerit.* Ità Janſenius, & quidem non modicâ apparentiâ veritatis errorem ſuum confirmare conatur.

Quod tertiò confirmari poſſet ex D. Th. qui *3. p. q. 21. art. 4. ad 2.* docet quod Chriſtus *non oravit pro omnibus crucifixoribus, neque etiam pro omnibus, qui erant credituri in eum, ſed pro his ſolùm, qui erant prædeſtinati.*

XXXVIII. Reſpondetur ad hoc ſatis difficile argumentum, diſtingu. antec. aſſumtum: Chriſtus proteſtatur, ſe non rogaſſe pro omnibus Oratione ſpeciali, & proveniente ex amore ſpeciali, & efficaci ſalutis omnium, conc. ant. Oratione generali, & procedente ex amore univerſali ſalutis omnium: nego antec. Sicut ergo à Deo ſupremo, & univerſali omnium Proviſore, diximus, dupliciter reſpici ſalutem hominum: uno modo in prima ſui conſideratione, & ſecundùm ſui naturam; cùmque ſic bona ſit, eam omnibus velle voluntate antecedente, & generali, & ex hac fluere auxilia ſufficientia in omnes. Secundò eam reſpici in ſecunda ſui conſideratione, & ut veſtitam omnibus circumſtantiis; & ſic eam non omnibus velle voluntate conſequente, & ſpeciali, inferente auxilia ſpecialia in electos: ità Chri-

Digitized by Google

ſtus ut generalis, & univerſalis omnium hominum Redemtor dupliciter reſpiciebat hominum ſalutem: primò quidem ſecundum ſe; & quia fini Redemtionis bonum eſſet, ut omnes ſalvarentur, ideò ſub hac ratione voluntate generali, & antecedente eam omnibus volebat, pro omnibus Patrem rogabat, & auxilia ſufficientia impetrabat: unde 1. Joan. 2. verſ. 1. & 2. *Advocatum habemus apud Patrem Jeſum Chriſtum juſtum: & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris; non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius Mundi*. Secundò autem eam reſpiciebat, attentis circumſtantiis impedimentorum, quæ aliqui erant poſituri, & decreti Patris de horum reprobatione; & ſub hac ratione eam non omnibus volebat voluntate ſpeciali efficaci, & conſequente, nec pro omnibus orabat oratione procedente ex tali voluntate; ſed ſolùm pro his, quos dederat ei Pater, qui ejus erant, vel futuri erant per fidem, nempè Apoſtolis, aliiſque prædeſtinatis, qui Chriſto probè noti erant. Et in hoc ſenſu dicebat: *Ego pro eis rogo:* nimirùm oratione procedente ex amore efficaci, & ſpeciali ſalutis eorum, quia *eos dediſti mihi, quia tui ſunt*: ideſt quia eos à te electos, ac oves tuas eſſe novi, non pro mundo ideſt pro iis, qui ſerviunt mundo, & quos tuos non eſſe ſcio.

Ità exponenda eſſe verba Chriſti mihi perſuadeo, ut concilientur loca Scripturæ: aliàs, quomodo ſalvaremus, Chriſtum, ac Deum velle omnes homines ſalvos fieri, eſſe propitiationem pro peccatis totius mundi, dediſſe ſe Redemtionem pro omnibus, & denique, quod illuminet omnem hominem venientem in hunc mundum? Joan. 1. Ità propterea exponit D. Thomas, tùm ſuper caput 1. Joannis. dicens (*Illuminat*) *ſcilicet Verbum quantum de ſe eſt: quia ex parte ſua nulli deeſt, imò vult omnes homines ſalvos fieri .... quod ſi aliquis non illuminatur, ex parte hominis eſt avertentis ſe à lumine:* ſicut Sol ſenſibilis per totum Mundum lucem effundit; quòd ſi quis lucem de facto non recipit, ex parte hominis eſt, qui claudit oculos: tum in hoc cap. 17. dicens: *Chriſtus quantum eſt de ſe pro omnibus oratione generali oravit, quia oratio ſua de ſe efficax eſt, ut valeat toti mundo, ſed tamen non in omnibus ſortitur effectum, niſi in Sanctis, & Electis Dei, & hoc propter impedimentum mundanorum*. Cur autem eſto pro omnibus oraverit, non ſit pro omnibus exauditus, dixerat S. Thom. *ratio autem quare quis ſit audiendus, & orare debeat pro aliis eſt, ſi illi ſpecialiter pertineant ad ipſum. Orationes enim generales minus exaudiuntur*. Hac ergo doctrinâ ſuppoſitâ, quæ vera eſt, & Catholica.

XXXIX. Ad primam confirmat. ex Auguſtino dico, ex S. Doctore colligi ſolùm, Chriſtum oraſſe pro ſolis Apoſtolis, & pro ſolis illis, qui de mundo credituri erant, oratione ſpeciali, & ex voluntate conſequente, & efficaci ſalutis ipſorum: quod non tollit, quin orationem generalem, ut univerſalis Redemtor extenderit quoque ad alios de mundo ille, qui dedit ſe redemtionem, & propitiationem pro omnibus, eſto de facto credituri non eſſent.

XL. Ad ſecundam confirm. ex eodem S. Auguſtin. quæ majorem videtur præſeferre difficultatem, dico, rationem, quâ Eccleſia præſens, in tantum pro ſalute omnium rogat, eſſe, quia cum neſciat, quinam ſint prædeſtinati, quinam non, debet ſic affici caritatis affectu, ut velit, omnes ſalvos fieri: Si autem ſciret, aliquem non eſſe prædeſtinatum, pro eo non oraret, ſicut nec orat pro diabolo; quia Eccleſia eſt quaſi orans particulare, cujus non eſt conſiderare ſalutem eorum pro quibus rogat, niſi ut veſtitam omnibus circumſtantiis, & ut in re de facto ponendam; & ideò ſi ſciret certò, pro aliquo non eſſe ponendam, ſicut nec illam poſſet pro illo ſperare, ità Deum pro illa rogare; alioquin

quin idem eſſet, ac conari, ut Deus, vel decretum mutaret, vel ut eius decretum fruſtraretur. Cęterum Chriſtus, ut generalis proviſor ſalutis omnium, & univerſalis omnium Redemtor, duplici conſideratione ferebatur in hominum ſalutem; primâ generali, & in eam ſecundùm ſe, ut convenientem fini ſuæ Redemptionis, & ſic eam amore generali omnibus volebat, & pro omnibus intercedebat. Secundâ verò ſpeciali, & in eam, ut conſideratam in particulari, & in circumſtantiis humanæ reſiſtentię aliquorum, & decreti Dei de eorum reprobatione, quæ ſibi probè nota erant, & ſic nec eam volebat, nec pro ea rogabat.

Neque in hoc, decreto, & voluntati Dei contradicebat Chriſtus, ut putat Janſenius (imò & Calvinus cui in hac parte ſubſcribit, ut legere eſt in c. 17. Joannis) imò ei maximè conformabatur. Nam ſicut Deus voluntate quidem generali omnium ſalutem vult, & ex hac ſufficientia ad ſalutem omnibus exhibet; aliquibus autem voluntate ſpeciali eandem non vult, & ex hoc illis denegat auxilia efficacia: Itá Chriſtus voluntate univerſalis Redemtoris omnium ſalutem exoptat, & ſufficientia ad illam omnibus intercedit: voluntate autem ſpeciali eandem non vult illis, quos ad ſalutem non prædeſtinatos novit, nec pro eis rogat oratione ſpeciali, & efficaci. Neque in Chriſto, ſicut nec in Deo, iſtæ duę voluntates opponuntur, quia non ſunt de eodem objecto, & volito formali. Salus enim omnium pręciſa à circumſtantiis, & in generali aliud objectum eſt ab eadem ſub circumſtantiis conſiderata; & ideò in prima conſideratione bona, & volibilis, in ſecunda verò mala, & non volibilis: ſicut mortem nolebat Chriſtus, quatenùs eam inſpiciebat, ut ſecundùm ſe malam naturæ, volebat autem, & quidem efficaciter, dùm eandem inſpiciebat, ut à Deo decretam, & ad hominum redemtionem ordinatam, quin hæ duæ voluntates nec Deo, nec inter ſe contrariæ eſſent.

Verùm Janſenius, & Calvinus huic Catholicæ doctrinæ nolunt aſsentiri; eò, quòd nolint in Deo, & Chriſto fateri voluntatem generalem ſalutis omnium, & gratiam ſufficientem pro hoc ſtatu contumaciter negent: ex hoc enim eorum error procedit. Quare Janſenius citato *lib. 3. de gratia Chriſti Salvatoris cap. 21.* in fine. *Illa* (inquit) *extenſio tàm vaga modernorum Scriptorum non ex alio capite, quàm ex illa generali, & indifferenti voluntate Dei erga ſalutem omnium, & ex illa ſufficientis gratiæ omnibus conferendæ præparatione fluxit*. Cùm ergo hanc nos admittamus, per eam Janſeniana argumenta diſſolvimus.

XLI. Ad tertiam confirm. ex D. Thoma dico, mentem S. D. fuiſſe negare ſolùm, Chriſtum oraſſe pro Crucifixoribus oratione implendâ, & inferente ſalutem eorum efficaciter. Quod patet: tùm quia in eo articulo de hoc agebat; tùm quia hoc petebat argumentum, cui reſpondebat. Quod apertè demonſtrant eius verba ſequentia; ait enim S. Thomas: *Sed pro his ſolùm qui erant prædeſtinati*, deinde ſubdit, *ut per ipſum vitam conſequerentur æternam*: conſecutio autem vitæ æternæ effectus eſt voluntatis ſpecialis, & efficacis, non generalis.

XLII. Secundum fundamentum ſumitur ex verbis Chriſti Math. 26. v. 28. qui Sanguinem ſuum dicit effuſum non pro omnibus, ſed pro multis: *qui*, inquit, *pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*.

XLIII. Retorqueo primò hanc inſtantiam. Etiam Paulus Roman. 5. v. 19. *Sicut enim* (inquit) *per inobedientiam unius hominis, peccatores conſtituti ſunt multi: ità & per unius obeditionem, juſti conſtituentur multi*: ergo ne multi, & non omnes, per unius inobedientiam peccatores conſtituti ſunt? *Multi* ergo ſecundùm modum loquendi Scripturarum ſæpè numero idem ſignificat, ac *omnes*; & ſicut in omnes per Adami inobedientiam transfunditur peccatum, ità in omnes per Chri-

Digitized by Google

ſti obeditionem transfunditur juſtitia. Quare immediatè prius dixerat Paulus v. 18. *Igitur ſicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem: ſic per unius juſtitiam in omnes homines in juſtificationem vitæ*: alioquin non ſuperabundaſſet gratia, ubi ſuperabundavit delictum, quod eſt intentum Pauli in eo loco.

XLIV. Reſpondeo ſecundò, ex D. Thom. in 4. diſt. 8. qu. 2. art. 2. queſtiunc. 3. ad 7. *quod Sanguis Chriſti effuſus eſt pro omnibus quoad ſufficientiam, ſed pro electis tantùm quoad efficaciam: & ne putaretur effuſus pro Judæis tantùm electis, quibus promiſſio facta fuerat, ideò dicit* vobis *qui ex Judæis, &* multis, *ſcilicet multitudine gentium. Vel per Apoſtolos, Sacerdotes ſignat, quibus mediantibus ad alios effectus Paſſionis per diſpenſationem Sacramentorum pervenit, qui etiam pro ſe ipſis, & pro aliis orant*. Et 3.p. q. 78. art. 3. ad 8. *Sanguis* (inquit) *Paſſionis Chriſti non ſolùm habet efficaciam in Judæis electis, quibus exhibitus eſt Sanguis veteris Teſtamenti, ſed etiam in Gentilibus, nec ſolùm in Sacerdotibus qui hoc conficiunt Sacramentum, vel aliis qui ſumunt, ſed etiam in illis, pro quibus offertur. Et ideò ſignanter dicit* pro vobis *Judæis, &* pro multis *ſcilicet Gentilibus. Vel* pro vobis *manducantibus, &* pro multis *pro quibus offertur*. Videatur in 1. ad Cor. cap. 11. lect. 6. Quare Sanguis Chriſti effuſus dicitur quo pro multis, & pro omnibus. Pro omnibus quoad ſufficientiam. 1. Joan. 2. v. 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius Mundi*: pro multis verò quò ad efficaciam, ſive ſint Judæi, ſive Gentiles, ſive Sacerdotes, qui offerunt, ſive pro quibus offertur.

XLV. Tertiò, profert Janſenius Concilium Valentinum III. ſub Leone IV. celebratum, quod cap. 4. damnat eos, qui Sanguinem Chriſti, *etiam pro illis impiis, qui à mundi exordio uſque ad Paſſionem Domini in ſua impietate mortui, & æternâ damnatione puniti ſunt, effuſum eſſe definiant*. Statuens pro illis datum eſſe hoc pretium, *quibus ipſe Dominus dixit, ſicut Moyſes exaltavit Serpentem in deſerto, ità exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in ipſo non pereat, ſed habeat vitam æternam*.

XLVI. Hoc idem confirmare conatur auctoritate Remigii cum ſua Eccleſia Lugdunenſi [*lib. de tenenda ſcript. veritate* in Auctario Biblioth. PP. t. 2.] ubi diſtinguit inter Infideles, qui aliquando convertentur ad fidem, & eos, qui in infidelitate ſunt morituri, & dicit: *pro illis confitendum, ſic factum eſſe, quod pro omnibus fidelibus factum conſtat. De cæteris verò, qui in ipſa infidelitate, atque impietate ſuâ perſeverantes ſunt perituri*, dicit, ut oſtendatur ex Scriptura, quòd *etiam de talibus Dominus paſſus ſit*, ut credatur. Quòd ſi non oſtendatur: *timeant ſtatuere, quod nullum Sanctorum Patrum Concilium, nullum Apoſtolicæ Sedis Pontificium, nullum Eccleſiaſticorum Dogmatum decretum hactenus inveniant ſtatuiſſe*. Et *Lib. de tribus epiſtolis* de infidelibus in infidelitate morientibus: *veriſſimè* (inquit) *credimus, & veriſſimè novimus, quòd nunquam Dominus paſſus, nunquam mortuus eſt, nec ad eos ſalvandos venit, nec pro eis pretioſum Sanguinem fudit*. Super quæ Janſenius, ait: *Non quòd ullo pacto negatum velit, pretium iſtud infinitum non eſſe ſufficiens ad redemtionem omnium omnino Infidelium, imo etiam dæmonum, omniumque damnatorum; ſed quòd eſſe paſſum, crucifixum, mortuum, ſe Redemtionem dediſſe, vel propitiatorem eſſe pro omnibus plus aliquid dicat, quàm nudè pretium ſufficiens obtuliſſe, quod iis applicari nolit. Illud enim indicat, intentione morientis pretium pro illis oblatum eſſe, ut ejus oblatione placatus Pater, eos re ipſa de ſervitute liberaret, non ſub iſta conditione* ſi ipſi velint, *qui niſi Deo donante velle non poſſunt; ſed* ut velint, *& credant potenter in eorum voluntatibus operando*. Hæc Janſenius.

XLVII.

Digitized by Google

XLVII. Fallitur tamen, nam Concilium Valentinum III. ſeculo nono, anno ſcilicet 855. celebratum, non negat, Chriſtum ſe obtuliſſe Redemtionem pro omnibus quoad ſufficientiam, ſed ſolùm quoad efficaciam; quo pacto putaverat, ſtatutum fuiſſe c. 4. Concilii Cariſiaci, nempe, quòd non eodem modo Chriſtus mortuus eſſet pro illis, qui ante ejus adventum mortui erant in infidelitate, ac pro illis, qui in fide ejus deceſſerant, ità ut illi eripiendi eſſent ex Inferno per Chriſtum, ſicut iſti ex Limbo. Quod (licèt falsò) in Concilio Cariſiaco ſtatutum exiſtimaverat. Ideòque non de omnibus impiis Valentini Patres loquuntur, ſed de iis tantùm, qui à mundi exordio uſque ad Paſſionem Domini deceſſerunt.

Hanc porrò, & non eam, quam illi affingit Janſenius, fuiſſe præfatæ Synodi mentem colligitur primò ex comparatione, quam adducit Serpentis, quem Moyſes exaltavit in deſerto, cum Chriſto: non enim æneus ille ſerpens pro quibuſdam ſolùm propoſitus dicitur, ſed pro omnibus, & ſingulis, qui percuſſi fuiſſent: ſic tamen, ut illi ſoli ſanarentur, qui eum aſpicerent, & culpa illorum eſſet, qui non ſanabantur, quia eum reſpicere nollent. Ità de Chriſti morte dicendum eſt. Pro omnibus eſt ille in Crucem exaltatus: ſed illi tantùm ſalvantur, qui *aſpiciunt in Auctorem fidei, & Conſummatorem Jeſum*, ut ait Paul. Hebr. 12. v.2.

Colligitur ſecundò ex iis, quæ c. 5. præfati Concilii habentur. Ibi enim ſic ſtatuitur: *Firmiſſimè credimus &c. Ex ipſa multitudine fidelium, & Redemtorum alios ſalvari æternâ ſalute, quia per gratiam Dei in Redemtione ſuâ fideliter permanent &c. alios, quia noluerunt permanere in ſalute fidei, quam initio acceperunt, Redemtioniſque gratiam potiùs irritam facere, pravâ doctrinâ, vel vitâ, quàm ſervare, elegerunt, ad plenitudinem ſalutis, & ad perceptionem æternæ beatitudinis nullo modo pervenire.* En Redemtionis gratiam omnibus ſaltem baptizatis, ſive electis, ſive reprobis collatam, quâ benè, vel malè uti, ſeu efficacem, vel irritam reddere poſſunt. Hæc certè non eſt gratia per ſe efficax, cui ſecundum Janſenium nunquam reſiſtitur, & ſine qua non poſſunt ſalvari: eſt ergo gratia ſufficiens, cum qua aliqui adhuc non ſalvantur, non quia non poſſunt, ſed quia nolunt. Multa de hoc agit noſter Alexandre *hiſt. Eccl. ſecul. 9. & 10. diſſert.* 5. §. 1.

XLVIII. Nec magis juvant Janſenium Remigius, & Eccleſia Lugdunenſis citata. Sciendum ergo eſt, Goteſchalchum quendam Orbacenſem Sueſſionenſis Diœceſis, profeſſione Monachum, ſtudio Gyrovagum, ac turbulentum anno 847. Prædeſtinatianorum antiquam hæreſim excitare conatum fuiſſe dicendo: Deum, ſicut quoſdam ad vitam æternam prædeſtinavit, ſic aliis mortem æternam decreviſſe, & cogere homines interire (qui Calvini etiam error eſt, præſertim lib.3. Inſt. c.23. §.7.) Rursùs, non eum velle omnes homines ſalvos fieri, ſed eos tantum, qui ſalvantur: Chriſtum pro electorum tantùm ſalute paſſum eſſe, non autem pro Redemtione omnium hominum; quem errorem modò excitavit Janſenius. Damnatus eſt Goteſchalchus, ejuſque confixus error in Synodis Moguntina anno 848. & Cariſiaca anno 849. & 853.

XLIX. Damnato Goteſcalcho, Eccleſia Gallicana in duas partes ſciſſa eſt; aliis Goteſchalchum prorsùs averſantibus, inter quos Hincmarus Archiepiſcopus Remenſis pro ſui gregis cautela opuſculum ſcripſit; aliis Perſonæ patrocinium ſuſcipientibus, non tamen erroris. His Eccleſia Lugdunenſis cum Archipræſule ſuo Remigio accedere viſa eſt, putans (fortè errore facti) Goteſchalcum non aliam, quàm Auguſtinianam doctrinam prædicare; negare in Deo voluntatem ſalutis omnium, & Chriſtum ſe dediſſe Redemtionem pro omnibus ſolum

eo

Digitized by Google

eo ſenſu, quo admittebant Semipelagiani. Uno Verbo. Exiſtimavit Eccleſia Lugdunenſis, eum negaſſe in Deo dumtaxat voluntatem efficacem ſalutis omnium, & Chriſti Sanguinem fuſum quoad efficaciam pro infidelibus. Sed ne dùm ſuo, verùm etiam noſtro ævo de Goteſchalchi doctrina controvertitur. Ipſum excuſant aliqui, & nimiæ ſeveritatis in ipſum Concilia Moguntinum, & Cariſiacum, & ipſum Hincmarum Remenſem accuſant. Alii Goteſchalchum, & doctrinam damnant. Videri poteſt P. Graveſon in ſuæ *hiſt. Eccleſ. tom.* 3. *colloq.* 3. *noni ſeculi pag.* 356. & Alexandre *hiſt. Eccleſ. ſeculi* 9. & 10. *diſſert.* 5. §. 6. & 7.

L. Ut ut tamen res ſit; Remigium, & Eccleſiam Lugdunenſem in ſui patrocinium infeliciter advocat Janſenius. Neque enim ea Celeberrima Eccleſia Chriſtum eſſe mortuum quoad ſufficientiam etiam pro infidelibus negare auſa eſt, ſed rem in medio reliquit, ut videre eſt in libro de tribus Epiſtolis citato c. 24. ubi ait: *Jam illud de Dominici Sanguinis pretio, quod pro his tantùm, qui credere voluerunt, datum ſit, manifeſtum eſt eorum beatorum Patrum ſententiâ, quam iſte* [Goteſchalchus] *ut putamus, & legendo didicerat, & damnare metuebat. Unde etſi inventi ſunt alii æquè Patres, qui illud glorioſum pretium etiam pro nunquam credituris, & in ſua impietate perituris, datum eſſe non abnuant, meliùs, ut credimus, utrique honorarentur, nec pro aliis alii damnarentur. Quia & illud manifeſtè divinâ auctoritate firmatum eſt, & iſtud ſi piè ſentitur, non eſt abnuendum*. Solùm ergo Lugdunenſis Eccleſia malè habebat, in Goteſchalcho damnatam fuiſſe doctrinam, quæ utrinque Patres haberet Patronos, & in utrâque parte Catholicè teneri poterat, & ut ſuperiùs vidimus, contra quam nullum *Apoſtolica Sedis Pontificium* afferri poterat. Contra quam cùm modò Apoſtolicę Sedis diplomata ſępiùs ſint locuta, injuſtè Eccleſiæ Lugdunenſis querelam uſurpant Janſeniſtæ.

LI. Demùm utrumque ſenſum de Chriſti Redemtione efficaci pro ſolis fidelibus, & ſufficienti pro omnibus, ab Eccleſia Lugdunenſi approbari, nec unum alterum excludere, manifeſtè declarat c. 28. ubi de Paulinis verbis: *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*, poſtquam ait, quòd Deus, ut benignus Creator, aliquos ſalvari voluit, & ut juſtus Judex ęternę perditioni tradidit. *Sicut ergo* [inquit] *& bonitatem ſuam in eis oſtendit, quia eos ſalvari voluit, & tamen bonitas ejus non impedivit ſeveritatem ejus, quâ eos juſtè damnavit: ità eadem bonitas ejus nullatenus impedivit prædeſtinationem ejus juſtitiæ, dùm quos ille ſalvos fieri voluit, & iniquos futuros ſemper præſcivit, & in iniquitate ſua permanſuros, juſtè ad interitum prædeſtinavit. Ità etſi pro omnibus, etiam in ſua impietate perituris Chriſtus mortuus eſt, ſic eis exhibuit bonitatem Paſſionis ſuæ, ut tamen hujuſmodi impios in ſua impietate permanſuros juſto ſuo judicio condemnaverit: ſicut ipſe ait:* Qui non credit, jam judicatus eſt. *Et ideò bonitas ejus, quâ etiam pro talibus paſſus creditur, non evacuavit erga eos prædeſtinationem ejus, quâ eos ſemper, & præſcivit in impietate ſuâ permanſuros, & prædeſtinavit juſtè perituros*. En Eccleſiam Lugdunenſem confitentem, Chriſtum nedùm erogaſse pretium ſufficiens pro impiis, ſed pro illis etiam illud dediſſe, nec ejus bonitatem evacuaſſe juſtitiam, quâ eos perituros prædeſtinavit: Ideòque prædeſtinavit eos perituros, quia præſcivit, ſe eis non donaturum, ut crederent, & ab impietate recederent.

LII. Quartum Janſenii fundamentum eſt. D. Auguſtinus, aliique Patres ſępiùs exponunt locum illum Pauli 1. Timoth. 2. *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*: ſed nunquam eum intelligunt de omnibus omninò; ergo &c. Min. probatur. Illum enim exponunt, vel primò per diſtributionem accommodam: ità ut Deus velit fieri ſalvos, non omnes abſolutè, ſed eos, qui ſalvantur;

ità

Digitized by Google

ità ut nullus ſalvus fiat, niſi quem velit. Secundò de omnibus per univerſalitatem incompletam, pro generibus ſingulorum, non pro ſingulis generum; ità ut velit ex omni genere, ſtatu, natione, ætate, ſexu ſalvos fieri, non omnes, ſed aliquos. Tertiò modo in ſenſu non formali, ſed cauſali: ità ut Deus non quidem velit, ſed faciat nos volentes omnes ſalvos fieri, & pro omnium ſalute rogantes: ſicut cum Rom. 8. v. 26. dicitur: *Ipſe Spiritus poſtulat pro nobis*, ſenſus eſt, quòd, faciat nos poſtulare. Has omnes expoſitiones tradit D. Auguſt. in *Enchiridio cap.* 103., & *lib. de corrept. & gratia cap.* 15. eaſque laudat D. Thomas tùm 1. *p. qu.* 19. *art.* 6. *ad* 1. tùm in *c.* 2. *pr. ad Timoth. lect.* 1. & alibi.

LIII. Reſpondeo primò, negando abſolutè min. ut enim ſuperiùs dictum eſt, teſte Eccleſia Lugdunenſi *cap.* 24. & 28. nuper laudatis, aderant Patres, qui præfatum locum de omnibus omnino hominibus interpretarentur.

LIV. Reſpondeo ſecundò communi ſolutione, interpretationes à Janſenio allatas non excludere eam, quam nos attulimus, & quam D. Thom. locis allatis affert, ex Damaſceno, & probat, & quam Eccleſia ſuæ auctoritatis pondere, præ aliis modò acceptat; cuique & Janſenius ſubſcriberet, ſi ejus obedientiæ ſe ſe ſubjicere, ſincerè proteſtatus eſt. Imò eam tacitè admittit Sanctus Auguſtinus. *In Enchiridio* enim *c.* 103. recitatâ primâ, & ſecundâ ex allatis expoſitionibus, ſubdit: *& quocumque alio modo intelligi poteſt, dùm tamen credere non cogamur, aliquid Omnipotentem Deum voluiſſe fieri, factumque non eſſe: qui ſine ullis ambiguitatibus, ſi* in Cœlo, & in Terra, *ſicut eum veritas cantat*, omnia quæcumque voluit fecit: *profectò facere noluit, quodcumque non fecit*. Solam ergo voluntatem efficacem ſalutis omnium excludit Auguſtinus, non antecedentem, & inefficacem, qualem nos ſtatuimus. Imò ne ſibi contradicat, eam admittere credendus eſt, dum ut ſupra obſervavimus *lib.* 6. *contra Julian. c.* 4. ex eo, quòd Chriſtus pro omnibus mortuus eſt, probat, omnes peccato mortuos eſſe.

Ideò autem ab hac voluntate generali ſalutis omnium abſtinuit Auguſtinus, quia agebat contra Pelagianos, & Semipelagianos; qui cùm circa ſalutem omnium non ponerent in Deo niſi voluntatem generalem, benè ſequebatur, quòd, cùm non omnes ſalventur, aliquid non fieret, quod fieri Omnipotens voluiſſet. At in noſtra doctrina, quâ præter voluntatem generalem ſalutis omnium, ponimus voluntatem ſpecialem in Deo de non ſalute aliquorum, non ſequitur, quòd aliquid non fiat, quod Omnipotens fieri voluit: Sed potiùs, quod non fiat, quia Omnipotens voluntate efficaci noluit fieri. Quod benè notandum eſt.

LV. Porrò, ut circa mentem Sancti Auguſtini omnis ſcrupulus auferatur, advocare placet in teſtem fideliſſimum ejus diſcipulum D. Proſperum. Sanctus ergo Proſper, audiens Semipelagianos Gallos calumnioſè traducere doctrinam Magiſtri ſui Auguſtini jam mortui, ejus defenſam ſuſcipiens, librum edidit, quem inſcripſit: *Pro Auguſtino reſponſiones ad capitula objectionum Gallorum calumniantium*. In quo relatis Gallorum objectis, ſingulis reſponſiones, quin & ſententias opponit. Inter objectiones autem Gallorum calumnioſè Auguſtino imponentium, octava erat, quòd in doctrina Auguſtini, *non omnes homines velit Deus ſalvos fieri*. Et nona: *Quod non pro totius Mundi Redemtione Salvator ſit crucifixus*. His reſpondet Proſper. Primæ quidem afferendo verba Pauli 1. Tim. 2. *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*. 1. Tim. 4. 10. *Qui eſt Salvator omnium, maximè fidelium*: verba Chriſti Matth. 28. v. 19. *Euntes ergo docete omnes gentes &c.* alioſque, tum ex novo, tùm ex veteri Teſtamento textus. Et poſt multa: *omnium ergo* (inquit) *cura eſt Deo, & nemo eſt, quem non, aut evangelica prædicatio, aut legis teſtificatio, aut ipſa etiam natura conveniat. Sed*

Digitized by Google

infidelitatem hominum ipſis adſcribamus hominibus: fidem autem hominum donum Dei eſſe fateamur. Nonæ etiam objectioni reſpondet. Quòd *nullus eſt ex hominibus, cujus natura in Chriſto ſuſcepta non fuerit*. Quòd *rectiſſimè dicitur Salvator Mundi pro totius Mundi Redemtione crucifixus*. Quòd poteſt dici: *pro his tantùm Crucifixus, quibus mors ipſius profuit*: poteſt tamen etiam dici, *Redemtor Mundi dedit pro Mundo Sanguinem ſuum, & Mundus redimi noluit, quia lucem tenebræ non receperunt*.

LVI. Similia objiciebat contra Auguſtini doctrinam Vincentius (qui an fuerit celebris Lirinenſis auctor Commonitorii, ab aliquibus creditus Semipelagianiſmo infectus, an verò alius, ſub judice adhuc lis eſt) dicebat enim, ex ea ſequi, quòd Chriſtus *non pro omnium ſalute, & Redemtione ſit paſſus*. Quod *Deus nolit omnes ſalvare, etiamſi omnes ſalvari velint*. Ut conſtat objectione primâ, & ſecundâ; quæ omnia D. Proſper in reſponſione ad capitula objectionum Vincentianarum falſa eſſe demonſtrat, & in præfatione vocat: *ineptiſſimarum blaſphemiarum prodigioſa mendacia, diabolica, impia, prophanas opiniones*, quarum in corde ſuo nullum extat veſtigium, imò quæ à ſua profeſſione tanquam blaſphemiæ damnantur.

Sic ergo diſcurro. Vincentius, & Galli Semipelagiani non accuſabant D. Auguſtinum, quòd negaret Sanguinem Chriſti eſſe pretium ſufficiens pro ſalute omnium hominum etiam reproborum, imò & ipſorum dæmonum; ut omnes, vel de facto ſalvarentur, ſi efficaciter, vel ſalvari poſſent, ſi ſufficienter eis applicaretur; de hoc enim nullus dubitavit unquam: Sed calumniabantur Auguſtinum, quòd negaret, Chriſtum veram, ac ſinceram voluntatem habuiſſe ſalutis reproborum, & noluiſſe, ut pretium mortis ſuæ eis, ne quidem ſufficienter, applicaretur. Quod fatetur Janſenius ipſe *lib. 7. hiſt. Pelag. cap. 15.* ergo cum S. Proſper aſſerit, hanc eſſe meram calumniam, prodigioſum, diabolicum, mendacium, vult, mentem Auguſtini fuiſſe, quòd Chriſtus ità pro omnibus hominibus mortuus ſit, ut verâ, ac ſincerâ voluntate voluerit pretium mortis ſuæ omnibus ſufficienter applicari, & oppoſitum credere ſit *dogma prophanum, impium, blaſphemum, diabolicum*; illudque Auguſtino tribuere, *malignum, & prodigioſum mendacium, ad excitandam* contra ipſum *invidiam jactitatum*. Quantò autem magis diabolicum erit id, quod addidit Janſenius, Chriſtum nempè non magis mortuum eſſe pro ſalute reproborum, quàm pro ſalute dæmonum.

LVII. Nec ſatisfit dicendo, D. Proſperum ſolùm voluiſſe, Chriſtum eſſe mortuum pro omnibus, in quantum aſſumſit naturam humanam omnibus communem, & peccato originali infectam; ut ait reſpondens objectioni 9. Gallorum.

LVIII. Nam Semipelagiani Galli non accuſabant Sanctum Auguſtinum, quòd negaret, Chriſtum in hoc ſenſu pro omnibus mortuum, quòd naturam humanam omnibus communem non aſſumſerit. Etenim, nec de Incarnatione controverſia erat, nec ſuſpicari poterant, Auguſtinum negare à Chriſto aſſumtam naturam in omnibus hominibus peccato infectam, quamvis ſine peccato: ſed Auguſtinum malignè traducebant, quaſi negaſſet, naturam humanam à Chriſto fuiſſe aſſumtam ex animo, & ſincerâ voluntate omnes ſalvandi, niſi ex parte ſua impedimentum ponerent. Cujus oppoſitum oſtendit S. Proſper reſponſ. ad 9. object. Gallorum, dùm oſtendit, rationem, cur non redimantur Reprobi ex parte ipſorum eſſe, non ex parte Chriſti, qui *dedit pro mundo Sanguinem ſuum, & mundus redimi noluit*; qui (in reſponſ. ad 1. object. Vincentianam) *poculum* confecit *de infirmitate noſtrâ, & virtute divinâ, habens quidem in ſe ut omnibus proſit; ſed ſi non bibitur, non medetur*. Sentit ergo Proſper, quòd ſi

ſi poculum Sanguinis Chriſti Reprobis non prodeſt, non eſt defectu voluntatis in Chriſto, qui pro omnibus illud confecit, ſed ex defectu voluntatis eorum, qui labia applicare nolunt Calici, qui, *ſi non bibitur, non medetur*.

LIX. Advertendum tamen eſt, quòd dùm in Chriſto aſſerimus ſinceram voluntatem ſalvandi Reprobos, & pro eis etiam Sanguinem fudiſſe, nòn ſumimus Reprobos reduplicativè quatenùs Reprobi, ſicut nec infideles, aut peccatores, quatenùs tales, quia ſub hac reduplicatione ſunt ſalutis incapaces. Sed ſumimus eos ſpecificativè, quatenùs homines, ſub qua ratione ſunt capaces ſalutis; & propterеà ad eam obtinendam auxilia ſufficientia omnibus conferri dicimus ex voluntate generali ſalutis omnium. Et hæc adnotatio regula eſſe poteſt ad plura Conciliorum, & Patrum dicta exponenda.

LX. Quintò objicitur. Chriſtus mortuus non eſt ſaltem pro parvulis, qui abſque Baptiſmo moriuntur; ergo &c. ant. probatur. Quia iſtis nullum remedium Paſſionis Chriſti adhuc ſufficiens confertur, cùm non conferatur Baptiſmus, non vocatio ad fidem, cùm iſtius ſint incapaces.

Hoc argumentum, quia ſpecialem excitat difficultatem, ſpecialiter tractandum eſt. Sit ergo &c.

§. VI.

An etiam pro parvulis decedentibus ſine Baptiſmo mortuus ſit Chriſtus.

LXI. Parvulos ad Regnum Cœlorum non pertinere docebant Hieracitæ hæretici, teſte S. Auguſtino *lib. de hæreſ. cap.* 47. *quia non ſunt illis ulla merita certaminis, quo vitia ſuperentur*. Sed hoc eſt contra illud Chriſti Matth. 19. v. 14. *Sinite parvulos . . . venire ad me, talium eſt enim Regnum Cœlorum*. Propterеà eos non excludit à gratia Chriſti Redemtoris, qui etiam pro illis à peccato originali liberandis Baptiſma inſtituit, ac præparavit. At quid ſi antequam Baptiſmo tingantur, præveniantur morte?

LXII. Pelagiani, quia negabant, originale peccatum à pueris contrahi, dicebant, parvulis neceſſarium eſſe Baptiſmum; non quidem ob remiſſionem peccatorum, ſed ſolùm propter Regnum Cœlorum: & propterеà illis ſine Baptiſmo decedentibus promittebant quidem ſalutem, & vitam æternam, ſed extra Regnum Dei, ut teſtatur S. Auguſtinus *lib.* 1. *contra duas epiſt. Pelagianorum c.* 22.

LXIII. Jo. autem Calvinus, eſto peccatum originale in pueris admittat, adhuc ſuſtinet, pueros ex parentibus fidelibus natos, & ſi ſine Baptiſmo decedant, adhuc ſalvari ex pacto. Ità *lib.* 4. *inſt. cap.* 15. §. 22. *Non arceri* [inquit] *à Regno Cœlorum infantes, quos è præſenti vitâ migrare continget antequam aquâ mergi datum fuerit*. Ubi Pelagianis impior eſt Calvinus. Illi enim, quamvis peccatum originale non admitterent, excludebant tamen pueros non baptizatos, etſi non à vita æternâ, ſaltem à Regno Cœlorum: iſte, etſi peccato originali eos fateatur infectos, & ad vitam æternam, & ad Regnum Cœlorum introducere non veretur.

LXIV. Catholica tamen Eccleſia credit, pueros non baptizatos, ex quibuſcumque parentibus etiam fidelibus nati ſint, damnationem incurrere. Ità S. Auguſtinus lib. 2. *Operis imperfecti contra Julian cap.* 117. Domini ſententia eſt *Joan.* 3. *v.* 5. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non poteſt introire in Regnum Dei; cui non reſiſtit, niſi non Chriſtianus*, ait S. Auguſtinus *ſerm.* 294. *aliàs* 14. *de Verbis Apoſtoli*, qui eſt de Baptiſmo parvulorum c. 8.

LXV. Hinc difficultas propoſita oritur, an pro his parvulis, qui ſine Baptiſmo decedentes damnantur, mortuus ſit Chriſtus ex vera, & ſincera voluntate eos ſalvandi, rationibus allatis in contrarium militantibus.

Gregorius Ariminenſis, & quidam alii ex Antiquis putarunt, Deum abſolutè nolle illos ſalvare, nec pro ipſorum ſalute Chriſtum mortuum eſſe. Nunc autem inter Catholicos communis doctrina eſt, Deum ſalvare velle generali voluntate omnes, ſive adultos, ſive parvulos, & pro omnium ſalute Chriſtum Sanguinem fudiſſe. Quare

LXVI. Dico. Chriſtus Dominus mortuus eſt generali voluntate ſalvandi omnes parvulos, etiam eos, qui moriuntur ſine Baptiſmo. Hoc evincunt omnia teſtimonia Sacræ Scripturæ ſuperiùs adducta. Primò illud Pauli 1. *ad Timoth.* 2. *v.* 4. univerſaliter, & ſine ulla reſtrictione dicentis, quod Deus *vult omnes homines ſalvos fieri*, apertè indicat, nec parvulos excludi: *Nunquid* enim *homines non ſunt* [parvuli] *ut non pertineant ad id quod dictum eſt*: omnes homines vult ſalvos fieri? (ità egregiè S. Auguſtinus *lib.* 4. *contra Julian. c.*8.) Neque obſtat, quod D. Paulus addit: *& ad agnitionem veritatis venire*; cujus pueri ſunt incapaces. Nam & pueri dùm ad Baptiſmum veniunt, ad cognitionem veritatis ſuo modo accedunt, habitu ſcilicet, non actu, recipiunt enim ſanctificantem gratiam, quæ eſt radix fidei; quia ut ait D. Auguſtinus *lib.* 1. *de peccatorum meritis, & remiſſione c.* 27. in illis idem eſt baptizari, quod credere. Et ſi poſt Baptiſmum moriantur veniunt ad veritatis agnitionem etiam actu, quia per Baptiſmum perveniunt ad Regnum Cœlorum, ubi eſt certa, & actualis cognitio veritatis. Ut docet idem S. Auguſtinus *lib.* 4. *contra Julian. c.*8.

LXVII. Hoc idem ſecundò evincit, quod Paulus addit, nimirum *Unus enim Deus*. Cum enim ipſe ſit unus omnium Deus, qui homines ad æternam ſalutem ordinavit; ad ipſum pertinet habere curam de omnibus, ac proinde velle eis media, queis ad talem finem poſſint pervenire. Rursùs: cum poſt hominum lapſum unicus ſit Mediator Dei, & hominum Chriſtus Jeſus, qui dedit ſemetipſum Redemtionem pro omnibus, ex vera, ac ſincera ſalutis omnium voluntate: nec Deus ſit magis Deus adultorum, quàm parvulorum, ſicut nec Chriſtus magis Mediator pro adultis, quàm pro parvulis; æquum eſt, ut Deus velit ſalutem etiam parvulorum, & pro iſtis etiam Chriſtus ſe ſe obtulerit Mediatorem ad eorum ſalutem.

LXVIII. Idem tertiò evincit ejuſdem Pauli illatio 2. Corinth. 5 v. 14. *Si unus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt*: quibus verbis S. Auguſtinus *lib.* 6. *cap.* 4. ſic Julianum Pelagianum perſtringit: *Vide, quia conſequens eſſe voluit, ut intelligantur omnes mortui, ſi pro omnibus mortuus eſt... Quapropter ſi nullum trahunt peccatum parvuli, non ſunt mortui: ſi non ſunt mortui, non eſt mortuus pro eis, qui non eſt mortuus niſi pro mortuis. Tu autem in primo tuo libro contra nos clamans dixiſti, Chriſtum etiam pro parvulis mortuum. Nullo modo igitur negare permitteris, eos trahere originale peccatum.*

Liceat mihi Auguſtini conſequens pro antecedenti aſſumere, & Janſeniſtam arguere ſic. Si omnes etiam parvuli mortui ſunt; ergo pro parvulis etiam mortuus eſt Chriſtus, qui pro omnibus mortuis eſt mortuus. Tu concedis, quòd omnes etiam parvuli mortui ſint; & in originali peccato mortui naſcantur; ergo nullo modo negare permitteris, Chriſtum etiam pro eis eſſe mortuum.

LXIX. Quartò idem evincit ratiocinium, quo utitur idem Sanctus Auguſtinus *contra Julian. lib.* 4. *c.*8. Deus ex ſua benevolentiâ vult ſalutem omnium adultorum, quamvis ex his aliqui ſint peccatores, & non prædeſtinati, ut ſuperiùs viſum eſt; ergo multò magis ex ſua benevolentia vult ſalutem omnium parvulorum, quamvis ex his aliqui ſint abſque Baptiſmo deceſſuri, & damnandi. Conſequ. probatur. Alioquin benevolentior eſſet Deus hominibus impiiſſimis, ac ſceleratiſſimis,

mis, quàm innocentiſſimis ab omni labe peccati actualis, & perſonalis: *Intolerabilior* (ait Sanctus Auguſtinus) *ſequetur abſurditas. Iſto enim modo benevolentiorem facis Deum omnibus impiiſſimis, & ſceleratiſſimis hominibus, quàm innocentiſſimis, & puriſſimis ab omni labe peccati.* Quod inconveniens urget quoque contrarios, qui eſto velint, parvulos peccato originali ſordidatos, & non ab eo immunes, quod volebat Julianus, negare tamen non poſſunt eſſe innocentiſſimos ab omni labe peccati actualis, & perſonalis; cùm adulti peccatores, & infideles ſint, & peccato originali, & inſuper peccatis actualibus, & perſonalibus maculati.

LXX. Sed quomodo ſalvabimus, Deum voluntate etiam generali velle ſalutem parvulorum, etiam decedentium ſine Baptiſmo, cùm iſtis non conferatur ullum remedium Paſſionis Chriſti adhuc ſufficiens, ut ſuperiùs probabat arguens?

Quomodò rursùs eos ſalvari poſſe ſuſtinebimus, cum Auguſtinus *lib. de natura, & gratia contra Pelagianos c.* 8. dicat: *Ego autem dico, parvulum natum in eo loco, ubi ei non potuit per Chriſti Baptiſmum ſubveniri, morte præventum, ideircò talem fuiſſe, ideſt ſine lavacro regenerationis exiſſe, quia eſſe aliud non potuit?* & paulò poſt de eodem parvulo concludat: *Rectè ergo eâ damnatione, quæ per univerſam maſſam currit, non admittitur in Regnum Cœlorum, quamvis Chriſtianus non ſolùm non fuerit, ſed nec eſſe potuerit?*

Quid inſuper, cum D. Proſper carmine de ingratis contra Pelagianos c. 31. dicat:

> *Cum videas multos Sanctis genitoribus ortos,*
> *Nullo ſalvari ſtudio potuiſſe ſuorum?*

LXXI. Ut hiſce reſpondeam, obſervo, quòd Baptiſmi collatio, eſto in iis, qui ad adultam ætatem, aut ſaltem uſum rationis perventuri ſunt, poſſit anumerari inter gratias ſufficientes procedentes ex generali voluntate ſalutis ejus, qui baptizatur, quia in eo non habet connexionem infallibilem cum ſalute: In puero tamen, qui baptizatur, vel ſtatim, vel ante uſum rationis morituro, gratia efficax, & ſpecialis eſt procedens ex voluntate conſequente, & ſpeciali ſalvandi illum; ideòque eſt effectus prædeſtinationis illius cum ſalute infallibiliter connexus: & ab oppoſito denegatio Baptiſmi puero ſtatim morituro, qui in talibus circumſtantiis ponatur, ut antequàm moriatur baptizari non poſſit, eſt illi denegatio gratiæ efficacis proveniens ex voluntate conſequente, ut effectus Reprobationis illius. Unde ſicut, ſi puer ſucepto Baptiſmo moriatur, verificatur quidem, quòd non damnabitur, non autem, quòd non potuerit damnari; ità ſi puer ſit mortuus, & illi deſit Baptiſmus, verum erit, quòd non ſalvabitur: ſed quòd non potuerit ſalvari ex alio principio ſumendum eſt. Nego igitur antecedens, quod iſtis non adſit ullum remedium ad eorum ſalutem ſufficiens: Iſto enim modo, ut ajebat Sanct. Auguſtinus ſupra laudatus *lib. 4. contra Julianum cap.* 8. eſſet Deum benevolentiorem facere hominibus impiiſſimis, & ſceleratiſſimis, pro quibus etiam Chriſtus mortuus eſt, ut oſtendimus, & quibus dantur remedia ſufficientia ad ſalutem, quàm innocentiſſimis, & puriſſimis ab omni labe peccati ſaltem actualis, & perſonalis.

LXXII. Quomodo autem dici poſſit, pueros decedentes ſine Baptiſmo poſſe ſalvari, & iis remedium ſaltem ſufficiens adeſſe, labor eſt.

Dicunt propterea multi: ut Deus voluerit ſalutem omnium parvulorum voluntate generali, ſatis fuiſſe, ut Baptiſmum etiam pro illis inſtituerit; ità ut per ſe loquendo omnibus conferri poſſit, quamvis per accidens ex voluntate conſequente non ſalvandi aliquos, non ſit conferendus iis, qui, vel moriuntur in utero Matris, vel in loco, ubi aqua pro Baptiſmo haberi

Digitized by Google

non poſſit, vel in partibus infidelium, qui nullam prorſus habent Baptiſmi notitiam. His enim, quamvis Baptiſmus non ſit applicandus, quia illis voluntate conſequente non volitus, eſt tamen abſolutè applicabilis, quia volitus voluntate antecedente.

LXXIII. Neque dicas: quòd ſi Deus ſincerè vellet talium parvulorum ſalutem, & pro eis verè præparaſſet remedium Baptiſmi, deberet facere, ut illis de facto poſſet applicari, & removere impedimenta obſtantia: qui enim verè, & ſincerè vult finem, vult etiam, ſi poteſt, removere obſtacula, quæ impediunt talis finis conſecutionem.

LXXIV. Nam hoc quidem valeret, ſi ſalus talium parvulorum ſupponeretur à Deo volita voluntate efficaci, & conſequente, & attentis omnibus circumſtantiis; ſecùs verò ſi ſupponatur volita ſincerè quidem, ſed voluntate ſolùm antecedente, & reſpiciente eorum ſalutem præciſam à circumſtantiis: ſic enim ſufficit, ut eos non excluſerit à præparatione remedii, & remedium ſit illis abſolutè applicabile, quamvis de facto non ſit illis exercitè applicandum: ex quo ſequitur, eos quidem non eſſe ſalvandos, non tamen non poſſe potentiâ antecedente ſalvari, potentiâ, eſto in illis non receptâ, illis tamen oblatâ, & pro illis præparatâ. Quod ſi ad ſinceram voluntatem ſalutis eorum neceſſe foret, ut Deus removeret de facto impedientia conſecutionem, ſequeretur, Deum neque ſincerè velle ſalutem adultorum, qui de facto non ſalvantur; eò quia non removet obſtacula eorum ſalutem impedientia. Sicut ergo hæc non removet in adultis, quia ea removere non pertinet ad voluntatem antecedentem ſalutis, ſed ad conſequentem; ità in caſu non tenetur removere, aliàs eorum ſalutem vellet, voluntate non antecedente ſolum, ſed conſequente; quia de facto ſalvarentur. Ita probabiliter diſcurro.

LXXV. Alii verò dicunt, adultis conferri auxilia ſufficientia, & etiam parvulis, cum hoc diſcrimine; quòd adulti hæc auxilia recipiunt in ſe ipſis, quia ſunt capaces ſalvari per ſe ipſos: parvuli verò non recipiunt, niſi in parentibus ſuis, vel aliis, quia non ſunt capaces ſalvari, niſi per alios. Dicunt enim, quòd ſicut ſi adultus faciat, quod eſt in ſe, ductum rationis ſequens, certiſſimè tenendum eſt, quòd ei Deus, vel per internam illuſtrationem revelaret ea, quæ ſunt ad credendum neceſſaria; vel aliquem Prædicatorem ad ipſum dirigeret, ſicut miſit Petrum ad Cornelium Actor. 10. ut docet D. Thomas *qu.* 14. *de verit. art.* 11. *ad* 1. Ità credendum eſt tanquàm omnino certum, quòd ſi parentes prædictorum parvulorum, quibus eorum cura à Deo commiſſa eſt, facerent, quod in ſe eſt ex viribus gratiæ declinantes à malo, & facientes bonum juxta dictamen rectę naturalis rationis, non permitteret Deus, eorum parvulos mori, quòuſque, vel per hominem, vel per Angelum de Cœlo miſſum baptizati fuiſſent: vel Deus ipſe immediatè eos ſanctificaret, ut moriendo ſalvarentur.

LXXVI. Hanc doctrinam clarè inſinuans D. Thom. 3. *p. qu.* 68. *art.* 11. *ad* 1. *Dicendum* (inquit) *quòd pueri in maternis uteris exiſtentes, nondùm prodierunt in lucem, ut cum aliis hominibus vitam ducant: unde non poſſunt ſubjici actioni humanæ, ut per eorum Miniſterium Sacramenta recipiant ad ſalutem. Poſſunt tamen ſubjici operationi Dei, apud quem vivunt, ut quodam Privilegio gratiæ ſanctificationem conſequantur, ſicut patet de ſanctificatis in utero.*

Quæ ſecutus Vega in Concil. Trid. *lib.* 15. *cap.* 16. ſub finem. *Abſit* (inquit) *ut quemquam nunc deſtitutum omni remedio credamus. Poſſunt parvuli ſive in uteris maternis periclitantes, ſive alibi, ubi eis conferri nequit Baptiſmus, per flaminis Baptiſmum ſalvari. Et hactenus valere apud Deum poſſunt parentum preces, & aliorum juſtorum;*

rum;

Digitized by Google

rum ; ut qui ſecundùm curſum naturalem morituri erant ſine Baptiſmo , ſive intra uterum matrum , exeant in lucem , & ſupervivant , quòuſque gratiam Baptiſmi participent. Et in hunc finem religioſiſſimum eſſet admonere parentes , ut pro filiis adhuc in uteris maternis incluſis jugiter orent ; & Sanctis , ac piis Viris , amicìſque ſpiritualibus idipſum obnixè commendent.

LXXVII. Scio, innumeros eſſe parentes infideles, qui de ſuis parvulis Baptiſmo tingendis neque cogitent, imò eos à Baptiſmo arcere parati ſint. Sed hoc eorum, vel ignorantiæ, vel obſtinationi in culpam vertendum eſt. Si enim ex gratia, quæ illis non deeſt, facientes quod in ſe eſt, ſalvarentur, ſic facientes quod in ſe eſt, ſalutis ſuorum parvulorum ſufficientiam præberent. Quod præſtitit Idololatra ille apud Indos Occidentales in loco dicto Tubara, qui coram S. Ludovico Bertrando ibi concionante ſe ſiſtens, partumque jam moriturum cum clamore præſentans, Baptiſmum pro eo à S. Viro poſtulabat, aſſerens (ut interpres retulit) ſe à bono genio ſupra montem fuiſſe admonitum, Patrem ad ea loca fuiſſe miſſum pro ſalute hominum, qui ſi effunderet aquam ſuper caput parvuli, ſalvaretur, & in quodam Paradiſo beatus eſſet. Quod cum Sanctus Ludovicus ſtatim executus eſſet, momento immediatè ſequenti infans expiravit. Hoc modo, vel aliis ſibi cognitis pium eſt credere, Deum omnibus parvulis proviſurum, ſi parentes auxiliis ad eorum ſalutem datis benè uterentur.

LXXVIII. Hoc idem priùs docuerat Auctor librorum *De Vocatione Gentium* (ſive is fuerit S. Proſper, ſive S. Ambroſius, ſive S. Leo, ſive alius quicumque ignotus) *lib. 2. c. 23.* his verbis: *Cùm quærimus, quomodò omnes homines ſalvos fieri velit, qui non omnibus illud tempus impertit, in quo per voluntariam fidem percipiendæ gratiæ ſunt capaces. Non irreligioſè arbitror credi, nec irrationabiliter intelligi, quod iſti paucorum dierum homines ad illam pertinent gratiæ partem, quæ ſemper univerſis impenſa eſt nationibus: quâ utique ſi benè eorum uterentur parentes, etiam ipſi per eoſdem juvarentur.* Et paulò poſt ſubdit. *Sicut autem circa majores præter illam generalem gratiam parciùs, atque occultiùs omnium hominum corda pulſantem, excellentiore opere, largiore munere, potentiore virtute vocatio ſpecialis exoritur: ità etiam circa innumeros parvulos eadem manifeſtatur electio. Quæ quidem nec illis, qui renati non ſunt, in parentibus defuit, ſed iis, qui renati ſunt præ parentibus adfuit; ità ut multis ſæpè, quos ſuorum impietas deſeruit, alienorum cura ſervierit: & ad regenerationem venerint per extraneos, quæ eis non erat providenda per proximos.* Quibus patet, quàm antiquum ſit, Deum velle omnium ſalutem, etiam parvulorum, qui non baptizantur, & ad hoc tribui auxilia ſufficientia eorum parentibus, & aliquando etiam extraneis, ſi iſti deſides ſint, ut curam ſalutis eorum gerant.

LXXIX. Neque in hac parte DD. Auguſtinus, & Proſper contrarii ſunt. Diſtinguenda eſt enim duplex poſſibilitas. Una quę cum effectu conjungitur, & provenit à gratia efficaci, quæ dat *potentiam poſitionis*. Altera quæ cum effectu non conjungitur, & provenit à gratia ſufficiente, quæ dat potentiam poſſibilitatis. Utriuſque meminit Sanctus Auguſtinus adversùs Pelagianos, ſcribens. Prioris *in lib. 8. de natura, & gratiâ c. 42.* ubi ait: *Neque de ipſa poſſibilitate contendo, cum ſanatâ, & adjutâ hominis voluntate, poſſibilitas ipſa ſimul cum effectu in Sanctis proveniat:* quibus adjutorium gratiæ efficacis, ſeu potentiam poſitionis inſinuat. Alterius verò *lib. 2. de peccat. merit. & remiſſ. cap. 17.* his verbis: *Cum voluntatem humanam gratiâ adjuvante divinâ, ſine peccato in hac vitâ poſſit homo eſſe, cur non ſit; poſſem facillimè, ac veraciſſimè reſpondere; quia homines nolunt.* Enim verò. Quod

Quod nam eſt hoc adjutorium gratię, quo homo poteſt agere, & non agit, quia non vult, niſi adjutorium gratię merè ſufficientis?

Igitur quando Sanctus Auguſtinus, & Proſper dicunt, hujuſmodi parvulos non potuiſſe ſalvari, loquuntur de potentia cum effectu conjunctâ, ſeu de potentia poſitionis; non de potentia, quæ cum effectu non conjungitur, ſeu meræ poſſibilitatis. Aderat enim in parentibus, & aliis potentia eos baptizandi, & ſalvandi; ſed ideò baptizati, & ſalvati non ſunt, quia debitam diligentiam adhibere noluerunt. Quare lib. de Dono Perſeverantiæ c. 12. *Aut* (inquit) *Parentum negligentia ſic tribuendum eſt, quod parvuli ſine Baptiſmo moriuntur, ut nihil ibi agant ſuperna judicia:* dantia nimirum gratiam efficacem, quâ baptizarentur: & hoc ideò, quia propriis viribus confiſi, eam à Deo petere neglexerunt. Et propterea Sanct. Proſper dicit, quandoque parvulos non poſſe ſalvari ſtudio ſuorum parentum, quamvis Sanctorum, quia loquitur de ſtudio ex libero arbitrio procedente, ut putabant Pelagiani, quo ſolo ſine gratia, certum eſt, parentes non poſſe ſalutem ſuorum parvulorum mereri, aut procurare: unde dixerat c. 30. de ingratis.

Sed qui judicium arbitrii, meritumque tueris;
Quique hominum ſtudiis adſcribis dona vocantis.

DUBIUM III.

An ex voluntate antecedente ſalutis omnium omnibus adultis conferantur auxilia ſufficientia.

§. I.

Errores, ac opiniones.

I. Quamvis hujuſmodi queſtio in tractatu de gratia agitari ſoleat, ad exactam tamen notitiam voluntatis antecedentis ſalutis omnium, quam in Deo ſtatuimus, & ex qua Chriſtum pro omnibus mortuum eſſe diximus; poſtquàm de parvulis locuti fuimus, etiam de adultis hoc idem quærere operæ pretium duximus, an ſcilicet adſint omnibus auxilia ſufficientia, quibus ſalutem conſequi poſſint.

II. Janſenius, ut ſupra obſervavimus, *lib. 3. de gratia Chriſti Salvatoris cap. 13.* negat omnibus adeſſe gratiam, quâ præceptorum obſervantia poſſibilis fiat; imò hanc non tantùm infidelibus, excæcatis, induratis, ſed fidelibus quoque, & juſtis deeſſe: ex quibus infert ſuam primam inter damnatas propoſitionem: *Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus, & conantibus ſecundùm præſentes, quas habent vires ſunt impoſſibilia, deeſt quoque illis gratia, quâ poſſibilia fiant.*

III. Hunc errorem priùs evulgaverant Lutherus, & Calvinus, quem omnes eorum gregales amplexi ſunt, aſſerentes, præcepta Dei hominibus etiam juſtis eſſe impoſſibilia, præſertim duo, nempe præceptum de diligendo Deo ex toto corde, & præceptum de non concupiſcendo. Dicunt tamen, horum tranſgreſſione non obſtante, homines ſalvari, quia non imputatur, ſed Chriſti juſtitia tegitur. Qui error in tractatu de Juſtificatione refellitur, fuitque damnatus à Tridentino ſeſſ. 6. can. 18. *Si quis dixerit, Dei præcepta homini etiam juſtificato, & ſub gratiâ conſtituto, eſſe ad obſervandum impoſſibilia, anathema ſit.*

Quare Catholici Doctores, loquendo maximè de hominibus juſtis, concordes docent, nulla præcepta eſſe eis impoſſibilia, ſed omnibus adeſſe gratiam, quâ eorundem obſervatio poſſibilis ſit, & hoc poſt damnationem Janſenii omnes fatentur,

IV. At ſi de aliis hominibus ſermo ſit, non ità conſentiunt. Quanquam enim conſentiant omnes, quòd, ſi inſtante obligatione præcepti non daretur ſufficiens gratia, tranſgreſſio non impu-

imputaretur ad culpam, nec eſſet in ſe peccatum, niſi fortè in cauſa; attamen, an omnibus dentur, vel proximè, vel remotè auxilia, vel efficacia, vel ſufficientia ad omnium præceptorum obſervantiam, & ad æternam ſalutem, diviſi ſunt.

V. Quidam enim, dùm quæritur: an Deus det omnibus auxilia ſufficientia, dicunt, verbum *dare*, poſſe accipi, vel ut eſt correlativum ad *recipere*, & quatenùs connotat actualem eorundem intrinſecam receptionem: vel ut ſignificat idem, ac *offerre* in communi, ſeu paratum eſſe, ea quantum ex ſe eſt conferre. Hoc ſecundo modo dicunt, Deum omnibus illa dare, quia omnibus illa vult, pro omnibus præparat, omnibus quantum eſt ex ſe offert, ac exhibet. At primo modo negant: non enim in omnibus auxilia etiam ſufficientia de facto conferuntur, aut in omnibus recipiuntur; ſed multi eorundem actuali receptione privantur in pœnam peccati ſive perſonalis, ſive originalis ſaltem. Quod maximè contingere autumant in infidelibus, & peccatoribus excæcatis, & obduratis. Ità inter cæteros Gonetus, tùm in hoc *tract. diſp.4. art.5.* tùm de *Prædeſt. diſp. 5. art.5.*

VI. Alii tamen, & quidem meo videri veritati proximius, aſſerunt, omnibus omnino hominibus, etiam infidelibus, peccatoribus excæcatis, & obduratis de facto, nedùm offerri, ſed conferri, & in omnibus, ac ſingulis reipsâ recipi auxilia ad ſalutem ſufficientia, ſive proximè, & immediatè, ſive ſaltem remotè, & mediatè. Hanc Patres Salmanticenſes *tract.* 14. *qu.*3. *diſput.*6. *de gratia efficaci dub.* 3. proponunt, & tuentur, ut inter Thomiſtas, alioſque magis receptam, multorumque auctoritate eam confirmat Bancel. *de voluntate ſalutis omnium qu.* 4. *art.* 1. §. 1. cum quibus.

§. II.

Reſolutio Dubii contra quoſdam Theologos.

VII. Dico. Probabilius eſt, Deum nedùm offerre, ſed etiam conferre omnibus, & ſingulis hominibus, & infidelibus, obcæcatis, induratiſque, auxilia ſufficientia, vel proxima, vel ſaltem remota ad obſervanda præcepta, ac ad ſalutem neceſſaria; ità ut nemo ſe excuſare poſſit, quòd non ſervat, aut non ſalvatur, quia hoc eſt ei impoſſibile.

VIII. Colligitur ex dictis ſupra: ſi enim Deus, quamvis antecedente, & generali, ſincerâ tamen voluntate, vult omnes, & ſingulos ſalvos fieri, omneſque ad ſalutem ordinavit, & vult ad agnitionem veritatis venire; ut ex Paulo 1. *ad Timoth.* 2. *v.* 4. ſi inquam ſincera voluntas eſt, debet in omnes, & ſingulos derivare aliquid, quo fiant habiles, & potentes ad eum finem, ad quem ſunt ordinati, & ad quem natura nullas habet vires; ſicut non eſſet ſincera voluntas, quâ generaliter vellet omnes, & ſingulos homines volare, ſi omnibus, & ſingulis non daret alas, aut vires quibus ad volatum ſinguli conari poſſent.

IX. Colligitur ulterius ex illo Joa. 1. v. 9. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum*. Sicut ergo, ut verificetur, quòd Sol totum Mundum illuminet requiritur, ut lux Solis in omnibus, & ſingulis partibus mundi inveniatur; ità ut verificetur, Verbum eſſe lucem, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, neceſſe eſt, ut omnis, & quilibet homo hàc luce re ipsâ perfundatur: hoc enim ſignificat Verbum illuminat. Quare D. Th. in *Joan. c.* 1. *lect.* 5. ait: *Sed ne credas defectum ipſum eſſe ex remotione, & abſentia veræ lucis, & hoc excludens Evangeliſta ſubdit* (in Mundo erat).

X. Scio, textum hunc exponi de luce

luce rationis naturalis, quâ omnis homo veniens in hunc mundum, ideſt perveniens ad uſum rationis, illuminatur, & ità intelligit etiam S. Thomas loco laudato.

Sed idem Sanct. Thomas ibi exponit etiam de lumine gratiæ, *& talis eſt ſenſus*. Illuminat *ſcilicet Verbum quantum de ſe eſt, quia ex parte ſua nulli deeſt, imò vult omnes homines ſalvos fieri .... quod ſi aliquis non illuminatur, ex parte hominis eſt avertentis ſe à lumine illuminante*. Ità D. Thom. laudato loco. Et de illuminatione quâ perfuſi homines poſſunt credere, & ad Deum converti intellexit Sanctus Auguſtinus *lib. 1. de Geneſi contra Manichæos cap. 3.* dicens: *Illud autem lumen non irrationabilium avium oculos paſcit, ſed pura corda eorum, qui Deo credunt, & ab amore viſibilium rerum, & temporalium ſe ad ejus præcepta implenda convertunt. Quod omnes homines poſſunt, ſi velint, quia illud lumen omnem hominem illuminat venientem in hunc mundum*. Quæ exponens *lib. 1. retract. cap. 10. num. 2.* ait: *Quod verò dixi .... omnes homines poſſunt, ſi velint: non exiſtiment novi hæretici Pelagiani ſecundùm eos eſſe dictum. Verum eſt enim omnino, omnes homines hoc poſſe, ſi velint. Sed præparatur voluntas à Domino, & tantum augetur munere caritatis, ut poſſint*.

XI. Quod ſi adhuc velis, præfata Verba ad ſolam illuminationem naturalem ad ſequendum ductum naturalis rationis eſſe reſtringenda, ſic dicam. Ex quo Deus hominem ſic diſpoſuit, & obligavit, ut ductum rationis naturalis ſequatur, & ad ejus finem perveniat, ſequitur, nulli hominum deeſſe lumen rationis, ſed omnes aliqualiter perfundi tali lumine, ut poſſint ſecundùm rationem vivere; Ergo cùm pariter omnes homines ad finem ſupernaturalem, vitam ſcilicet æternam extulerit, ac ordinaverit, debuit omnibus, & ſingulis aliquod lumen ſupernaturale largiri, quo ſive proximè ſive remotè poſſent ad talem finem conari: non enim minùs agit Deus, ut generalis Proviſor in ordine ſupernaturali, quàm ut generalis Proviſor in ordine naturæ.

Ex his conſurgit ratio ex doctrina quam D. Thomas ejuſque Diſcipuli ſuſtinent 1. 2. *qu.* 89. *art.*6. ſub hac forma. Omnis homo ad uſum rationis perveniens, tenetur ſub mortali ſe convertere ad Deum, tali converſione, ad quam ſequatur culpæ originalis remiſſio, & proinde juſtificatio: Sed ſine auxilio ſupernatutali intrinſecè receptio nequit homo taliter ſe ad Deum convertere; ergo homini ad uſum rationis pervenienti aliquod auxilium ſupernaturale confertur. Ma. eſt D. Th. loco cit. & alibi paſſim min. verò probatur. Sola externa oblatio, & præparatio auxilii non ſufficit, ut homo fiat potens ad converſionem, ex qua ſequatur ejus juſtificatio.

XII. Reſpondent huic rationi, hominem pervenientem ad uſum rationis teneri quidem ſe convertere ad Deum converſione naturali, non verò ſupernaturali, ad quam per ſe ſequatur juſtificatio.

Sed contra. Nam ſuppoſitâ gratuitâ hominis electione ad finem ſupernaturalem, pertinet ad ſuavem Dei providentiam, ut omnibus antequam in peccatum labantur, conferat eam potentiam, quæ ſufficiens ſit ad illum finem conſequendum, hæc autem debet eſſe auxilium ſupernaturale; nedùm oblatum, ac præparatum, ſed re ipsâ collatum. Rursùs D. Thom. docet, homini pervenienti ad uſum rationis incumbere ad Deum converti converſione illâ, quam ſequatur juſtificatio; ergo ad Deum pertinet tale auxilium conferre, quo poſſit ad Deum converti, nedùm converſione naturali adimplendo præceptum, ſed inſuper conari ad juſtificationem, & ſalutem.

XIII. Dicunt, voluntatem, quâ Deus omnem hominem ad ſalutem ordinat, utpotè ſolùm antecedentem, offerre quidem, & præparare media generalia, non tamen ea conferre.

Sed

Sed contra. Eſto voluntatis antecedentis non ſit conferre media ad ſalutem efficacia, eſt tamen conferre media ſufficientia; nempè, ut homo perveniens ad uſum rationis poſſit, ſi velit, ſe diſponere ad fidem, & ad juſtificationem: nam ad hujuſmodi converſionem requiritur aliqua cognitio finis ſupernaturalis, ad quem debet ſe convertere, quam certè intellectus hominis nec potentiâ antecedente poteſt concipere; niſi aliquo lumine ſupernaturali intrinſecè confortetur. Addo. Cùm Deus ſincerè velit cujuſque ſalutem, debet, nedùm offerre, ſed re ipſa dare lumen cuique, ut eam cognoſcere poſſit, vel ſaltem media conducentia ad ipſam: qualis enim eſſet voluntas, quæ tantùm offert auxilium ſufficiens ad ſalutem illi, qui penitùs ignorat id, quod offertur? ſed homo omni prorsùs auxilio ſupernaturali intrinſeco deſtitutus, omni caret poteſtate etiam antecedente cognoſcendi media, ſive extrinſecè, ſive intrinſecè conducentia ad ſalutem; ergo &c. Demùm: ità Deus omnem hominem venientem ad uſum rationis illuminat, ut per ipſum ſtet, ſi non ſe convertat, & juſtificetur; Ergo hoc ideò, quia non ſe convertit, cum poſſit. At ſine gratia illi interiùs collatâ eum poſſe, nemo, niſi Pelagianus, dixerit.

§. III.

Contra Janſenium de Juſtis.

XIV. Sed ſpecialiter contra Janſenitas probanda eſt hæc veritas. Primò enim, quòd præcepta Dei non ſint homini juſto obſervatu impoſſibilia, ſtatutum eſt tanquam articulus fidei in Concilio Arauſicano II. anno 529. celebrato: ubi can. 25. dicitur: *Hoc etiam ſecundùm Fidem Catholicam credimus, quòd acceptâ per Baptiſmum gratiâ, omnes baptizati, Chriſto auxiliante, & cooperante, quæ ad ſalutem animæ pertinent, poſſint, & debeant, ſi fideliter laborare voluerint, adimplere.* Hic canon contradictoriè opponitur primæ propoſitioni, quam, ut ſupra, in Janſenio damnavit Innocentius, & priùs Tridentini Patres *ſeſſ. 6. cap. 11.* deteſtati fuerant, dicentes: *Nemo temerariâ illâ, & à Patribus, ſub anathemate prohibitâ voce utatur, Dei præcepta homini juſtificato ad obſervandum eſſe impoſſibilia: nam Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere, quod poſſis, & petere, quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis.*

Hanc doctrinam ſumſere Tridentini Patres ex Auguſtino, partim *lib. de natura, & gratia cap.* 43. ubi ait: *Non igitur Deus impoſſibilia jubet: ſed jubendo admonet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis.* Partim *lib. 4. contra duas epiſt. Pelagianorum*, quem ſic concludit: *quotidianam remiſſionem, & ut petant* (juſti) *providenter inſtruit* (Deus), *& petentes clementer exaudit.* Quare Pelagianos inclamantes, ex eo, quòd Deus impoſſibilia non jubet, non requiri gratiam ad implenda mandata, ſic arguit *lib. de gratia, & lib. arbitrio cap. 16. Magnum aliquid Pelagiani ſe ſcire putant, quando dicunt:* non juberet Deus, quod ſciret, non poſſe ab homine fieri. *Quis hoc neſciat? ſed ideò jubet aliqua, quę non poſſumus, ut noverimus, quid ab illo petere debeamus.* Ex quibus patet, ex hoc eodem principio, nempe quòd Deus impoſſibilia non jubeat, tanquam certo argumentatos fuiſſe, & Pelagianos, & Auguſtinum: at Pelagianos intuliſſe concluſionem falſam, nimirùm, poſſe hominem ea implere ſine gratia; ſed Auguſtinum intuliſſe Concluſionem Catholicam, nempe Deum jubere aliqua, quæ proximè non poſſumus implere, ut ſciamus, ab eo petendam eſſe gratiam, quâ proximè poſſimus.

Hoc idem confirmat Tridentinum *ſeſſ. 24. de matrimonio can. 9.* quo damnat anathemate eos, qui dicunt (nempè moderni hæretici) Caſtitatem ſolemniter profeſſos, aut Sacris Ordini-

bus initiatos, non obſtante Lege Eccleſiaſticâ, vel voto, *poſſe omnes contrahere matrimonium, qui non ſentiunt, ſe caſtitatis, etiamſi eam voverint, habere donum.... cùm Deus id rectè petentibus non deneget, nec patiatur, nos ſupra id, quod poſſumus tentari*. Quam doctrinam hauſerat ex Auguſtino *lib. 6. confeſſ. cap. 11. lib. 10. c. 29. & ep. 157. olim. 89. ad Hilarium c. 2.* ubi ait: *Jubet ergo Deus continentiam, & dat continentiam: jubet per legem, dat per gratiam: jubet per litteram, dat per ſpiritum*.

XV. Quid ad hæc Proteſtantes, quid Janſeniſtæ reſpondent? Vel enim Profeſſores caſtitatis in hac naturâ corruptâ (de qua loquuntur, & Concilium, & Auguſtinus) ſive aliunde ſint juſti, ſive peccatores poſſunt ſuperare tentationes carnis, ſi à Deo petant: vel non poſſunt. Si poſſunt; ergo poſſunt evitare incontinentiam, & ſervare votum, ac præceptum. Si non poſſunt, etſi petant, non obtinent; ergo Deus patitur, eos tentari ſupra id quod poſſunt. Qui diſcurſùs fieri poteſt de quolibet alio præcepto.

XVI. Sed ſiſtamus in Auguſtino, & probemus, hoc poſse nedùm fuiſſe in homine innocente, ſed modò adeſſe etiam homini lapſo. Primò enim, loco ſuperiùs allato, ex *lib. de natura, & gratiæ cap. 43.* loquens de illo homine, *quem ſemivivum latrones reliquerunt, qui gravibus ſaucius, confoſſuſque vulneribus non ità poteſt ad juſtitiæ culmen aſcendere, ſicut inde deſcendere*; ſubdit: *qui etiamſi in ſtabulo eſt, adhuc curatur*. Inde infert: *Non igitur Deus impoſſibilia jubet, ſed jubendo admonet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis*.

Secundò. Eodem *lib. de nat. & gratia c. 26. Sicut ergo* (inquit) *vulnere, verbi gratia, claudicans ideò curatur, ut ſanato malo præterito, futurus dirigatur inceſſus: ſic mala noſtra non ad hoc ſolùm ſupernus Medicus ſanat, ut illa jam non ſint, ſed ut de cætero rectè ambulare poſſimus, quod quidem etiam ſani non niſi illo adjuvante poterimus*. Deinde inter medicum hominem, & Deum aſſignans differentiam dicit, quòd medicus homo, cùm ſanaverit hominem, eum Deo dimittit, nec amplius circa eum agit: *Ipſe autem Deus, cùm per Mediatorem Dei, & hominum Jeſum Chriſtum ſpiritualiter ſanat ægrum, vel vivificat mortuum... non deſerit, ſi non deſeratur, ut piè ſemper, juſtèque vivatur. Sicut enim oculus corporis etiam pleniſſimè ſanus, niſi candore lucis adjutus non poteſt cernere: ſic & homo etiam perfectiſſimè juſtificatus, niſi æternâ luce juſtitiæ divinitùs adjuvetur, rectè non poteſt vivere. Sanat ergo Deus, non ſolùm ut deleat, quod peccavimus, ſed ut præſtet etiam, ne peccemus*. Ecce auxilia à gratia ſanctificante diſtincta, quibus indiget homo juſtus, ut poſſit rectè vivere, ſicut oculus ſanus eget luce, ut poſſit cernere; quæ Deus non denegat, niſi homo obicem ponat.

Tertiò. Hoc idem docet *lib. 3. de libero arbitrio cap. 19.* ubi reſpondens homini conquerenti de pœnis, quas in præſenti ſtatu corruptionis patitur, ſic eum alloquitur: *Non tibi deputatur ad culpam, quòd invitus ignoras* (ignorantia ſcilicet invincibili) *ſed quòd negligis quærere, quod ignoras: neque illud, quod vulnerata membra non colligis, ſed quòd volentem ſanare contemnis. Iſta tua propria peccata ſunt. Nulli enim hominum* [nota] *ablatum eſt utiliter ſcire, utiliter quærere, quod inutiliter ignorat: & humiliter confitendam eſſe imbecillitatem: ut quærenti, & confitenti ille ſubveniat, qui nec errat, dùm ſubvenit, nec laborat*. Nulli ergo hominum ablatum eſt auxilium, quo petere, & impetrare poſſit, ut ab eo tollatur ignorantia, & dentur neceſſaria ad præcepti impletionem.

XVII. Nil aliud huic claro teſtimonio reſpondere potuerunt Janſeniſtæ, niſi quod libri illi *de libero arbitrio contra Manichæos* conſcripti fuerint multò ante exortam hæreſim Pelagianam, nimirùm, priuſquam Auguſti-

nus

Digitized by Google

nus de gratia Dei haberet exactam notitiam.

Sed non negabunt, Auguſtinum notitiâ gratiæ plenè fuiſſe imbutum cùm libros de retractatione conſcripſit. Videant ergo *lib. 1. retract. cap. 9.* ubi percenſitis iis, quæ in tribus libris de libero arbitrio dixerat, tantum abeſt, ut retractet, quę in illis docuerat; quin potiùs ea probans nu. 6. dicat: *Ecce tam longè antequam Pelagiana hæreſis extitiſſet ſic diſputavimus, velut contra illos diſputaremus.* Sed hallucinantur Janſeniſtæ: etenim inter Auguſtinum, & Pelagianos non diſputabatur, an homo lapſus poſſet ſervare mandata, ſed unde poſſet. Pelagiani dicebant, poſſe ex viribus naturæ: Auguſtinus verò, ex viribus gratiæ. Itâ ſe explicat laudato *cap. 43. de natura, & gratia contra Pelagium:* ubi poſtquam dixit: *Non igitur Deus impoſſibilia jubet, ſed jubendo admonet, & facere quod poſſis, & petere, quod non poſſis;* ſubjungit: *Jam nunc videamus unde poſſit; unde non poſſit. Iſte dicit:* Voluntate non eſt, quod naturâ poteſt. *Ego dico voluntate quidem non eſt homo juſtus, ſi naturâ poteſt; ſed medicinâ poterit, quod vitio non poteſt.*

XVIII. Finienda eſt hęc controverſia ſtabiliendo illud axioma: *Ad impoſſibile nemo tenetur.* Hoc principio D. Thom. *in 2. diſt. 28. qu. 1. art. 3. in arg.* ſed contrà: *Deus* (inquit) *non eſt magis crudelis, quàm homo: Sed homini imputatur ad crudelitatem, ſi obliget aliquem per præceptum ad id, quod implere non poſſit;* ergo hoc de Deo nullatenus eſt æſtimandum. Et *qu. 24. de veritate art. 14. ad 2.* ſalvat, hominem juſtè corripi, ſi præcepta non implet, *quia ex ejus negligentia eſt, quòd gratiam non habet, per quam poteſt ſervare mandata.*

Propterea Sanctus Auguſtinus, ex ſuperiùs relatis, perpetuus eſt in aſſerendo, quòd Deus impoſſibilia non jubet; & in *pſal. 56. v. 1.* loquens de præcepto dilectionis: *Neque* (inquit) *imperaret hoc Deus, ut faceremus, ſi impoſſibile judicaret, ut hoc ab homine fieret.* Sed, poſito errore Janſenii, Deus homini præciperet, quod homini eſſet, & impoſſibile judicaret, ut ab homine fieret: quomodò enim poſſet implere præceptum dilectionis? viribus naturæ? at hoc eſſet cum Pelagio ſentire. Viribus gratiæ? at quomodò, ſi omni gratiâ tàm efficaci, quàm ſufficienti eum deſtitutum Janſenius ſupponit? eſſet ergo Deus magis crudelis, quàm homo, dùm obligaret hominem per præceptum ad id, quod implere non poſſet. Sicut crudelis reputaretur Dominus, qui ſciens, ſervum à ſe miſſum Romam ſibi in itinere fregiſſe crura, ei nullo exhibito medio, quo progredi poſſet, adhuc præciperet, ut cęptum iter proſequeretur. Cùm igitur homo, qui ex ſtatu innocentiæ ad ſalutis patriam progrediebatur, lapſus, ſibimet ſpirituales vires adeò fregerit, ut ultra progredi non poſſit; nonne eſſet crudelis Deus, ſi ei ſic lapſo præciperet, ut iter ſuum abſque omni auxilio proſequeretur, eumque puniret, ſi non faceret?

XIX. Aptiſſimè igitur Auctor *lib. de fide contra Manichæos* (ſive S. Auguſtinus, ſive Evodius, ſeu quiſquis alius ſit) c. 10. *quis non clamet, ſtultum eſſe præcepta dare ei, cui liberum non eſt, quod præcipitur facere, & iniquum eſſe eum damnare, cui non fuit poteſtas juſſa complere? Et has injuſtitias, & iniquitates miſeri non intelligunt Deo ſe adſcribere.* Et Vega *expoſit. Concil. Trid. lib. 11. cap. 13. Ipſum* [inquit] *lumen naturale nobis à Deo inditum, ipſa ſcintilla rationis mentibus noſtris impreſſa, ipſa natura noſtra vis, & conſcientia, ſatis nobis poteſt eſſe ad expugnandum hunc errorem. Quæ namque fuit unquam gens tàm barbara, quis hominum tàm ſtolidus, & ſtupidus, ut putaret, ſe in culpa eſſe, aut in crimine, propter ea, quæ vitare non poſſet? Quis etiam tàm durus fuit unquam, tàm crudelis, tàm immanis, & ab omni humanitate alienus tyrannus,*

aut, ut ex ſuis ſubditis imperaverit, vel ab eis exegerit, quæ præſtari ab ipſis non poterant?

XX. Reſpondet Janſenius, & cum eo Janſeniſtæ, quòd, quamvis homo in præſenti ſtatu naturæ corruptæ ſit impotens ad obſervanda præcepta Dei, non deſinit propterea eſſe culpabilis; quia hæc impotentia eſt pœna peccati orginalis, & homini lapſo voluntaria, ſaltem voluntate capitis, nempe Adami: Cùm ergo ſuâ culpâ impotentem ſe reddiderit ad obſervanda præcepta, culpabilis eſt, ac juſtè punitur, ſi ea non obſervat. Ità *lib. 3. de gratia Chriſti Salvat. cap. 14.* ubi hoc variis D. Auguſtini teſtimoniis confirmare conatur.

XXI. Sed contrà. Sicut impotentia ad obſervanda mandata pœna peccati originalis eſt, & voluntaria voluntate capitis; ità & cæcitas, ſurditas, claudicatio, ſenectus, & mors: homo enim, qui in ſtatu innocentiæ ab omnibus his erat exemtus, peccando voluntariè voluntate capitis, his omnibus, & aliis miſeriis ſe ſubjecit. Quæro igitur à Janſenio: Poteſtnè Deus abſque eo, quòd potentiam reſtituat, imperare cæco, ut videat, ſurdo, ut audiat, claudo, ut rectè ambulet, viro, ne ſeneſcat, & ſeni ne moriatur? ſi dicat, quòd poteſt: Facit Deum crudeliorem omnibus tyrannis, quibus hoc nunquam in mentem venit, hæc ſe poſſe præcipere. Si dicat, quòd non poteſt: Dicat etiam, quòd, ut homini imputetur, ſi non faciat, quod ei præcipitur, non ſufficiat, quòd ejus impotentia ſit pœna, & ei voluntaria voluntate capitis: ſed quòd propriâ voluntate in talem impotentiam ſe ſe conjecerit, & cùm poſſit à ſe talem impotentiam excutere, nolit; aliàs poſſet etiam homini præcipere, ut vivat ſine paſſionibus, & concupiſcentiæ motibus; & ſi non vivat, æternis ipſum pœnis plectere.

XXII. Fortiùs hoc inſtauro. Si ſervus aliquò miſſus, propriâ voluntate ſe conjeciſſet in foveam, & proindè ſe impotentem reddidiſſet ad proſequendum iter; poſſet quidem Dominus eum punire propter eiuſmodi culpam, quâ ſuâ voluntate ſe impotentem reddidiſſet ad iter ipſi demandatum proſequendum: & poſſet etiam ipſum punire, ſi volens ipſum extrahere, media ſibi data, vel oblata, ut inde exiret, negligeret, aut etiam contemneret: ſed ſuppoſito, quòd Dominus nollet ipſum à fovea extrahere, nec illi ſcalam, funem, aut brachium offerre, quò poſſet exire, imò vellet ipſum in ſua impotentia relinquere; certè nonniſi tyrannicè poſſet illi præcipere, ut iter cœptum proſequeretur. Cum ergo homo peccando in foveam lapſus, impotens alienâ, non propriâ voluntate, factus ſit proſequendi iter ad æternam ſalutem obſervantiâ præceptorum; eſto ipſum poſſit ob talem culpam punire, ſicut de facto punit; & ſimiliter ſi gratiam, quâ fiat potens obſervare præcepta ſibi oblatam reſpuat, aut contemnat: ſed ſi Deus nolit gratiam ei, quâ fiat potens, conferre, ſed ipſum in ſua impotentiâ relinquere velit, non poterit niſi crudeliter, & injuſtè obligare ipſum, ut viam mandatorum percurrat, & niſi percurrat punire: quod enim factum eſt impoſſibile ex ſuppoſitione auferente potentiam, non poteſt juſtè præcipi, quamdiù ſuppoſitio illa ſubſiſtit.

XXIII. Reſpondet Janſenius *lib. 3. de gratia Chriſti Salvat. cap. 15.* duplicem eſſe impotentiam præcepti implendi, unam ex defectu alicujus, quod non poteſt quantumlibet magnâ, & forti voluntate ſuppleri, ut impotentia illius, qui caret Breviario ad horas recitandas, quas ignorat: Alteram eſſe, quæ ex defectu voluntatis, ſeu volitionis oritur, quæ ſi adeſſet, quanta eſſe debet, facillimè præceptum impleretur. Et hæc impotentia nullo modo excuſat eum, qui non implet, quod præcipitur.

XXIV. Sed quæſo: Nunquid ad adimplendum præceptum tàm neceſſaria eſt gratia actualis, quam ad volandum neceſſariæ ſint alæ; ad recitan-

tandas horas, quæ ignorantur, Breviarium; & ad exeundum à profunda fovea, ſcala, aut funis, aut brachii porrectio? Quis hoc negabit, niſi Pelagianus? ergo ſi qui caret alis, vel Breviario, vel ſcalâ non poteſt; & ideò excuſatur, ſi non volat; ſi Officium non recitat; ſi à fovea non exit; quare qui caret gratiâ etiam ſufficiente non excuſabitur, ſi præcepta non implet, cum hæc illi æquè impoſſibilia ſint?

Nec valet cum Janſenio dicere: velit, & fortiter velit, & præceptum impletum eſt.

Nam ſi tàm velle, quàm perficere à gratia eſt, imò & cogitare, ut Fides Catholica docet contra Pelagianos, & ità neceſſaria, ſicut alæ ad volandum &c. quomodo de illo, qui caret gratiâ dici poteſt *velit, ac fortiter velit*, niſi irriſoriè; ſicut niſi irriſoriè dici poteſt de non habente Breviarium, *recitet Officium, & fortiter recitet*; de non habente alas, *volet, & fortiter volet*; de exiſtente in puteo, & non habente ſcalam, *exeat, & fortiter exeat?*

§. IV.

De peccatoribus obcęcatis, & obduratis.

XXV. **D**Ico. Nullus eſt peccator ità obcęcatus, & obduratus, qui non recipiat aliquod auxilium ſufficiens, vel proximum, vel remotum, ad hoc ut pęnitere poſſit, & ſalvari. Antequam hoc probem.

Noto primò ex D. Thom. 1. 2. q. 79. *art. 3.* quod *excęcatio, & obduratio duo important; Quorum unum eſt motus animi humani inhærentis malo, & averſi à divino lumine: & quantum ad hoc Deus non eſt cauſa excæcationis, & obdurationis, ſicut non eſt cauſa peccati. Aliud autem eſt ſubtractio gratiæ, ex qua ſequitur, quòd mens divinitùs non illuminetur ad rectè videndum, & cor hominis non emolliatur ad rectè vivendum; & quantum ad hoc Deus eſt cauſa excæcationis, & obdurationis*. Et paulò poſt: *Et quia ad cognitionem intellectus maximè deſerviunt duo ſenſus, ſcilicet viſus, & auditus, ideò quantum ad viſum ponitur* excæcatio; *quantum ad auditum aurium ponitur* aggravatio; *quantum ad affectum*, obduratio.

Eodem modo explicat D. Auguſtin. tùm *ep. 105. modo 194. ad Sixtum c. 3.* dicens: *Nec obdurat Deus impertiendo malitiam, ſed non impertiendo miſericordiam.* Tùm *tract. 53. in Joan. nu. 6. Sic enim excæcat, ſic obdurat Deus, deſerendo, & non adjuvando: quod occulto judicio facere poteſt, iniquo non poteſt*: Et paulò infra: *ſive quando adjuvat, miſericorditer facit, ſive quando non adjuvat, juſtè facit.* Quibus Calvini blaſphemia damnatur, qui obcęcationis, & obdurationis unicum auctorem faciens Deum *lib. 3. Inſtit. cap. 24. §. 12.* impiè dixit: *Quos ergo in vaſa contumeliæ, & mortis exitium creavit, ut iræ ſuæ organa forent, & ſeveritatis exempla, eos ut in finem ſuum perveniant, nunc audiendi verbi ſui facultate privat, nunc ejus prædicatione magis excæcat, & obſtupefacit.*

Adverto inſuper, difficultatem procedere de peccatoribus excæcatis, & obduratis, quandiù vivunt, non tantùm vitâ phyſicâ, ſed etiam morali, ſive quandiù uſum rationis retinent: ſi enim cadant in amentiam perpetuam, non ſunt, eâ durante, capaces auxiliorum divinæ gratiæ, & cenſentur moraliter mortui. Quare difficultas de iſtis erit, an in inſtanti antecedente amentiam recipiant auxilium ſufficiens, quo pęnitere poſſint, & ſalvari: ſicut an illud recipiant in inſtanti immediatè præcedente mortem. His ſuppoſitis.

XXVI. Probo nullum eſſe, nec unquàm fuiſſe hominem, nec futurum eſſe adeò excæcatum, & obduratum, qui, quandiù vivit, non recipiat miſericorditer à Deo aliquod auxilium ſufficiens, ut pęniteat, & ſalvetur.

Primò ex teſtimoniis S. Scripturæ ſupe-

ſuperiùs allatis, & expenſis, quę hìc referri poſſunt. Ad rem præſentem tamen clarum eſt teſtimonium D. Petri *epiſt. 2. cap. 3. v. 9.* ubi de Deo: *nolens*, inquit, *aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti*. Atqui ſi aliquibus excæcatis, & obduratis omnia auxilia etiam ſufficientia ſubtraheret, vellet illos perire, & nollet eos ad pœnitentiam reverti, cùm ſine auxilio gratiæ id præſtare non poſſint; ergo &c.

Secundum eſt Pauli *ad Rom. c. 2. v. 4. 5. Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? ſecundùm autem duritiam tuam, & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis juſti Judicii Dei*: ubi Paulus totam impœnitentiæ cauſam ad cor peccatoris obſtinati reducit, cùm Deus ſuâ benignitate illum ad pœnitentiam adducat, utique auxilia ſuæ gratiæ præſtando, quibus poſſit ad pœnitentiam conari. Quis enim inter peccatores Pharaone induratior? *Ego* (inquit Deus *Exod. 7. v. 3.*) *indurabo cor ejus*; & *v. 13. induratumque eſt cor Pharaonis*: & tamen divinæ gratiæ ad pœnitentiam eum adducentis lumina identidem ei adfuere. Quid enim indicant voces illæ Pharaonis (*Exod. 8. v. 28.*) *Ego dimittam vos. Cap. 9. v. 27. Peccavi etiam nunc; Dominus Juſtus: ego, & populus meus, impii*, aliæque ſimiles, niſi gratiam Dei, nedùm exteriùs per ſigna, ſed interiùs cor induratum tangentem, ut emolliri poſſet, ſi voluiſſet? ſed ille abuſus fuit, ut magis cor ſuum induraret. Sic & Judas Domino illuminante pęnitentiæ motum concepit; ſed dùm currere debebat ad Chriſtum, ſperans ab ipſo miſericordiam, cucurrit deſperatus ad laqueum, ut S. Auguſt. *enarrat. in pſalm. 146. n. 20.* obſervat.

XXVII. Scripturæ accedunt Concilia. Lateranenſe IV. ſub Innoc. III. *cap. Firmiter de Fide Catholicâ* ſtatuens, peccatum hominis prolapſi poſt Baptiſmum, per pœnitentiam *ſemper* poſſe reparari. Et Tridentinum *ſeſſ. 14. can. 1.* damnans, qui negarent Pœnitentiæ Sacramentum eſſe à Chriſto inſtitutum pro Fidelibus, *quotiès* in peccata labuntur Deo reconciliandis. Et Concilium Senonenſe *in Decretis Fidei c. 15.* anno 1528. ſtatuerat, *gratiam ſemper eſſe in promtu, nec momentum quidem præterire, in quo Deus non ſtet ad oſtium, & pulſet &c.* quæ certè de gratia ſufficienti, non de efficaci ſumenda ſunt; cùm loquantur de illa gratia, cui homo poteſt reſiſtere, & de facto multi reſiſtunt.

XXVIII. Succedunt Patres. D. Gregorius *lib. 17. moral. c. 6.* in illud Job. *Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, & ille abutitur in ſuperbiam*, dicit; quòd miſericordia à Deo peccatori impenſa, & ab eo neglecta, ei vertitur in pœnam: & *lib. 30. moral. cap. 1.* ubi dixit, quòd Deum quaſi aquis obruimus, cùm *poſt inſpirationem ejus gratiæ cogitationes illicitas in corde verſamus*, ſubdit: *Nec tamen nos vel oppreſſos deſerit: nam illicò ad mentem redit, tentationum nebulas diſcutit, imbrem compunctionis infundit, & ſubtilis intelligentiæ Solem reducit: atque ſic oſtendit, quantum nos diligit, qui nos, nec cùm reſpuitur, relinquit: ut ſaltem ſic erudita humana conſcientia ad ſe tentationes erubeſcat admittere, quam Redemtor ſuus, & vagantem non ceſſat amare*. Deinde ad Infideles digrediens, nec iſtos oſtendit Dei curam ſubterfugere.

XXIX. Specialiter Sancti Auguſtini exploranda mens eſt. Huic enim ceù Patrono maximè fidunt Janſeniſtæ. Is ergo in *pſalm. 6. num. 8.* ad illa Pauli verba *Rom. 1. v. 28. Dedit illos Deus in reprobum ſenſum*, ait: *Nam ea eſt cæcitas mentis. In eam quiſquis datus fuerit, ab interiore Dei luce ſecluditur: ſed nondùm penitus, cùm in hac vitâ eſt. Sunt enim tenebræ exteriores, quæ magis ad diem judicii pertinere intelliguntur, ut penitus extra Deum ſit, quiſquis, dum tempus eſt, corrigi noluerit.... Hujus igitur iræ inchoatio eſt, quam in hac vita patitur quiſque peccator.*

cator. Timens itaque judicii diem laborat, & plangit... & ideò non dixit extinctus eſt, ſed turbatus eſt ab ira oculus meus &c. Hic duplicem excęcationem Sanctus Doctor diſtinguit. Unam perfectam, & conſummatam, quâ peccator divinâ luce privatur in totum, & pro ſemper, & quâ extinctus eſt oculus ejus, ne ampliùs ęternam lucem cernere poſſit; & hàc peccator damnabitur ſolùm in alia vita. Alteram ſolum inchoatam, quâ peccator *ab interiori Dei luce ſecluditur, ſed nondùm penitus*; Judicii enim extremi cogitatione concutitur, & plangit: ideòque oculus ejus ab ira non extinctus eſt, ſed ſolùm turbatus, & hac peccator laborat in præſenti vitâ; non omni enim internâ luce, quâ poſſit, nec pro ſemper, privatur.

XXX. D. Thomas quem Janſenius vocat *Auguſtinum contractum* expreſsè hanc doctrinam tradit. Tùm in 1. *ſent. diſt.* 48 *quæſt.* 1. *artic.* 3. *ad* 1. dicens: *in ſtatu viæ nullus eſt, quæ mentie obſtinationem non poſſit deponere, & ſic divinæ voluntati conformari; ſed damnatie eſt in pœnam inflictum, ut ab obſtinatione ſuâ nunquam curentur*. Tùm *in* 4. *diſt.* 20. *q.* 1. *art.* 1. *quæſtiunc.* 1.

Præſertim tamen *quæſt.* 24. *de verit. art.* 11. ubi poſtquam reſolvit, *quod obſtinatio importat quandam firmitatem in peccato, per quam aliquis à peccato reverti non poſſit, nec cooperari ad hoc, quòd à peccato reſurgat*, ſubdit: *Sed dupliciter eſt hoc. Uno modo ità quòd nullo modo poſſit cooperari. Et hac eſt perfecta obſtinatio, quâ Dæmones ſunt obſtinati. Adeò enim eorum mens eſt firmata in malo, quòd omnis motus liberi arbitrii ipſorum eſt inordinatus, & peccatum, & ideò nullo modo ſe poſſunt ad gratiam habendam præparare, per quam peccatum dimittitur. Alio modo, ità quod non de facili poſſit cooperari ad hoc, quòd exeat de peccato. Et hac eſt obſtinatio imperfecta, quâ aliquis poteſt eſſe obſtinatus in ſtatu viæ, dùm ſcilicet habet aliquis ità firmatam voluntatem in peccato, quòd non ſurgant motus ad bonum niſi debiles. Quia tamen aliqui ſurgunt ex eis, datur via, ut præparentur ad gratiam*. Cujus rationem reddens ait:

Quòd aliquis homo in ſtatu viæ non poſſit eſſe ità obſtinatus in malo, quin ad ſuam liberationem cooperari poſſit, ratio patet ex dictis (in articulo præcedente) *quia & paſſio ſolvitur, & reprimitur, & habitus non totaliter animam corrumpit: & ratio non ità pertinaciter falsò adhæret, quin per contrariam rationem poſſit abduci*. Quibus tria D. Thomas notanda proponit. Unum, differentiam inter obſtinationem perfectam, qualis eſt in Dæmonibus, & damnatis, & imperfectam, ſeu inchoatam, qualis pro ſtatu viæ in aliquibus peccatoribus reperitur. Alterum; in peccatoribus licèt obſtinatis aliquos motus ad bonum ſurgere, licèt debiles. Hi autem, cum ex viribus propriis ſurgere nequeant, ne cum Pelagio ſentiamus, ſurgere debent ex viribus gratiæ; quia tamen debiles ſunt, ſufficientes ad hoc ut cooperetur ſuæ juſtificationi peccator cenſeri debent, non efficaces. Tertium nullum eſſe peccatorem in ſtatu, viæ de potentia Dei ordinariâ (quidquid ſit de extraordinaria) cui ſubtrahantur omnia auxilia ſufficientia, quibus ad ſuam liberationem poſſit cooperari, & rationes adſignat.

XXXI. Idem confirmat Angel. Doctor 3. *p. qu.* 86. *artic.* 1. ubi hæc habet: *dicendum: quòd hoc quòd aliquod peccatum per pœnitentiam tolle non poſſit, poteſt contingere dupliciter. Uno modo, quia aliquis, de peccato pœnitere non poſſet: alio modo, quia pœnitentia non poſſet delere peccatum. Primò quidem modo non poſſunt per pœnitentiam deleri peccata Dæmonum, & etiam hominum damnatorum; quia affectus eorum ſunt confirmati in malo, ità quòd non poteſt eis diſplicere peccatum, inquantùm eſt culpa, ſed ſolùm diſplicet eis pœna, quam patiuntur, ratione cujus aliquam pœnitentiam, ſed infructuoſam habent, ſecundùm illud Sap.* 5. Pœni-

Digitized by Google

nitentiam agentes, & præ anguſtia ſpiritus gementes. *Unde talis pœnitentia non eſt cum ſpe veniæ, ſed cum deſperatione. Tale autem non poteſt eſſe aliquod peccatum hominis viatoris, cujus liberum arbitrium eſt flexibile ad bonum, & ad malum. Unde dicere, quòd aliquod peccatum ſit in hac vita, de quo quis pœnitere non poſſit, erroneum eſt.* Primò *quidem, quia per hoc tolleretur libertas arbitrii.* Secundò, *quia per hoc derogaretur virtuti gratiæ, per quam moveri poteſt cor cujuſcumque peccatoris ad pœnitendum, ſecundùm illud Proverb.* 21. Cor Regis in manu Dei, & quocumque voluerit vertet illud.

Quòd autem ſecundo modo non poſſit per veram pœnitentiam aliquod peccatum remitti, eſt etiam erroneum. Primò quidem, quia repugnat divinæ miſericordiæ, de qua dicitur Joel. 2. quòd benignus, & miſericors eſt, & multæ miſericordiæ, & præſtabilis ſuper malitia. *Vinceretur enim quodammodo Deus ab homine, ſi homo peccatum vellet delere, quod Deus delere non vellet. Secundò, quia hoc derogaret virtuti Paſſionis Chriſti, per quam pœnitentia operatur, ſicut & cætera Sacramenta, cùm ſcriptum ſit* 1. *Joan.* 2. Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non ſolùm noſtris, ſed etiam totius mundi.

His poſitis arguo ſic. Ex D. Thom. erroneum eſt aſſerere, quòd aliquod peccatum ſit in hac vita, de quo quis pęnitere non poſſit, quia per hoc derogaretur, & arbitrii libertati, & virtuti gratiæ, & miſericordiæ Dei, & Redemtioni Chriſti: Sed dicere peccatoribus obcæcatis, & obſtinatis deeſſe omne auxilium gratiæ, etiam ſufficiens ad pœnitendum de peccato, eſt dicere, quòd aliquod peccatum ſit in hac vita, de quo quis pęnitere fructuoſè non poſſit, quia ſine omni gratiâ nemo poteſt, nedùm pęnitere, ſed nec ad pęnitentiam conari, nec eam velle, nec de ea cogitare, ut Fides Catholica contra Pelagianos, & Semipelagianos docet; ergo ex D. Thoma dicere &c. erroneum eſt.

XXXII. Reſpondent Janſeniſtæ, adhuc verificari, peccatores, etſi excæcatos, & obduratos pœnitere poſſe, & converti; quia Deus ſemper poteſt illis conferre gratiam, quamvis decreverit eam ipſis denegare in pœnam præcedentium peccatorum, ideòque illos excæcaverit: nam juxta commune axioma, *quod per alios poſſumus, per nos ipſos poſſumus.*

XXXIII. Sed contra. Ut verificetur, per nos poſſe, quod per alios poſſumus, quod eſt axioma Ariſt. 3. *Ethic. cap.* 5. requiritur primò, ut ille alius ſit amicus. Secundò, quòd in nobis ſit aliquid, intuitu cujus amicus moveri poſſit ad agendum. Tertiò, quòd ille alius velit facere id, quod per nos facere non poſſumus. Primum, & ſecundum docet Ariſt. loco citato dicens, *quæ amicorum ſtudio, & operâ tranſiguntur, noſtrâ operâ quodammodo fieri videntur:* Principium *enim in nobis.* Quæ exponens D. Thom. ibi lect. 8. ait: *Unde dicit, quod poſſibilia ſunt, quæ ſiunt per amicos: quia ea, quæ ſiunt per amicos, aliqualiter ſiunt per nos: in quantùm ſcilicet principium horum eſt in nobis, pro ut ipſi intuitu noſtro hoc faciunt.* Tertium pariter evidens eſt: nam ſi ego non habens neceſſariam pecuniam ad emendam domum, & parentes, vel alii amici decreverint non dare mihi pecuniam, ridiculus eſſem ſi dicerem, me poſſe per illos domum emere.

Sed Deus peccatoribus excæcatis, & obduratis inimicus eſt, non amicus: In illis nihil reperit intuitu cujus moveatur, aut moveri poſſit ad dandam eis gratiam, quâ poſſint, imò ſupponitur decreviſſe, ſe non daturum eam; ergo &c. Quare prelaudatum illud axioma diſtingui debet de amicis juvare volentibus, & ſic concedi: negari verò de amicis juvare nolentibus, imò & negari ſuppoſitum, quòd nimirùm tales ſint amici; cùm probatio dilectionis exhibitio ſit operis.

XXXIV. Reſpondent alii ex Catholicis etiam Thomiſtis, de quibus ſupe-

ſuperiùs §. 1. D. Thomam nil aliud velle, niſi, quòd Deus ſit paratus dare omnibus, etiam excæcatis, & obduratis auxilia ſufficientia; non tamen, quòd omnibus de facto det, obduratione ſuâ obicem ponentibus. Vel ad ſummum velle, quòd Deus illis non deneget quædam exteriora gratiæ auxilia, quales ſunt exhortationes, correctiones, & ſimilia; auxilia tamen interna eis deneget.

XXXV. Sed contra primò. D. Th. laudato loco *qu. 24. de veritat. art. 11.* dicit, quòd nullus in via poteſt eſſe ità obſtinatus in malo, quin ſurgant in eo aliqui motus ad bonum licèt debiles: Quin ad ſui liberationem cooperari poſſit. Et in 4. *ſent. diſt. 20. quæſt. 1. art. 1. quæſtiunc. 1. quamdiù*, inquit, *manet homini uſus liberi arbitrii in hac vita .... poteſt ſe præparare ad gratiam de peccatis dolendo &c.* Dico igitur. Motus illi ad bonum, quamvis debiles, potentia ad cooperandum liberationi à peccato, debent eſſe à gratia non merè extrinſecè oblatâ, ſed reverà interiùs collata; ne cum Pelagianis dicatur, poſſe hominem cum ſola gratia extrinſecè adjuvante vires naturæ facere actus, prout oportet ad ſui juſtificationem; ergo ſi teſte D. Thomâ, nullus eſt peccator in hac vita ità obſtinatus, quin in eo ſurgant aliqui motus ad bonum, quibus cooperari poſſit ad ſui liberationem; nullus eſt homo ità obſtinatus, cui auxilia ad ſui converſionem ſufficientia, nedùm offerantur, ſed re ipsâ non conferantur: quibus ſi obicem ulteriorem non poſuerit, gratiam efficacem remiſſivam peccatorum conſequatur.

Et noto, quòd eſto in peccatore non poſſint ſurgere motus etiam debiles, & conatus remoti ad ſui juſtificationem ſine gratia efficaci cauſante illos motus, & cor movente; illa tamen gratia dici poteſt ſufficiens in ordine ad ulteriores motus proximiùs ad juſtificationem præparantes. Hâc gratiâ (ait D. Thom.) liberum arbitrium non totaliter corruptum ſi adjuvetur, verè dicitur poſse ſe præparare ad gratiam de peccatis dolendo, & gratiam remiſſionis conſequi. Cæterùm ſi Deus ſolùm offerret auxilia, & non daret; haberet parata apud ſe, ſed non collata peccatori: nec verè dici poſſet hominem poſſe converti, dùm eſt in via, nec abſolutè poſſet dicere D. Th. Deum omnibus gratiam dare, ſed ad ſummum, *Deum quantùm in ſe eſt paratum eſſe omnibus gratiam dare*, ut ait 3. *contrag. cap. 159.* loquens de gratia efficaci, non de ſufficienti tantùm. Sicut per hoc ſolùm, quòd Pharmacopola habeat remedia in ſua officina parata, dicitur quidem, quantùm ex ſe eſt, ea omnibus dare, non tamen quòd ea omnibus det; nec quòd omnes per illa ſic oblata excitare poſſint, & excitent aliquos motus etiam debiles, qui diſponant ad ſanitatem.

§. V.

De Infidelibus.

XXXVI. Dico. Nullus eſt etiam inter Infideles, & Barbaros, qui non recipiat aliquod auxilium ſupernaturale divinæ gratiæ ſaltem in inſtanti uſus rationis; quo, ſi benè uteretur, ulteriora reciperet, juſtificaretur, & tandem ſalvaretur. Hoc evincunt Scripturę ſuperiùs allatæ, nimirùm: quòd *Deus vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire 1. Tim. v. 2. 4.* quod Deus *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum Joan. 1.* quòd Chriſtus *dedit ſe ipſum Redemtionem pro omnibus 1. Timoth. 2. v. 6.* & aliæ, quas hoc, & præcedentibus dubiis expendimus. Ubi enim Scriptura nullum excipit, nec nos excipere debemus. Videri etiam poteſt D. Auguſtinus *lib. 1. de Geneſi contra Manichæos cap. 3. lib. 1. retract. cap. 10. enarrat. in pſalm. 6. lib. 3. de lib. arbitr. cap. 19.* & alibi: cujus teſtimonia attulimus ſuperiùs, maximè præſenti dubio §. 2. & 3.

XXXVII. Probatur verò argumen-

to, quod Janſenius contra ſe proponens, *Molem Giganteam* appellat *lib.* 2. *de natura lapſa c.* 4. Cum enim eodem libro cap. 2. probare conatus fuiſſet, *Quod ignorantia, etiam quæ neceſſitatis eſt, non voluntatis, hoc eſt invincibilis, non caret peccato, & hoc ut dogma fidei ab antiquis traditum*; Contra ſe *c.* 4. format hoc argumentum: *Sed hîc gigantea occurrit moles, & ut videtur nodus inſolubilis, quî fieri poſſit, ut ex invincibili ignorantiâ peccatum poſſit proficiſci. Quis enim capiat, ut homo in eo peccet, quod neque ſcit, neque ſcire potuit, nec voluntate ſuâ, ſive volente, ſive torpeſcente talis ignorantiæ cauſam dedit? Hujuſmodi enim peccata jam non erunt, ne quidem voluntaria, quod ad peccati rationem omnino neceſſarium eſt, ſed neceſſaria. Et quis credat, tale portentum doctiſſimum Sanctiſſimumque Virum* [Auguſtinum] *docere potuiſſe*? Ità Janſenius.

Cui ſic reſpondet: *ſi te, benigne Lector, iſta difficultas fortè movet, profectò movet & me: non tamen ità, ut vel dubitem, doctrinam iſtam Auguſtinum tradidiſſe, vel in ea tradendâ fluctuaſſe, vel hallucinatum eſſe; ſed potiùs, ut obſtupeſcam, & exhorreſcam profunditatem judiciorum Dei.*

XXXVIII. Sed hoc, quid aliud eſt, quam proferre argumentum, & ingenuè fateri ſe neſcire ſolutionem: hâc mole giganteâ ſe declarare oppreſſum, & hoc nodo inſolubili ità intricatum, ut nullâ viâ evadere ſibi liceat? Eo igitur utar ego contra Janſenium ſic. Si Deus omnibus infidelibus denegaret auxilia ſaltem ſufficientia ad fidem, omnes infideles laborarent ignorantiâ invincibili fidei, eſſent infideles neceſſitate, quia non poſſent eſſe fideles, non voluntate; & conſequenter infidelitas illis non eſſet peccatum. Quis enim capiat; ut homo in eo peccet, quod neque ſcit, neque ſcire potuit, nec voluntate ſuâ volente, aut torpeſcente talis ignorantiæ cauſam dedit? ſed hoc abſurdum eſt dicere; alioquin omnes infideles eſſent negativè, & inculpabiliter infideles, nec de infidelitate argui poſſent. Mi. eſt certa. Nam cùm veræ fidei cognitio per ſolas vires naturæ non poſſit haberi, ſed ſolis gratiæ viribus, ſi infideles carerent omni auxilio gratiæ etiam ſufficiente non poſſent veram fidem cognoſcere; & ſic ignorarent, quod nec ſcirent, nec poſſent ſcire.

Imò cum eadem ratio ſit de omnibus, ſequeretur, quòd ſi Deus negaret hominibus auxilia ſufficientia, ſine quibus non poſſent obſervare mandata, neque ſalvari, excuſarentur in omnibus; nec ulla forent peccata perſonalia, ſed ſolum peccatum originale, & omnes miſeriæ, quas patimur, haberent quidem rationem pœnæ, ſed non peccati: & ſe haberent adulti ſicut parvuli, nec poſt mortem ſubirent pœnam ſenſus, ſed ſolam damni, quo nullus error intolerabilior excogitari poteſt.

XXXIX. Supereſt modò oſtendere, quàm falsò Janſenius aſſerat, ignorantiam etiam invincibilem eſſe peccatum, fuiſſe ut dogma fidei ab antiquis traditum; & oppoſitum fuiſſe errorem Pelagianorum. Et rursùs, quòd hæc fuerit S. Auguſtini doctrina.

XL. Primùm enim evinco. Supponendo, quòd Eccleſia antiqua tempore D. Auguſtini media erat inter duos extremos errores, nimirùm, Manichæorum dicentium, peccata non ex libero arbitrio, ſed ex natura ex ſe mala prodiiſſe, & ideò quamvis neceſſitate facta, non voluntate, eſſe peccata: & Pelagianorum, qui dùm volebant, omne peccatum eſſe voluntarium, negabant, in parvulis, in quibus nihil voluntarium eſſe poteſt, peccatum originale reperiri; neque hoc colligi ex oblivione, & ignorantiâ, quâ homines laborare dignoſcuntur: quia, ajebat *Cœleſtius* relatus in actis Synodi Dioſpolitanæ, & à Sanct. Auguſt. de Geſtis Pelagii c. 18. *Oblivionem, & ignorantiam non ſubjacere peccato, quoniam non ſecundùm voluntatem eveniunt, ſed ſecundùm neceſſitatem.* Et pro-

Digitized by Google

propterea Catholicos peccatum originale admittentes, cum Manichæis convenire autumabant, neſcientes in natura hominis diſtinguere id, quod ex natura eſt, & à Deo conditore habet, & quod ex vitio naturæ eſt, & à Protoparentis culpâ ſortita eſt. Quare dùm unum errorem vitare volebant, in alium impingebant: ut enim facerent bonum conditorem Deum, tollebant Chriſtum Salvatorem; & dùm naturam undequaque bonam ponentes Deum malum eſſe negabant, aſſerentes in homine pęnam eſſe ſine culpa, Deum faciebant injuſtum.

XLI. Eccleſia verò Catholica, & Manichæos deteſtata, & Pelagianos, dùm naturam à Deo conditam, bonam confitetur, peccandi abſolutam neceſſitatem contra Manichæos damnat. Dùm vero vitio voluntario, primi parentis eam vitiatam peccandi contraxiſſe neceſſitatem, niſi per Chriſtum ſanetur, affirmat; Pelagianos redarguit, facitque Deum bonum, qui bonum opus fecit, & ſimul juſtum, qui pęnam propter culpam infligit. Sic D. Auguſtinus *lib. 3. contra duas epiſt. Pelagian. cap. 9. Inſequitur* [inquit] *illa* [nempe Catholica veritas] *& ſimul Manichæos, Pelagianoſque ſubvertit. Homo enim, dùm naſcitur, quia bonum aliquid eſt, in quantùm homo eſt, Manichæum redarguit, laudatque Creatorem: in quantùm verò trahit originale peccatum, Pelagium redarguit, & habet neceſſarium Salvatorem. Nam & quod ſananda dicitur iſta natura, utrumque repercutit: quia nec medicinâ opus haberet, ſi ſana eſſet, quod eſt contra Pelagium; nec ſanari poſſet omnino, ſi æternum, atque immutabile malum eſſet, quod eſt contra Manichæum.* Vid. S. D. ibid. *lib. 4. c. 4.*

XLII. Hinc ad rem noſtram: dùm Sanctus Auguſtinus Manichæos aggreditur, qui peccatum non ex vitio voluntario primi hominis, ſed ex naturæ omnimodâ neceſſitate ortum exiſtimabant, oſtendit (loquens de peccato perſonæ) neminem peccare in eo, quod vitare non poteſt. Ità *lib. de duabus animabus contra Manich. cap. 11. Expecta* (inquit) *ſine prius etiam peccatum definiamus, quod ſine voluntate eſſe non poſſe omnis mens apud ſe divinitùs conſcriptum legit . . . nonnè illa cantant, & in montibus Paſtores, & in theatris Poetæ, & Indocti in circulis, & Docti in bibliothecis, & Magiſtri in ſcholis, & Antiſtites in ſacratis locis, & in Orbe terrarum genus humanum?* Ubi verò egit contra Pelagianos, qui ex hoc principio falsò deducebant, in pueris, qui nihil propriâ voluntate egerunt, ſed neceſſitate operantur, nullum peccatum, neque originis propterea admittebant; aliter diſcurrendum fuit, & diſtinguendum inter id, quod eſt purè peccatum, & id quod eſt peccatum, & ſimul pœna peccati.

XLIII. Ità Sanctus Auguſtinus *lib. 1. Operis imperfecti contr. Julianum cap. 47.* Juliano ſibi objicienti ſuperiùs allatam peccati definitionem, reſpondens, tria dixit eſſe diſtinguenda, nempè peccatum, pęnam peccati, & quod ità peccatum eſt, ut ſit etiam pęna peccati. Primi generis fuit peccatum Adami, quod ità perpetravit, ut ei fuerit liberum abſtinere. Secundi generis eſt in eo, quod quis pro peccato patitur, & nullo modo agit, velut cum pro ſuo ſcelere occiditur, vel in aliqua parte corporis cruciatur. Tertii generis ſunt peccatum originale, ignorantia, & cęcitas mentis: hæc enim peccatum ſunt, & ſimul pœna peccati, & tamen non voluntate, ſed neceſſitate ſunt; cùm ſint in parvulis, qui nondùm voluntatis utuntur arbitrio. *Origo tamen etiam hujus peccati deſcendit à voluntate peccantis. Fuit enim Adam, & in illo fuimus omnes: periit Adam, & in illo omnes perierunt.*

Ex hac D. Auguſt. doctrina, quam alibi tradit, malè intellectâ deducit Janſenius, eſſe aliquod peccatum neceſſitate, non voluntate, quod imputatur ad culpam: & ſic infidelitatem eorum, qui nihil de Chriſto audie-

Digitized by Google

runt, & quorum corda Deus interiùs per gratiam non pulſat, adhuc eis eſſe peccatum, & imputari.

XLIV. Sed Janſenius ità ſentiens incidit in errorem Baii aſſerentis: *Infidelitas purè negativa in his, quibus Chriſtus non eſt prædicatus, eſt peccatum*, quam propoſitionem damnarunt S. Pius V. & eſt lxv. cæterique Pontifices ſucceſſores damnationem confirmavere. Diſtinguere ergo debuiſſet Janſenius duplicem ignorantiam, & infidelitatem: unam purè negativam, quam quis non vitat, quia non poteſt, nec eam vitare in ejus poteſtate eſt. Et hæc vitium quidem eſt naturę corruptæ, maluſque habitus ex peccato relictus, & ad peccatum inclinans, ſicut & concupiſcentia; ſed peccatum non eſt, nec verti in culpam debet ei, qui neſcit, qui non credit quia ſcire, & credere non poteſt, & non poſſe ſcire, & credere neceſſitatis eſt ex natura vitiata deſcendens, non ex voluntate. Alteram verò privativam, quâ quis ſcire, & credere potuit, & ignorantiam, ac infidelitatem vincere, ſed noluit, vel ſaltem neglexit; & hæc certè peccatum eſt, imputatur, & exprobratur, quia non neceſſitate, ſed voluntate ignorat.

XLV. Hæc Sancti Auguſtini ſincera mens eſt. Eam enim prodit in *epiſt.* 105. nunc 194. *ad Sixtum cap. 6. contra Pelagianos*. Ubi poſtquam expreſsè diſtinxit in infidelibus ignorantiam negativam, & invincibilem, qui ideò non crediderunt, quia non audierunt, & dixit, hos de peccato, eſto non omni, dè infidelitate tamen excuſationem habituros, ſubjungit: *Ipſa ignorantia in eis, qui intelligere noluerunt, ſine dubitatione peccatum eſt; in eis autem, qui non potuerunt, pœna peccati*. Hoc idem docuit *tract. 89. in illud Joa. 15. Si non veniſſem, & locutus eis non fuiſſem, peccatum non haberent*. Ubi ait: *Nunquid ſine peccato erant Judæi, antequam Chriſtus ad eos in carne veniſſet? Quis hoc vel ſtultiſſimus dixerit? ..... ad hæc inquiſita pro meo captu, Domino donante reſpondeo, habere illos excuſationem, non de omni peccato ſuo, ſed de hoc peccato, quo in Chriſtum non crediderunt, ad quos non venit, & quibus non eſt locutus*.

Deinde quærens *utrum hi, qui priuſquàm Chriſtus in Eccleſia veniret ad Gentes, & priuſquàm Evangelium ejus audirent, vitæ hujus fine præventi ſunt, ſeu præveniuntur, poſſint habere hanc excuſationem?* reſpondet. *Poſſunt planè. Sed non ideò poſſunt effugere damnationem:* nimirum propter peccatum originale, & alia perſonalia.

Quare autem ignorantia involuntaria excuſat, docuit *lib. 3. de lib. arbitr. c. 19.* & confirmavit *lib. de natura, & gratia contra Pelag. cap. 67.* ubi de ſua ignorantia conquerentes ſic redarguit: *Rectè enim fortaſsè quererentur, ſi erroris, & libidinis nullus homo victor exiſteret: cum vero ubique ſit præſens, qui multis modis per creaturam ſibi Domino ſervientem, averſum vocet, doceat credentem, conſoletur ſperantem, diligentem adhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem; non tibi deputatur ad culpam, quòd invitus ignoras, ſed quòd negligis quærere, quòd ignoras: neque illud, quod vulnerata membra non colligis, ſed quòd volentem ſanare contemnis*. Cum ergo, ſi Infidelibus nulla gratiâ ſufficiente adeſſet Chriſtus, eos averſos vocans, inviti ignorarent, non eis eorum infidelitas deputaretur ad culpam, ſed de ſua infidelitate excuſationem haberent; ſicut eam habuiſſent Judæi, ſi Chriſtus ad eos non veniſſet, & habuerunt gentes, antequàm eis Evangelium annuntiaretur. Et damnarentur quidem ob alia peccata, ſed non ob infidelitatem. Hæc eſt germana S. Auguſtini doctrina, & Eccleſiæ Catholicæ.

XLVI. Hanc ex Sancto Auguſtino fideliter hauſit ejus diſcipulus S. Thom. qui 2. 2. *qu.* 10. *art.* 1. ubi quærit. *an infidelitas ſit peccatum*, ſic reſolvit: *Dicendum, quod infidelitas dupliciter accipi poteſt: Uno modo ſecundùm puram negationem; ut dicatur infidelis ex hoc*

ſolo,

Digitized by Google

ſolo, quòd non habet fidem: Alio modo poteſt intelligi infidelitas ſecundùm contrarietatem ad fidem; quâ ſcilicet aliquis repugnat auditui fidei, vel etiam contemnit ipſam, ſecundùm illud Iſaiæ 53. quis credidit auditui noſtro? *& in hoc propriè perficitur ratio infidelitatis, & ſecundùm hoc infidelitas eſt peccatum.*

Si autem accipiatur ſecundùm negationem puram, ſicut in illis, qui nihil audierunt de fide, non habet rationem peccati, ſed magis pœnæ: quia talis ignorantia divinorum ex peccato primi parentis conſecuta eſt.

Qui autem ſic ſunt Infideles, damnantur quidem propter alia peccata, quæ ſine fide remitti non poſſunt; non autem damnantur propter infidelitatis peccatum. Unde Dominus dicit Joan. 15. Si non veniſſem, & locutus eis non fuiſſem, peccatum non haberent. *Quòd exponens Auguſt.* [*tract.* 89. *in Joan.*] *dicit;* quod loquitur de illo peccato, quo non crediderunt in Chriſtum. Hæc D. Thom.

XLVII. De tempore autem, quo cuique etiam infideli auxilium ſufficiens conferatur, quo poſſit conari ſaltem remotè ad fidem, cenſeo, hoc ſpecialiter eſſe, cum ad uſum rationis primum pervenit. Nam ex doctrina D. Thomæ ſuperius relata §. 2. quilibet ad uſum rationis perveniens, tenetur ſe convertere ad Deum tali converſione, ex qua ſequatur culpæ originalis remiſſio: non teneretur autem, niſi poſſet, neque poſſet, niſi auxilium ſufficiens ad tale præceptum implendum de facto intrinſecè reciperet.

Rurſus idem S. Doctor ad Rom. 10. lect. 3. poſtquam dixit, quòd *illi, qui loquentem Dominum per ſe, vel per ejus Diſcipulos non audierunt excuſationem habent de peccato infidelitatis, non tamen beneficium Dei conſequentur, ut ſcilicet juſtificentur ab aliis peccatis; vel quæ naſcendo contraxerunt, vel malè vivendo addiderunt, & pro his meritò damnantur.* Subdit:

Si qui tamen eorum feciſſent, quod in ſe eſt, Dominus eis ſecundùm ſuam miſericordiam providiſſet, mittendo eis prædicatorem fidei, ſicut Petrum Cornelio, act. 10. *& Paulum Macedonibus, ut habetur act.* 16. *Sed tamen hoc ipſum quod aliqui faciunt, quod in ſe eſt convertendo ſe ad Deum, ex Deo eſt movente corda ipſorum ad bonum Threnor.* 5. Converte nos Domine ad te, & convertemur. Supponit ergo D. Thomas, etiam iis, qui nihil audierunt de Evangelio adeſſe auxilium ſufficiens, quo poſſint facere, quod in ſe eſt, ſcilicet convertendo ſe ad Deum auctorem naturæ; quod ſi faciant, moveatur ad eos illuminandos per fidem. Hæc etiam docet D. Thom. *quæſt.* 14. *de verit. artic.* 11. *ad* 1.

§. VI.

Defenduntur ſtatuta §. 2.

XLVIII. Doctores, qui, ut ſuperiùs adnotavimus admittunt quidem, Deum omnibus offerre auxilia ſufficientia ad ſalutem, non verò omnibus re ipsâ conferre, Objiciunt:

Primò Concil. Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 11. ait: *Deus namque ſuâ gratiâ ſemel juſtificatos non deſerit, niſi ab eis priùs deſeratur:* ſed hæc deſertio nequit intelligi de ſubtractione gratiæ efficacis, cum hæc abſque hominis culpa multotiès denegetur; ergo de gratia ſufficiente.

XLIX. Reſpondent aliqui, Concilium præfatis verbis, quæ ſumſit ex Auguſtino *lib. de nat. & gratia cap.* 26. loqui de ſubtractione gratiæ habitualis, & juſtificantis; quia loquitur de homine juſtificato, à quo verum eſt, Deum non ſubtrahere gratiam juſtificantem, niſi deſeratur per peccatum: quæ reſponſio probabilis eſt. Ne tamen illi acquieſcam, me movet Sanct. Auguſtinus, qui loco laudato poſtquam dixit: *non deſerit, niſi deſeratur*, addit: *ut piè ſemper, juſtèque vivatur.* Quibus indicat, quòd Deus, cum hominem juſtificatum ſe deſerentem deſerit,

ſerit, ab eo ſubtrahat non ſolùm gratiam juſtificantem, ſed etiam auxilia, quæ cum gratia illi conſerebat ad perſeverandum. Sicut enim (exemplum eſt S. Auguſtini) *Vulnere verbi gratia claudicans ideò curatur, ut ſanato malo præterito futurus dirigatur inceſſus: ſic mala noſtra, non ad hoc ſolùm ſupernus Medicus ſanat, ut illa jam non ſint, ſed ut de cætero rectè ambulare poſſimus, quod quidem etiam ſani, nonniſi illo adjuvante poterimus*. Et infra: *ſicut enim oculus corporis etiam pleniſſimè ſanus, niſi candore lucis adjutus, non poteſt cernere: ſic & homo etiam perfectiſſimè juſtificatus, niſi æternâ luce juſtitiæ divinitùs adjuvetur, rectè non poteſt vivere*.

L. Reſpondeo igitur, hominem juſtificatum, per peccatum Deum deſerentem, à Deo deſeri per ſubtractionem, nedùm gratiæ ſanctificantis, & habitualis, ſed etiam actualis, ſive efficacis ad actu perſeverandum; unde Auguſtin. ſubjungit: *Sanat ergo Deus, non ſolùm ut deleat, quod peccavimus, ſed ut præſtet etiam ne peccemus*. Vel, ſi velis, ſubtrahit etiam ſaltem ad tempus gratiam ſufficientem ad proximè poſſe perſeverare, relinquendo in ipſo gratiam ſufficientem ſolùm remotè: quod non eſt contra nos.

LI. Objiciunt ſecundò ex D. Auguſtino *lib. de corrept. & gratia cap.* 11. ubi de adjutorio *ſine quo*, ſeu ſufficiente: *ſi autem* (inquit) *hoc adjutorium vel Angelo, vel homini, cùm primùm facti ſunt, defuiſſet .... non utique ſuâ culpâ cecidiſſent: adjutorium quippè defuiſſet, ſine quo manere non poſſent. Nunc autem quibus deeſt tale adjutorium, jam pœna peccati eſt: quibus autem datur, ſecundùm gratiam datur, non ſecundùm debitum*. Supponit ergo S. Doctor, homini lapſo in pœnam aliquando deeſſe illud adjutorium, quod ſi Angelo vel homini innocenti defuiſſet, jam non ſuâ culpâ cecidiſſent; quia illis defuiſſet adjutorium, ſine quo manere non poſſent. Hoc autem eſt auxilium ſufficiens; ergo &c. Quod confirmatur ex D. Th. 2. 2. *quæſt.* 2. *art.* 5. *ad* 1. ubi hoc eodem D. Auguſtini utitur teſtimonio.

LII. Reſpondetur SS. Auguſtinum, & Thomam loqui de gratia proximè ſufficienti ad perſeverandum, & ad adimplenda præcepta ſupernaturalia, nimirùm diligendi Deum ſuper omnia, & credendi articulos fidei, ut ibi loquitur D. Thom. qualis collata fuit Angelis, & Adamo, cùm primùm facti ſunt: de hac meritò dicunt, quòd quibus non datur, in pœnam denegatur, peccati ſaltem originalis; quibus autem datur, miſericorditer datur. Cum hoc tamen optimè ſtat, quòd omnibus, & ſingulis ſaltem dùm ad uſum rationis perveniunt, conferat Deus aliquod auxilium imperfectius, remotè ſolùm ad juſtificationem, & ſalutem conducens, vi providentiæ ſolùm generalis, quâ omnes, & ſingulos ad ſalutem ordinavit.

LIII. Sed inſtant. Sanctus Auguſtinus *ſerm.* 11. *de verbis Apoſt.* nunc *ſerm.* 26. *cap.* 4. ait: *Communis eſt omnibus natura, non gratia*. Item D. Thomas *qu.* 24. *de veritate ar.* 15. probat, quòd ſi omnibus daretur gratia, quâ homo ſe præpararet ad gratiam, *non videretur aliud eſſe, quàm naturale donum. Nam in nullo inveniuntur omnes homines convenire, niſi in aliquo naturali*.

LIV. Reſpondeo, D. Auguſtinum loqui de gratia ſpeciali, quâ fideles, ac juſti ſumus, & quâ ſecernimur à Paganis; non de gratia generali, & ſufficiente etiam remotâ, quæ ex providentia generali omnes ad ſalutem dirigente deſcendit.

D. Thomas verò, ut legenti conſtabit, loquitur de gratia, quæ ſit donum habituale omnibus collatum; non verò de gratia actuali, ſecundùm quam Deus aliquomodo in mentibus hominum operatur proximè, vel remotè eos ad juſtificationem dirigendo, puta exteriori admonitione, vel interiori inſtinctu. Imò dicit, *hæc omnia ex divina miſericordia homini provideri*.

LV.

LV. Sed replicant. Collatio cujuſcumque auxilii ſupernaturalis eſt vera gratia: ſed Deus, ut ſuam gratiam veram eſſe demonſtret, neceſſe eſt, ut eam non omnibus, & ſingulis conferat, aliàs videretur eſſe donum naturaliter debitum; eò vel maximè, quòd homo per peccatum, ſive originale, ſive actuale amiſit jus ad ſalutem; qui autem amiſit jus ad finem, amiſit etiam ad media, & homini in peccato, utpotè ſpiritualiter mortuo, non debetur aliquid principium, ratione cujus poſſit vitam ſpiritualem recuperare; ergo &c.

LVI. Et ego ſimiliter inſto. Nam etiam oblatio cujuſcumque auxilii ſupernaturalis, & remedii ad ſalutem vera gratia eſt; ergo ne videatur debita, neceſſe eſt, ut illud, non omnibus, & ſingulis offerat, nec pro omnibus Sacramenta inſtituerit, nec pro omnibus ſemetipſum tradiderit, ut dicunt Janſeniſtæ. Cur ergo hoc Adverſarii, ne ſint Janſeniſtæ admittunt? Sicut igitur Deus, quamvis ex juſtitia potuerit hæc omnia omnibus, & ſingulis hominibus denegare, non tamen alicui denegat, ſed omnibus, & ſingulis offert; quia non decet ſuam bonitatem, hominem, quem ad ſupernaturalem finem elevavit, omnibus mediis, quibus ad dictum finem conari poſſit, deſtituere: ità non decet, non conferre auxilia ſufficientia, & intrinſeca iis, qui illorum ſunt capaces. Et ſicut per hoc, quòd ea omnibus offerat, & exhibeat non deſinunt eſſe gratiæ: ità nec deſinent eſſe gratiæ, quamvis omnia prædicta adultis, qui, capaces ſunt re ipſa conferat. Dixi iis, qui ſunt capaces, nempè adulti. Quid enim de parvulis ſentiamus, diximus ſupra §. 6. Dubii præcedentis, quæ huc revocanda ſunt.

LVII. Objiciunt tertiò. Si Deus conferret omnibus adultis auxilia ſufficientia ſupernaturalia, omnibus conferret auxilium proximum ad credendum; quia fides eſt initium, & fundamentum totius ordinis ſupernaturalis: unde, ait Paulus ad Hebr. 11. v.6. *ſine fide autem impoſſibile eſt placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.* Et Concil. Trident *ſeſſ. 6. cap. 8. fides* (inquit) *eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radix omnis juſtificationis.* Sed falſum eſt, quòd omnibus, & ſingulis conferat Deus auxilium ad proximè credendum, aliàs omnes poſſent, & tenerentur credere; & ſic non daretur infidelitas negativa contra D. Thomam ſupra citatum 2.2. *qu. 10. artic. 1.* aſſerentem in pluribus dari infidelitatem negativam; ergo &c.

LVIII. Confirmatur. Cum homo pervenit ad uſum rationis, datur illi auxilium, quo poſſit ad Deum converti, & juſtificari, ut dictum eſt: ſed hoc poſito non datur amplius infidelis negativè, quia nullus erit, qui non habeat auxilium, vel ſaltem non habuerit, quo poſſit, & teneatur credere; ergo &c.

LIX. Reſpondeo, neg. maj. Quòd enim auxilium ad poſſe proximè credere ſit inter omnes gratias actuales ſimpliciter prima, radix, & fundamentum omnium aliarum, ſunt propoſitiones 26. & 27. Queſnellianæ damnatæ in Conſtit. Unigenitus à Clemente XI. nimitùm: *Nulla gratiæ dantur, niſi per fidem, & fides eſt prima gratia, & fons omnium aliarum.* Et meritò quidem: gratiam enim, ſeu auxilium dans proximè fidem præcedunt aliæ gratiæ, tùm ex parte intellectus, tùm ex parte voluntatis, quibus homo præparatur ad fidem. Quod expreſſit Tridentinum *ſeſſ. 6. cap. 6.* dùm ait: *Diſponuntur autem ad ipſam juſtitiam, dum excitati divinâ gratia, & adjuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes, vera eſſe, quæ divinitùs revelata, & promiſſa ſunt.* Quibus nos docet, gratiam fidei pluribus gratiis, tùm ex parte intellectus, tùm voluntatis præveniri. Primò enim datur gratia excitans, & adjuvans intellectum, ut fidem ex auditu quaſi ſpeculativè concipiat, & de ea cogitare inci-

Digitized by Google

incipiat; deinde, ut eam practicè voluntati proponat; rursùs, ut hâc piâ affectione erga fidem, ac Deum revelantem liberè moveatur. Inſuper quis negare poterit, *exordium juſtificationis in adultis à Dei per Jeſum Chriſtum præveniente gratiâ ſumendum eſſe, hoc eſt ab ejus vocatione, quâ nullis eorum exiſtentibus meritis vocantur?* ut ſtatuit Tridentinum eadem *ſeſſ. 5. cap. 5.* quis enim poteſt venire ad fidem, niſi à Deo priùs vocetur? Hujuſmodi autem gratiæ fidem prævenientes à gratia fidei diſtinctas eſſe, & ſeparabiles, patet; quia eis homo poteſt diſſentire, & non credere ſi velit. Eſſe quoque ſupernaturales, nemo negabit, niſi velit eſſe Semipelagianus, & dicere, initium fidei eſſe ex nobis.

Hæc adeò vera ſunt, ut D.Aug. *lib. de Prædeſt. SS. c. 2.* ad illud *2. Cor. 3. v. 5. Non quòd ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis; ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Ità Semipelagianos perſtringat: *Quis enim non videat, prius eſſe cogitare, quàm credere? nullus quippè credit aliquid, niſi prius cogitaverit eſſe credendum. Quamvis enim raptìm, quamvis celerrimè credendi voluntatem quædam cogitationes antevolent, moxque illa ità ſequatur, ut quaſi conjunctiſſima comitetur: neceſſe eſt tamen, ut omnia, quæ creduntur, præveniente cogitatione credantur. Quanquam & ipſum credere, nihil aliud eſt, quàm cum aſſenſione cogitare. Non enim omnis, qui cogitat, credit; cùm ideò cogitent plerique, ne credant &c.* Et ulteriùs procedens *lib. 2. contra duas epiſt. Pelagian. c.8.* Hos hæreticos, qui victi laudato Apoſtoli teſtimonio eſto admitterent, non poſſe nos ſine auxilio gratiæ de fide cogitare, poſſe tamen ex nobis eam deſiderare, ſic arguit: *Minùs eſt autem cogitare, quàm cupere. Cogitamus quippe omne quod cupimus, nec tamen cupimus omne quod cogitamus, quoniam nonnunquam, & quod non cupimus, cogitamus. Cum igitur minus ſit cogitare, quàm cupere: poteſt enim homo cogitare bonum, quod nondùm cupit, & proficiendo poſtea cupere, quod antea non cupiendo cogitavit: quomodo ad id, quod minus eſt, ideſt ad cogitandum aliquid boni, non ſumus idonei tanquam ex nobismetipſis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt; & ad id quod eſt amplius, ideſt, ad cupiendum aliquid boni, ſine divino adjutorio idonei ſumus ex libero arbitrio?*

LX. Neque obſtat, quòd ſine fide impoſſibile ſit placere Deo, & quòd credere oporteat accedentem ad Deum; nam & nos hoc fatemur: ſed dicimus, fidem, & credere non eſſe inter gratias actuales primam, imò alias gratias fidem præcedere, nimirùm gratiam vocationis, inſpirationis ad fidem, deſiderium credendi, alioſque motus etiam indeliberatos, qui à Deo auctore ſupernaturali prævìè ad actum deliberatum credendi in nos immittuntur. Fatemur etiam, quòd ſit initium humanæ ſalutis, fundamentum, & radix omnis juſtificationis, quia inter pietatis opera ad juſtitiam, & ſalutem conducentia primum eſt fides: ſed fidem dicimus vocatione, inſpiratione, deſiderio præveniri, ut ſuperiùs ex Tridentino, & Auguſtino probavimus.

LXI. Neque pariter tollimus infidelitatem purè negativam. Nam ut aliquis ſit infidelis non purè negativè, ſed contrariè, non ſufficit, quòd aliquo actu etiam ſupernatutali, tàm ex parte intellectus, quàm voluntatis remotè moveatur, & afficiatur ad ſalutem; ſed requiritur ulteriùs, ut ei explicitè proponantur myſteria fidei, ut à Deo revelata, & quod iſte diſſentiat, quia teſte Paulo Rom. 10. *Ergo fides eſt ex auditu.* Conſtat autem, nullam repugnantiam dari in eo, quòd quis habeat aliquod auxilium ſaltem remotum ad fidem, quo ad Deum auctorem ſupernaturalem poſſit, & teneatur ſe converte, quòd ſit quædam quaſi inchoatio fidei, & quod invincibiliter ignoret divinam revelationem, & obligationem credendi, & ſic maneat negativè infidelis. Quæ reſpon-

ſio

Digitized by Google

ſio robur habet etiam in ſententia adverſaria. Nam juxta eam, ut quis non excuſetur à peccato infidelitatis, ſufficit, ut Deus offerat auxilia proxima ad credendum: & nihilominùs cum oblatione iſta optimè ſtat ignorantia invincibilis de myſteriis, & præceptis ſupernaturalibus, & de obligatione credendi; cur ergo de his non ſtabit ignorantia invincibilis erga præceptum credendi cum collatione alicujus ſupernaturalis, remotè conducentis ad ſalutem? Ità probabiliter aliqui.

LXI. Communiùs alii reſpondent, in homine perveniente ad uſum rationis non dari infidelitatem negativam; quia Deus pro tunc omnem hominem ſufficienter illuminat circa illa duo generalia à Paulo propoſita *Hebr.* 11. nimirùm, quia Deus eſt, & inquirentibus ſe remunerator eſt: cui ſi homo cooperaretur, conferret illi Deus auxilium, & lumen ulterius ad proximè credendum, & ſe convertendum perfectè. Cum hoc tamen cohæret quod in pluribus, qui nihil ampliùs de fide audierunt, detur infidelitas negativa circa omnia in majori ætate conſtitutis. Et hoc quia homo illius internę illuminationis in primo inſtanti uſus rationis, decurſu temporis facilè naturaliter ità obliviſcitur, ac ſi eam nunquam habuiſſet: & hoc facilè contingit in illa tenera ætate, in qua facilè à noſtra memoria elabitur id, quod à Deo tunc nobis inſpiratur. Quæ reſponſio ſalvat doctrinam D. Th. de infidelitate negativa, ad quam nullum determinat tempus; & rursùs, quòd quilibet homo ad uſum rationis perveniens teneatur ſe convertere ad Deum tali converſione, quâ diſponatur ad juſtificationem.

LXII. Ad confirm. ſimiliter reſpondetur. Vel enim ſecundùm primam reſponſionem homini pervenienti ad uſum rationis confertur auxilium ſolùm remotè diſponens ad fidem, & juſtificationem, & ſic ſalvatur in eo infidelitas negativa de fidei articulis, ut ſuperiùs dictum eſt. Vel illi confertur auxilium proximè ſufficiens ad fidem, & ſic eſto non ſalvetur in eo infidelitas negativa pro illo inſtanti; poterit tamen in eo reperiri decurſu temporis ratione naturalis oblivionis, ut pariter dictum eſt.

§. VII.

Defenduntur quæ dicta ſunt §. 5. de Juſtis.

MUlta congerit Janſenius *l.* 3. *de gratia Chriſti Salvat. cap.* 13. ut ſuadeat, hominibus etiam Juſtis deeſſe auxilia ſufficientia, tùm proxima, tùm remota ad obſervanda præcepta, & maximè ex S. Auguſtino. Nos unum, vel alterum proferemus, ex quibus cæterorum ſolutio patere poterit.

LXIII. Primò ergo affert S. Auguſtin. *tract.* 66. *in Joan.* dicentem de S. Petro: *Quid feſtinas Petre? Nondùm te ſuo ſpiritu ſolidavit Petra. Noli extolli præſumendo*, non potes modo. *Noli dejici deſperando*, ſequeris poſtea &c. ex quibus ſic. D. Petrus volebat, & conabatur ſequi Chriſtum, & tamen non poterat; ideſt non habebat gratiam, nec efficacem, quâ ſequeretur, nec ſufficientem, quâ poſſet ſequi.

LXIV. Primò. Reſponderi poteſt negando ſuppoſitum, quòd S. Petr. pro eo tempore, quo conabatur ſequi Chriſtum, & non poterat, ſit computandus inter Juſtos: quia licèt exteriùs videretur toto ardore Chriſto adhærere, interiùs tamen peccabat peccato præſumtionis, & ſuperbiæ, quia exiſtimabat, ſolis viribus liberi arbitrii ſine ullo divinæ gratiæ auxilio, ſe poſſe ſequi Chriſtum; cùm ultrà auxilium, quo poſſet velle ſequi, debuiſſet petere aliud auxilium, quo poſſet de facto vincere difficultates, quæ in Chriſtum de facto ſequendo obviæ illi erant futuræ: Deus enim dat non ſolùm velle, ſed & perficere. Videbat ſuam bonam voluntatem; ſed quia eam putabat ex propriis viri-

Digitized by Google

bus ortam, non à Dei gratia, exiſtimavit etiam, ſe propriis viribus Chriſtum poſſe quòcumque ſequi. Unde S. Auguſtinus ibi. *Quid* [inquit] *in animo ejus eſſet cupiditatis, videbat, quid virium, non videbat*. Quare ut exemplo ſuo monitus cautior fieret, ac humilior, meruit in pœnam ulteriori gratiâ efficaci, &, ſi velis, etiam ſufficiente paululum ad tempus deſeri; quod indicat, ibi Auguſt. ad illa verba Chriſti; *Non potes me modò ſequi*, ſubjungens: *Non ait non potes, ſed* non potes modò, *dilationem intulit, non ſpem tulit, & eandem ſpem, quam non tulit, ſed potiùs dedit, ſequenti voce firmavit, addendo, atque dicendo*: ſequeris autem poſtea. Nec iſta reſponſio contra nos eſt, qui non negamus, poſſe hominem gratiâ preventum, ulteriori gratiâ etiam ſufficiente ad tempus deſeri in penam; quo caſu peccatum illud, quod ex tali deſertione ſequeretur eſſet voluntarium in cauſa, nempè in peccato perſonali præcedente; ſed ſolùm poſſe omni auxilio etiam ſufficiente privari, & per omne tempus, ſeu per totam vitam.

LXV. Reſponderi poteſt ſecundò, dato, quòd D. Petrus præſumtione illâ lethaliter non peccaverit, vel ratione inadvertentiæ plenæ, vel ex alio capite, diſtinguendo antec. ſequi non poterat potentiâ poſitionis, conc. ant. potentiâ poſſibilitatis, nego antec. Habuit ergo D. Petrus potentiam poſſibilitatis, ſeu auxilium dans illi poſſe ſequi Chriſtum, evitare præſumtionem, imò & negationem, ſed ſolùm caruit potentiâ poſitionis, ſeu auxilio efficaci, quo de facto vitaret negationem, & Chriſtum ſequeretur; gratia enim efficax, dici poteſt, quòd det poſſe potentiâ poſitionis, quia conjungit poſſe cum agere. Hoc colligo ex Verbis Chriſti, qui dixit Petro Joan. 13. v. 36. *Non potes me modò ſequi: ſequeris autem poſtea*. Ubi non dixit: *poteris me ſequi poſtea*, ſed *ſequeris poſtea*. Defuit ergo Petro gratia, quâ de facto Chriſtum tunc ſequeretur, & quâ poſtea ſecuturus erat, hoc eſt gratia efficax, & dans agere; non defuit gratia quâ tunc poſſet, & quâ poſtea futurum erat ut poſſet, hoc eſt gratia ſufficiens.

Hàc tanquam regula generali reſponderi poteſt omnibus ferè textibus, quos pro ſe coacervat Janſenius, habendo ſemper præ oculis, quod D. Auguſtinus, qui agebat contra Pelagianos omnem gratiam negantes, tam ſufficientem, ut poſſimus, quàm efficacem, ut faciamus, utriuſque gratiæ neceſſitatem exemplo D. Petri demonſtrare, & palàm facere voluit; nimirùm, & gratiam ut poſſimus, & gratiam ut faciamus, quæ, quia illi defuit, ideò in negationem lapſus eſt.

LXVI. Secundò affert Janſenius eundem S. Doctorem, qui *lib. 13. de Trinit. cap. 16.* docet, hæc Apoſtoli verba 1. Cor. 10. v. 13. *Fidelis autem Deus eſt, qui non patietur, vos tentari ſupra id, quod poteſtis*, de Prædeſtinatis eſſe intelligenda; ergo non de Reprobis.

LXVII. Reſpondeo primò, quòd S. Auguſtinus generaliter de omnibus ea verba exponit: *enarrat. in Pſ. 61. num. 20. in Pſal. 94. num. 9. Serm. 165. de tempore modo 46. de Paſtoribus cap. 5. & Serm. 256. aliàs 18. Ex Sirmondianis*, ubi ait, ab omnibus in tentationibus cantandum eſſe *Alleluja*; fidelis enim Deus, qui non permittet vos tentari ſupra id, quod poteſtis. *Ergo & hîc cantemus Alleluja. Adhuc homo eſt reus, ſed fidelis eſt Deus &c.*

Cæterum admiſſo antecedente, diſtinguo conſequ. de Reprobis eodem modo, co: conſequentiam; nullo modo, nego conſequ. Verba ergo S. Doctoris non ita intelligenda ſunt, ut Deus Prædeſtinatos non permittat tentari ſupra id, quod poſſunt; Reprobos autem, ſupra id quod poſſunt, tentari permittat, aliàs ſecum ipſe pugnaret, qui, ut ſupra oſtendimus, paſſim docet, quòd *Deus impoſſibilia non jubet*. Exponenda ſunt ergo quantum ad exitum

Digitized by Google

exitum tentationis. Nam eſto utrique poſſint, & utriſque adſit gratia ſufficiens, Prædeſtinatis tamen, quibus adeſt etiam ſuâ gratiâ efficaci dante perſeverantiæ donum, tentatio ipſa utilis, & proficua fit. Unde ſubdit Paulus: *ſed faciet etiam eum tentatione proventum, ut poſſitis* [nimirùm potentiâ etiam poſitionis] *ſuſtinere*. Et Sanct. Auguſtinus loco laudato à Janſenio: *ſed circa eos* [inquit] *iſta ſervantur*\, *de quibus Apoſtolus dicit:* ſcimus, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. At Reprobis, quibus non adeſt Deus ſuâ gratiâ efficaci dante perſeverantiam in bono, tentatio exitialis evadit. Videri poteſt D. Thom. *in* 1. *ad Cor. c.* 10. *lect.* 3. exponens præfata Pauli verba.

LXVIII. Sed dices. Quo fundamento aſſerimus, quòd de mente Auguſtini Deus impoſſibilia non jubet, cùm contrarium expreſsè aſſerat *lib. de gratia, & libero arbitrio cap.* 16. dicens: *quòd ideò Deus jubet aliqua, quæ non poſſumus, ut ſciamut, quid ab eo petere debeamus?*

LXIX. Reſpondeo, quòd fundamenta noſtræ aſſertionis ſuperiùs ex eodem S. Auguſtino allata ſunt. Quòd verò laudato loco dicit, non eſt contra nos, qui fatemur, Deum præcipere aliqua, quæ ſunt impoſſibilia viribus naturæ; ſed dicimus ea omnia poſſibilia eſſe viribus gratiæ, & Deum donum ſaltem Orationis omnibus concedere, quo eas à Deo poſtulare poſſunt, & impetrare: *Nulli enim* (ait ibidem cap. 19.) *hominum ablatum eſt utiliter ſcire, utiliter quærere, quòd inutiliter ignorat*. Vel quòd homini etiam fideli Deus præcipit aliqua, quæ per gratiam, quam habet, proximè non poteſt, ut ſciat ab eo per fidem petere, unde etiam proximè poſſit: & hunc eſſe ſenſum verborum Auguſtini relato loco indicat ipſe, ſubjungens: *Ipſa eſt enim fides, quæ orando impetrat, quod lex imperat*.

LXX. Tertiò. Eodem *lib. de gratia Chriſti Salvat. cap.* 7. plura affert loca Janſenius, quibus ex Auguſtino conatur oſtendere, non adfuiſſe hominibus ſub lege viventibus ullum auxilium ſufficiens ad legem implendam, & obſervanda præcepta, quia *lex iram operatur. Rom.* 4. *v.*15. Et *littera occidit*. 2. *Cor.*3. *v.*6.

LXXI. Sed ad hæc, & ſimilia reſpondeo, legem Veterem dupliciter conſiderari poſſe, vel quoad ea, quę habebat ex propriis, vel quoad ea, quæ acquirebat, ut conjuncta cum ſpiritu, nempè cum fide Mediatoris promiſſi. Ex propriis certè gratiam non pręſtabat, nec ſalutem, ſed operabatur iram, & occidebat: non quaſi lex eſſet cauſa peccati, & damnationis, bona enim erat; ſed tantùm occaſio, non data, ſed accepta, quia humana malitia ex lege ſumebat occaſionem eam tranſgrediendi. Ut verò conjungebatur littera ſpiritui, & lex fidei Mediatoris, ſic auxilia ſufficientia, imò etiam efficacia interdùm hominibus ad obſervantiam mandatorum, & ad ſalutem afferebat: ità tamen, ut gratia non eſſet ex lege, ſed ex fide, & ſpiritu: Et hoc modo Abraham, quia credidit juſtificatus fuit, cæterique in lege Veteri quotquot juſtitiam accepere. Propterea autem D. Auguſtinus videbatur extenuare legem, quia agebat contra Pelagianos, qui nimirùm legem, & doctrinam extollentes, gratiam per Jeſum Chriſtum neceſſariam eſſe negabant. Sicut & Paulus agens contra Judęos, qui de lege gloriabantur, ſic evehit gratiam, ut legem videatur damnare.

Porrò hanc eſſe ſuam mentem S. ipſe Auguſtinus prodit *epiſt.* 107. modò 217. *ad Vitalem cap.* 4. ubi ait; *Non eſt igitur gratia Dei in natura liberi arbitrii, & in lege, & doctrinâ, ſicut Pelagiana perverſitas deſipit, ſed ad ſingulos actus datur... quia... lex Dei, atque doctrina, quamvis ſancta, & juſta, & bona, tamen occidit, ſi non vivificet ſpiritus, per quem fit, non ut audiendo, ſed ut obediendo, non ut lectione, ſed ut dilectione teneatur.*

LXXII. Quartò. Janſenius, ut oſtendat etiam in juſtis adeſſe quandam neceſſitatem peccandi *lib. 7. de gratia Chriſti Salvatoris cap. 14.* & alibi ſæpè confugit ad querelas Pauli *Rom. 7. v. 14. 15. Venundatus ſub peccato. Quod enim operor, non intelligo, non enim quod volo bonum, hoc ago: ſed quod odi malum, illud facio.* Et *v. 17. Nunc autem jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum:* quod repetit v. 20. Et v. 23. *Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati.* Ergo homo, etſi juſtus, quandam ex peccato neceſſitatem habet faciendi, quod non vult, & impotentiam ad bonum, quantumcumque conetur. Hìc plura congerit S. Auguſtini teſtimonia, quibus putat, ſe evincere intentum.

LXXIII. Reſpondeo tamen diſtingu. conſequ. *neceſſitatur*, ideſt ratio neceſſariò patitur reſiſtentiam, & inſurgentiam appetitus contra ipſam, concedo conſequ. *Neceſſitatur*, ideſt ratio neceſſariò conſentit appetitui, ut deſit illi adjutorium, quo illum vincere poſſit, nego conſequ. In pugna igitur carnis adverſus rationem, quam ibi deſcribit Paulus in perſona hominis juſti (ut probabiliùs ſentiunt Patres, & Interpretes) duo diſtinguenda ſunt: & id, quod ratio patitur ab appetitu, ſeu à concupiſcentia, ſive habitualiter, ſive actualiter in motibus carnis rationem prævenientibus; & id, quod ratio agit, & operatur per ſuum conſenſum, vel diſſenſum. Primum neceſſariò patitur, neceſſitate contractâ per peccatum originale, quo, eſto per Baptiſmum quoad culpam deleto, adhuc tamen manent ejus conſequentię, & effectus, fomes, ſeu concupiſcentia, aliique habitus pravi ad malum inclinantes, & facilitantes, ex quibus ſępè prodeunt in carne, & membris motus rationem totaliter prævenientes. Et hoc eſt Paulo *eſſe venundatum ſub peccato, eſſe hominem carnalem:* hæc eſt *ſervitus peccati*, hoc eſt *captivari à peccato:* quod non conſiſtit in neceſſitate peccandi, aut in impotentia rectè agendi, & non peccandi, ſed in neceſſitate talia patiendi. In alio autem, nimirùm in eo, quod ratio agit conſentiendo, non neceſſitatur: habet enim ſemper adjutorium ſufficiens à Deo, quo poteſt non conſentire, ſi velit.

Hæc duo in ſe experire teſtatur Paulus eo apparenter contrario modo loquendi. Nam dum ait: *Non enim quod volo bonum, hoc ago*, indicat voluntatem adjutam gratiâ, ſed pravis concupiſcentiis impugnatam: *Homo enim* (ait D. Thom. hìc lect. 3.) *ſub gratia conſtitutus vult quidem mentem ſuam à pravis concupiſcentiis conſervare; ſed hoc bonum non agit propter motus inordinatos concupiſcentiæ inſurgentes in appetitu ſenſitivo.* Dùm verò addit: *ſed quod odi malum, illud facio, intelligitur à converſo* (ait D. Thom.) *actio imperfecta, quæ conſiſtit in ſola concupiſcentia appetitus ſenſitivi.* Rursùs ut oſtendat, ſe motibus concupiſcentiæ non conſentire, ſubdit: *nunc autem jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum.* Ubi D. Thom. *Illud autem dicitur homo operari, quod ratio operatur, quia homo eſt id, quod eſt ſecundùm rationem: unde motus concupiſcentiæ, qui non ſunt à ratione, ſed à fomite, non operatur homo, ſed fomes peccati, qui hìc peccatum nominatur.* Similiter ut oſtenderet Paulus, ſe gratiæ adjutorio velle quidem bonum, non eſſe tamen in ſui poteſtate excludere concupiſcentiam carnalem, ſubjungit: *Nam velle adjacet mihi: perficere autem bonum, non invenio. Velle adjacet mihi* (inquit S. Thom.) *ſcilicet per gratiam jam reparato* (velle) *eſt ex operatione gratiæ, per quam quidem gratiam non ſolùm volo bonum, ſed etiam aliquid boni facio, quia repugno concupiſcentiæ, & contra eam ago ductus ſpiritu. Sed non invenio in mea poteſtate, quomodo iſtud bonum perficiam: ut ſcilicet totaliter concupiſcentiam excludam.* Paulo igitur aderat auxilium, quo poſſet velle bonum, legem

con-

Digitized by Google

concupiſcentiæ contemnere, & legi Dei conſentire, quamvis in ſua poteſtate non eſſet concupiſcentiam, ejuſque motus totaliter excludere. Quare ex hoc textu nihil concludunt Adverſarii.

LXXIV. Quintò afferunt Janſeniſtæ etiam D. Thom. qui 2. 2. *quæſt.* 2. *art.* 5. *ad* 1. *dicendum*, inquit, *quòd ſi in poteſtate hominis eſſe dicatur aliquid excluſo auxilio gratiæ, ſic ad multa tenetur homo, ad quæ non poteſt ſine gratia reparante, ſicut ad diligendum Deum, & Proximum, & ſimiliter ad credendum articulos fidei. Sed tamen hoc poteſt cum auxilio gratiæ. Quod quidem auxilium* quibuſcumque datur, miſericorditer datur, quibus autem non datur, ex juſtitia non datur, in pœnam præcedentis, aut ſaltem originalis peccati. *Ut Auguſtinus dicit in lib. de corrept. & gratia* [c. 5. & 6.] Hìc S. Thomas loquitur de auxilio ſufficienti, ſine quo mandata Dei ſervari non poſſunt: ſed hoc dicit, aliquibus juſtè denegari; Ergo non omnibus re ipsâ datur.

LXXV. Confirm. ex eodem *qu.* 16. *de malo art.* 5. *ad* 11. ubi dicit: *Diabolus tenetur converti ad Deum, quamvis hoc ſit ei impoſſibile ſecundùm præſentem ſtatum; quia in hunc ſtatum ex voluntaria cauſa devenit*; ergo cùm etiam homo ex voluntaria cauſa in ſtatum corruptionis devenerit, tenebitur omnia præcepta ſervare, etſi hoc ſecundùm præſentem ſtatum ſit ei impoſſibile.

LXXVI. Reſpondetur primò, Sanct. Thomam ibi loqui de gratia reparante nempè de gratia habituali, quę ſola dicitur ſanans, & medicinalis per Chriſtum, quia mentem ſanat ad Deum convertendo, & hæc certè non omnibus datur; ſed quibus datur miſericorditer datur, quibus verò non datur ex juſtitia denegatur: non verò loqui de gratia actuali, & ſufficiente, quâ homo poſſit perduci ad gratiam ſanantem, & de facto perduceretur, ſi eâ benè uteretur. Hæc enim nulli denegatur.

LXXVII. Secundò reſpondeo, dato etiam S. D. loqui de auxilio gratię ſufficientis, quod intelligi debet de auxilio ſufficiente proximo, & immediato ad præcepta obſervanda, & explicitè credenda F dei Myſteria. Hoc enim non omnibus datur, ſed in pœnam præcedentis peccati aliquibus denegatur. Non verò de auxilio ſufficiente remoto, & mediato ad fidem ſcilicet implicitam, & inchoatam, quo, ſi benè uteretur, daretur ei auxilium proximè ſufficiens. Hoc enim nulli denegari ſuperiùs diximus; nec illis etiam, qui ſunt infideles ſolùm negativè. Qui propterea damnantur, non ob tranſgreſſionem præcepti fidei explicitæ, ad quod non tenentur, cùm non poſſint illud implere, ſed ex carentia fidei implicitæ Myſteriorum, quæ ſunt neceſſaria neceſſitate medii ad ſalutem. Semper autem præ oculis habendum eſt, quod ſuperiùs diximus, nempè, quòd ſi homo quantumvis barbarus, & in ſylvis educatus benè uteretur auxiliis illis remotis ſibi collatis, Deus non permitteret, illum deſtitui auxiliis ſufficientibus etiam proximè ad fidem explicitam, ut ex eodem S. Doctore oſtenſum eſt.

LXXVIII. Ad confirm. ex eodem, primò miror, Janſeniſtas hunc textum adducere pro ſe. Nunquid enim eandem impotentiam ad converſionem agnoſcunt in hominibus viatoribus, quamvis peccatoribus excæcatis, ſeu infidelibus, quam in Dæmonibus?

Secundò, conc. ant. nego conſequ. Et latum diſcrimen eſt: quia Diabolus in illum ſtatum ſe propriâ voluntate dejecit, quâ poterat evitare peccatum, quod fuit cauſa damnationis, ex quâ facta ei eſt impoſſibilis converſio; unde quòd in tali ſtatu non ſe convertat ad Deum, ei imputatur ad culpam, tanquam voluntarium, eſto non in ſe, ſed in cauſa: *Sicut* enim (ait D. Thom. citato loco) *ebrius tenetur non peccare, non quidem conſiderato præſenti ſtatu, ſed conſideratâ ebrietatis voluntariâ cauſâ, ſecundùm*

quam

quam imputatur ei aliquid ad culpam: ità etiam poteſt intelligi, quod Diabolus tenetur converti ad Deum, quamvis hoc ſit ei impoſſibile ſecundùm præſentem ſtatum, quia in hunc ſtatum ex voluntaria cauſa devenit.

At homo lapſus non eſt in ſtatu corruptionis poſitus ſuâ propriâ voluntate, ſed alienâ, nempè primi Parentis; neque ipſe potuit evitare cauſam hujuſmodi lapſus, & corruptionis, cùm nondùm eſſet, quando primus Parens peccavit: unde ſi præceptorum obſervantia foret ipſi in præſenti ſtatu impoſſibilis, eorum tranſgreſſio, vel omiſſio, non foret peccatum, nec in ſe, nec in cauſa; quia nullum poteſt eſſe peccatum perſonale, quod non ſit voluntarium propriâ ipſius peccantis voluntate.

§. VIII.

Propugnantur, quæ §. 4. de Peccatoribus, Obſtinatis, Obcæcatis, & Infidelibus ſtatuta ſunt.

LXXIX. Objiciunt primò. Obcæcatis deeſſe auxilia ſufficientia, probat illud *Joan.* 12. ubi de Populo Judaico *v.* 37. dicitur: *Cùm autem tanta ſigna feciſſet coram eis, non credebant in eum*, & *v.*39. 40. *Propterea non poterant credere, quia iterùm dixit Iſaias: Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum: ut non videant oculis, & non intelligant corde, & convertantur, & ſanem eos.* Si ergo non poterant credere, quia excæcati, & indurati; igitur excæcatis, & induratis deeſt auxilium, quo poſſint credere, & proinde, nedùm efficax, ſed ſufficiens.

LXXX. Confirmant ex eo, quòd de Eſau ad *Hebr.* 12. *v.* 17. dicitur: *Non enim invenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquiſiſſet eam.* Et de Antiocho 2. Machab. 9. v. 13. *Orabat autem hic ſceleſtus Dominum, à quo non eſſet miſericordiam conſecuturus.* Utrique ergo auxilia ad agendam pœnitentiam ex toto ſubtracta fuerant.

LXXXI. Reſpondeo, diſt. conſequens: quo poſſint proximè, concedo conſeq. quo poſſint tàm proximè, quàm remotè, nego conſequ. Judæi ergo non ex toto fuerant auxiliis Divinę Gratię deſtituti, ſed quia excæcati, carebant quidem auxilio efficaci, & in pęnam etiam ſufficiente ad proximè credendum; non tamen carebant auxilio ſufficiente ad deponendam propriam obſtinationem, & ad oculos aperiendos. Unde remotè ſaltem poterant credere, quo auxilio, ſi benè uſi fuiſſent, collatum eis fuiſſet etiam auxilium ſufficiens ad proximè credendum.

Hæc eſt ſolutio S. Thomæ in dictum *cap. Joan.* 12. *lect.* 7. ubi ad præfata verba ait: *Dicendum, quòd homo excuſatur, ſi non facit ea, quæ abſolutè ſunt ſibi impoſſibilia: ſed ſi non facit ea, quæ ſunt impoſſibilia ex ſuppoſitione, non excuſatur: ſicut ſi detur, quòd aliquis habeat malam voluntatem omninò furandi, & dicat, impoſſibile ſibi eſſe non peccare, quamdiù voluntatem illam obſtinatam habebit, non excuſatur: quia hujuſmodi impoſſibilitas non eſt ſimpliciter, ſed ex ſuppoſitione; poteſt enim voluntatem malam deponere.* Quare *in* 2. *diſt.* 48. *qu.* 1. *art.* 3. *ad* 2. dixerat: *in ſtatu viæ nullus eſt, qui mentis obſtinationem non poſſit deponere:* ut ſuperiùs nos quoque oſtendimus. Quare S. Auguſt. *tract.* 53. *in Joan.* explicans, cur obdurati Judęi credere non potuerint: *quare* (inquit) *non poterant, ſi à me quæratur, citò reſpondeo, quia nolebant:* & lib. de prædeſt. SS. c. 9. ait: *Facilè eſt, ut infidelitatem accuſemus Judæorum de libera voluntate venientem, qui factis apud ſe tàm magnis virtutibus credere noluerunt.* Poterant ergo credere, ſed nolebant.

LXXXII. Ad confirm. dico, tàm Eſau, quàm Antiochum habuiſſe auxilium ſaltem remotè ſufficiens ad agendam pœnitentiam veram, ſcilicet de eo quod peccaverant; ſed ex prava ſua voluntate egiſſe pœnitentiam falſam,

falſam, dolentes de eo, quod amiſerant, ut damnatos pęnitet in Inferno. Ità S. Thomas in præfatum Pauli locum *lect.* 3. his verbis: *dicendum eſt, quod quamdiù præſens vita agitur, poteſt agi vera pœnitentia. Interdùm tamen aliquis pœnitet, non propter amorem juſtitiæ, ſed propter timorem pœnæ, vel damni temporalis: & ſic pœnituit Eſau, non quia vendiderat primogenita, ſed quia perdiderat: unde non dolebat de peccato venditionis, ſed de damno perditionis. Et ideò pœnitentia ejus non fuit accepta, quia non fuit vera. Sic enim pœnitent damnati in Inferno, ut dicitur Sap.* 5. pęnitentiam agentes, *non quia peccaverunt, ſed quia excluſi ſunt*. Hæc D. Thom. Ità pęnituit Antiochum, non quia contra Deum ſceleſtus fuerat, ſed quia corporis ſanitatem amiſerat. Et ideò orabat Dominum, à quo non erat miſericordiam conſecuturus.

LXXXIII. Objiciunt ſecundò. *Eccleſiaſtis 7. v. 14.* dicitur: *Conſidera opera Dei, quòd nemo poteſt corrigere, quem ille deſpexerit:* quæ conſiderans Sanct. Iſidorus l. de ſummo bono c. 13. *Nonnulli*, inquit, *ità deſpiciuntur à Deo, ut deplorare mala ſua non poſſint, etiamſi velint*. Hinc Caini à Deo derelicti deſperatio; Hinc Pharaonis excæcati, qui licet tot malis percuſſus, tot ſignis admonitus, ac perterritus, durior tamen ſemper evaſit; de quo Sanct. Auguſtinus *in expoſit. quarumdam propoſit. in epiſt. ad Rom. quas lib. 1. retractat. c.* 23. expendit, ac reprehendit. *Non ergo*, inquit, *hoc illi imputatur, quòd tunc non obtemperavit, quandoquidem obdurato corde obtemperare non poterat; ſed quia dignum ſe præbuit, cui cor obduraretur, priori infidelitate*.

LXXXIV. Reſpondeo, verba illa Eccleſiaſtis non eſſe accipienda, ut abſolutè corripi non poſſit, quem Deus deſpexerit; alioquin, cur Deus tot plagis per Moyſem Pharaonem corripuit, quem ipſe deſpexerat, & cur Chriſtus, & verbis, & miraculis corripuit Judæos, quos ſciebat à Deo obcæcatos? ſed eſſe intelligenda, quòd *nemo poſſit corrigere* cum fructu, *quem ille* (Deus) deſpexerit.

Iſidorus autem vult, deſpectos à Deo deplorare mala ſua non poſſe ſolùm potentiâ conſequente, non verò etiam potentiâ antecedente, cùm ſupponat, eos poſſe velle deplorare. Dantur ergo etiam obcæcatis, ſi non ſemper, ſaltem interdùm auxilia, quibus in eis excitetur voluntas aliqua pęnitendi; ſed quia ut ſuperiùs diximus cum D. Thoma motus huiuſmodi debiles ſunt, & eorum obſtinatione ſuffocantur, potentiâ conſequente non poſſunt.

Neque Cain fuiſſe in totum à Deo derelictum indicant timores illi interioris conſcientiæ teſtes. Quod Proſper, ſeu alius Auctor libri de vocatione Gentium *lib.* 2. *c.* 13. eleganter expreſſit; poſtquam enim internas voces, quibus obſtinati fratricidæ cor pulſabatur, deſcripſit, addit: *Cùm ergo talia ad Cain loqueretur Deus. Numquid ambiguum eſt, voluiſſe eum, & [quantum ad illum medendi modum ſufficiebat] egiſſe, ut ab illo impietatis furore reſipiſceret? ſed malitia pertinax inde facta eſt inexcuſabilior, unde debuit eſſe correctior*. Voluit ergo Deus, & quantum ſufficiebat egit, ut Cain reſipiſceret. Unde idem Auctor *lib.* 1. *c.* 21. dixerat: *Credimus nulli homini opem gratiæ in totum fuiſſe ſubtractam*.

Imò neque Pharaoni, ut ſuperiùs oſtendi. Unde Auctor libri de Prædeſtinatione, & gratia (qui habetur inter opera S. Auguſtini) c. 14. ait: *Si piè de Deo, ſicut expedit, ſentiamus, etiam Pharaoni datam miſericordiam reperiemus*.

Neque S. Auguſtinus laudato loco refragatur: non enim ibi loquitur adverſativè, quaſi quod Pharaoni infidelitas ſola fuerit imputata, & non obſtinata ejus inobedientia: ſed comparativè, ideſt quod magis illi fuit imputata infidelitas, quàm inobedientia; quia infidelitas in qua obſtinatè voluit perdurare, & quam poterat deponere,

Digitized by Google

ponere, ipſum indignum reddidit ulteriori auxilio, quo poſſet proximè obtemperare. Hoc indicant verba ſequentia S. Doctoris: ſubdit enim, quòd ſicut *iis, quos elegit Deus, non opera, ſed fides inchoat meritum, ut per munus Dei benè operentur: Sic & in his, quos damnat, infidelitas, & impietas inchoat pęnæ meritum, ut per ipſam pœnam etiam malè operentur.*

LXXXV. Objiciunt tertiò eundem Sanctum Auguſtinum *lib. de perfectione juſtitiæ c. 19.* ubi loquens de homine ſervante præcepta, ait: *quaſi non debeat* [homo] *Deo agere gratias, quia præcepta voluit, qui deſertus omni lumine veritatis hęc velle non poſſet.* Ergo ſupponit aliquos ità excæcatos, ut omni lumine veritatis in totum ſint deſtituti.

LXXXVI. Nego tamen, hoc Auguſtinum ſupponere. Solùm enim ſupponit contra Cęleſtium Pelagianum, contra quem ſcribebat, hominem, qui implet mandata, Deo gratias agere debere; quia mediante ejus lumine ea implet, quo ſi in totum privaretur, hoc non poſſet velle. Cęterùm nullum, etſi excæcatum, dùm eſt in hac vitâ omni lumine privari docet, tùm in locis à nobis ſupra citatis, tùm *enarrat. in pſalm. 6.* dicens: *Ea eſt cæcitas mentis: in eam quiſquis datus fuerit, ab interiore Dei luce ſecluditur: ſed nondùm penitùs, cùm in hac vita eſt.*

LXXXVII. At inquies *lib. de corrept. & gratiâ cap. 12.* diſtinguens gratiam collatam primo homini, ab ea, quæ ejus poſteris conceditur, aſſerit, hanc aliquibus non dari in pęnam peccati: *nunc autem*, inquit, *quibus deeſt tale auxilium, jam pœna peccati eſt:* ſed gratia data primo homini fuit ſecundùm Auguſtinum ſola gratia ſufficiens, *ſeu adjutorium ſine quo;* ergo ſi hæc negatur poſteris in pęnam, negatur eis gratia ſufficiens.

Reſpondeo diſtingu. majorem. Aſſerit hanc, nimirùm gratiam dantem poſſe, & ſufficientiam proximam ad bonum, conc. maj. Dantem ſufficientiam remotam, quâ poſſit à Deo peterè auxilium, & ſufficientiam proximam, nego, quòd Auguſtinus aſſerat, hanc aliquibus in hac vita negari. Ut enim docet lib. 1. ad Simplicianum qu. 1. *Reſtat libero arbitrio in hacce mortali vitâ, non ut juſtitiam impleat, cùm voluerit, ſed ut ſimplici pietate ſe convertat ad Deum, cujus dono poſſit illam implere.*

LXXXVIII. Objiciunt quartò. 1. Joan. 5. v. 16. *Eſt peccatum ad mortem: non pro illo dico, ut roget quis.* Si ergo pro illo peccato non eſt orandum; qui tale peccatum admiſit, omnino deſertus eſt à Deo.

LXXXIX. Confirmatur. Matth. 12. v. 32. *Qui dixerit* verbum *contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſeculo, neque in futuro*; Ergo qui tale peccatum contra Spiritum Sanctum commiſerit omni impoſterum auxilio privabitur etiam ſufficiente.

XCX. Reſpondeo, non conſentire Interpretes in exponendo, quid nomine *peccati ad mortem* intellexerit S. Joannes.

S. Thomas per peccatum ad mortem intelligit impęnitentiam finalem, & pro iſta certè non eſt, *cur roget quis.*

Sanctus Ambroſius, qui *lib. de Pœnit. c. 8.* illud exponit de peccato in unoquoque genere graviſſimo, dicit quòd pro ejus venia non debet orare quilibet, ſed tantùm eximiæ ſanctitatis vir.

S. Hieronym. *lib. 2. contra Jovinianum intelligit*, non quòd pro tali peccato abſolutè nemo orare poſſit, ſed quòd non cum tanta fiducia veniæ, cum qua ſi oraret pro aliis peccatis, quæ non ſunt ad mortem. Quæ expoſitio videtur planè ad mentem S. Joannis. Nam ibi præmiſerat: *Hæc eſt fiducia, quam habemus ad eum; quia quodcumque petierimus ſecundùm voluntatem ejus, audit nos.* Et paulò poſt: *Qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem.* Et ſtatim ſubdit: *Eſt peccatum ad mortem &c.*

qui-

Digitized by Google

quibus ſignificat, pro iſto peccato non eſſe cum tanta fiducia veniæ orandum, quia difficillimè veniâ donatur.

Sanctus Auguſtinus *lib. de correpț. & grat. c.* 12. prolatis S. Joannis verbis: *De quo peccato* (inquit) *quoniam non expreſſum eſt, poſſunt multa, & diverſa ſentiri. Ego autem dico, id eſſe peccatum, fidem, quæ per dilectionem operatur deſerere uſque ad mortem*. Pro hac certè, ait S. Joannes, *non dico quòd oret quis*, ideſt quoad efficaciam.

XCI. Ad confirmat. diſtinguo, ſi per verbum in Spiritum Sanctum intelligatur impœnitentia finalis, ut exponit S. Auguſtin. *lib.* 4. *contra Creſconium c.* 8. concedo: Si intelligatur de blaſphemia in divinitatem, vel peccatum ex malitia, ut explicant S. Baſilius *in regulis brevioribus reſponſ.* 153. & S. Chryſoſtom. *homil.* 42. *in Matth.* nego. Licèt enim hæc peccata difficillimè remittantur, tùm ob ſui enormitatem, tùm ob malitiam, & pertinaciam peccantis: nihilominus non ſunt abſolutè irremiſſibilia, nec deſunt omnino peccatori omnia auxilia, ut ſaltem remotè poſſit malitiam, & pertinaciam deponere.

Ità S. Thomas 3. *p. qu.* 86. *art.* 1. *ad* 3. *Dicendum* (inquit) *quòd illud verbum, vel blaſphemia contrà Spiritum Sanctum eſt finalis impœnitentia, ut Auguſtinus dicit in lib. de Verbis Domini* [*ſerm.* 11.] *quæ penitùs irremiſſibilis eſt, quia poſt finem huius vitæ non eſt remiſſio peccatorum. Vel ſi intelligatur per blaſphemiam Spiritus Sancti, non dicitur remitti, ſcilicet de facili: vel quia tale peccatum non habet in ſe cauſam excuſationis: vel quia pro tali peccato punitur aliquis, & in hoc ſeculo, & in futuro*.

Et ibidem *ad* 2. ſibi oppoſitæ auctoritati Sancti Auguſtini *ex ſermone Domini in Monte*, reſpondens. *Dicendum* (inquit) *quòd illud verbum Auguſtini ſic intelligendum eſt*: Tanta eſt labes illius peccati, ut deprecandi humilitatem ſubire non poſſit: *ſcilicèt de facili ſecundùm quòd dicitur; ille non poſſe ſanari, qui non poteſt de facili ſanari; poteſt tamen hoc fieri per divinæ gratiæ virtutem, quæ etiam interdum in profundum maris convertit, ut dicitur in Pſalm.* 67.

XCII. Ex his pro conciliandis variis textibus regula generalis deducitur. Duplex enim diſtingui debet potentia: una quæ importat facultatem, & facilitatem, quâ ſcilicèt res fieri poteſt, & quidem faciliter. Altera, quæ importat facultatem, ſed non facilitatem, quâ res quidem fieri poteſt, ſed cum magna difficultate: & quia quod eſt valdè difficile, dicitur moraliter impoſſibile, ideò quamvis nullum ſit peccatum, quod in hac vita abſolutè remitti non poſſit; quia tamen quædam ſunt, quæ cum magna difficultate remittuntur, ut in obcæcatis, & obduratis, ob firmam adhęſionem malo, & pravam conſuetudinem: & quia hujuſmodi obcæcatis, & obduratis rariùs conferuntur auxilia proxima ad converſionem; ideò ſæpè eorum converſio ſic deſcribitur, ac ſi foret abſolutè impoſſibilis.

XCIII. Dices tamen. Datur menſura peccatorum cuique ſtatuta, vel permiſſa, quâ ſemel completâ, decrevit Deus ulteriora eis non condonare; ergo iſtis omnia impoſterum ſubtrahentur auxilia, ut non poſſint ampliùs converti, ac veniam obtinere.

XCIV. Ad hoc, quod magno zelo aliqui Concionatores exaggerant, reſpondeo, dari quidem peccatorum cuique condonandorum menſuram, ſed hanc non compleri, niſi in morte. Quare cùm quis poſt peccatum in hac vita conſervatur, ſignum eſt manifeſtum, quòd menſuram ſuam nondùm implevit, & quod auxilia gratiæ ità illi non deſunt, quin poſſit, ſi velit benè uti, ea per pœnitentiam expiare.

Scio, non deeſſe, qui velint, plures eſſe peccatores excæcatos, & obduratos, quorum menſura completur in vita: ſed hoc eſt dare ſceleſtiſſimis peccatoribus occaſionem deſperandi de ſalute

Digitized by Google

ſalute ſua, & graviora ſemper crimina perpetrandi, hàc ratione: quòd cùm jam menſuram peccatorum impleverint, incapaces veniæ facti ſint, omni auxilio gratiæ deſtituti, & (uno verbo) de illis actum ſit. Verùm nos, peccatores etſi ſceleſtiſſimos inter ſpem, & timorem continemus. Quia enim illis dùm vivunt dicimus, adeſſe ſemper ſuis auxiliis, ſaltem remotis, divinam miſericordiam, illos in ſpem veniæ erigimus: at quia de tempore vitæ ſuæ illos incertos eſſe monemus, timore concutimus, ne ultimum illud peccatum, quod patrarunt, niſi ab illo reſipuerint, futurum ſit illud, ob quod cum Pharaone, & aliis, impœnitentes morituri æternâ pœnâ plectendi ſint.

Ità D. Gregorius hom. 12. in Evangelia. *Quia*, inquit, *poſt peccata Deus pœnitentiam ſuſcipit, ſi ſciret quiſque de præſenti ſeculo, quo tempore exiret, aliud tempus voluptatibus, atque aliud pœnitentiæ aptare potuiſſet. Sed qui pœnitenti veniam ſpopondit, peccanti diem craſtinum non promiſit. Semper ergo extremum diem debemus metuere, quem nunquam poſſumus prævidere.*

XCV. Nec objicias, quod ſibi olim objecit Auctor libri de vera, & falſa pœnitentia c. 5. olim Auguſtino tributi. *Dicunt*, inquit (hæretici videlicet): *etſi ſemel peccantibus poſt Baptiſmum valeat pœnitentia, non tamen ſæpè peccantibus proderit iterata; alioquin remiſſio ad peccatum eſſet incitatio. Dicunt enim, qui non ſemper peccaret, ſi redire ſemper poſſet? Dicunt enim Dominum incitatorem mali, ſi ſemper pœnitentibus ſubveniret: & etiam ei placere peccata, quibus ſemper præſtò eſt gratia.*

Nam reſpondet ſic: *Errant autem*: Imò *conſtat, ei peccata multùm diſplicere, qui ſemper præſtò eſt ea deſtruere. Si enim ea amaret, non ità ſemper deſtrueret, ſed conſervaret, atque ut ſua munera foveret. Semper deſtruit peccata, quæ invenit, ne ſolvatur, quod creavit, ne corrumpatur, quod amavit.*

XCVI. Tandem objiciunt. Angeli Cuſtodes quandòque deſerunt peccatores: quare eorum nomine *Jeremiæ 51. v. 9.* dicitur: *Curavimus Babylonem, & non eſt ſanata: derelinquamus eam*: ergo ſignum eſt, quòd vident, eos non poſſe ſanari, & converti, prudens enim Medicus numquam deſerit ægrotum, quamdiù videt, eum poſſe ſanari. Quamobrem D. Thom. 3. *contrag. c. 162.* aſſerit, quandòque peccatores excæcatos, & obduratos privari: *non ſolùm infuſione gratiæ, ſed etiam exteriori cuſtodiâ*, ſcilicet Angelorum.

XCVII. Reſpondetur primò, neg. anteced. nam dicitur Exod. 23. v. 21. *Non dimittet cùm peccaveris*. Claritatis tamen gratiâ, diſt. anteced. quandòque deſerunt in morte, conc. antec. in vita, ſubdiſt. quantùm ad aliquid, conc. quantùm ad omnia, nego ant. quia eſto non juvent eos quantùm ad omnia beneficia, quæ Deus illis ſubtrahit; ſemper tamen juvant eos ſaltem ad eorum converſionem, & obſtinationis depoſitionem. Ità S. Thomas in 2. *ſent. diſt.* 11. *qu.* 1. *artic.* 4. *ad* 1. ubi de præcitato textu Jeremiæ loquens, ait: *dicendum, quod hoc intelligitur eſſe vox Angelorum diſcedentium ab homine peccatore in hora mortis: quia tunc primò deſperatur de ejus ſalute. Vel poteſt dici, quòd derelinquunt ſecundùm quid, ſicut etiam, & Deus*. Et ibidem ad 6. dicit: quòd etſi Angelus *ſciret, eum præſcitum, poſſet tamen multa mala in eo impedire. Sicut de Antichriſto dictum eſt* (nimirùm art. 3. præcedente ad 5.) ibi enim loquens de Angelo Cuſtode dato Antichriſto, hæc habet: *Nec tamen eſt omninò fruſtra cuſtodia: quia etſi ad bonum non convertatur; à multis tamen malis ceſſabit retractus ab Angelo Cuſtode: hunc enim effectum ad minus ſemper conſequitur Angelus per cuſtodiam in quocumque obſtinato*. Quod repetit 1. *part. qu.* 113. *art.* 4. *ad* 3.

Eſto autem Cuſtodes Angeli efficaciter cooperentur ad ſalutem eorum, qui Electi ſunt: nullus tamen eſt Reprobus

Digitized by Google

probus adeò perditus, ad cujus ſalutem Angelus Cuſtos, vel proximè, vel ſaltem remotè non agat, ipſum ad deponendam obdurationem adhortando: Angelica namque cuſtodia conformatur divinæ providentiæ, & hâc regulatur. Sicut ergo Deus ſuâ generali providentiâ omnibus, nullo excepto, confert auxilia ſufficientia, ſi non proxima, ſaltem remota, ſi non ſemper, ſaltem interdum ad converſionem, & ſalutem; ità & Angeli eorum Cuſtodes. Colligo ex D. Thom. 1. *p. qu.* 113. *artic.* 5. *ad* 1. ubi ait: *dicendum quòd Angeli mittuntur in miniſterium, efficaciter quidem propter eos ſolos, qui hæreditatem capiunt ſalutis, ſi conſideretur ultimus effectus cuſtodiæ, qui eſt perceptio hæreditatis: nihilominùs, & aliis miniſterium Angelorum non ſubtrahitur: quamvis enim in eis hanc efficaciam non habeat, quòd perducantur ad ſalutem; efficax tamen eſt circa eos Angelorum miniſterium, in quantùm à malis multis retrahuntur.* Quam efficaciam habituros circa omnes præſcitos, infideles, & etiam Antichriſtum docuerat *art.* 4. præcedente citato *ad* 3.

§. *Ultimus.*

Quo titulo debeantur omnibus auxilia ſufficientia ad ſalutem.

XCVIII. Dico. Auxilia ſufficientia ad ſalutem omnibus peccatoribus obduratis, infidelibus debentur, non abſolutè, ſed ex ſuppoſitione Redemtionis. Explico aſſertum. Quamvis enim abſolutè loquendo poſſit Deus in pœnam originalis peccati denegare toti humano Generi omnia divinæ ſuæ gratiæ auxilia, nedum efficacia, ſed & ſufficientia; imò etiam totum Genus humanum annihilare, ut ex D. Thom. 4. *ſent. diſt.* 45. *qu.* 2. *ar.* 2. *quæſtiunc.* 1. *ad* 4. attamen ex ſuppoſitione, quòd Deus non obſtante tali peccato originali, voluerit ex ſua infinita bonitate, & miſericordia concedere nobis Chriſtum, ut eſſet Redemtor noſter, & repararet omne damnum, & ſatisfaciens plenè Juri Divino læſo per peccatum, pro omnibus ſeſe obtulerit, ut vidimus; tenetur omnibus concedere auxilia aliqua ad ſalutem, tanquam eis debita.

Probatur. Chriſtus titulo Redemtionis, ac meritis ſuis acquiſivit jus, ut quantum ex ipſo eſt, omnes poſſint ſalvari; ergo ut intuitu meritorum ejus Deus omnibus det, unde poſſint ſalvari, & proinde, ut omnibus conferat auxilia ſufficientia ad ſalutem. Conſequ. hæc probatur. Qui enim acquirit jus alteri ad finem, illi quoque acquirit jus ad media, ſine quibus finis ille haberi non poteſt; ergo ſicut Chriſtus acquiſivit jus, ut per ipſum, quantum ex parte ſui eſt, omnes ſalventur; ità jus habet, ut cuique intuitu meritorum ejus auxilia ſaltem ſufficientia ad ſalutem tanquam debita omnibus conferantur.

XCIX. Si autem quæras, quo titulo ejuſmodi auxilia ſaltem ſufficientia ad ſalutem omnibus debeantur.

Reſpondeo, ea deberi duplici titulo, nimirùm juſtitiæ, & fidelitatis. Titulo quidem juſtitiæ: Chriſtus namque ex juſtitia ſatisfecit pro toto Genere humano, & pro ejus ſalute erogavit Æterno Patri pretium, nedùm ſufficiens, ſed ſuperabundans, ut docent Noſtrates in *tract. de Incarnatione*; ergo debitum juſtitiæ ſundavit, ut omnibus media, & auxilia, quibus ſaltem ſufficienter ad ſalutem poſſint pervenire.

Hoc benè explicatur exemplo. Si quis inſignis medicus ſuis meritis à Principe obtinuerit, ut erigatur hoſpitale, in quo omnes infirmi ſub ejus cura corporis ſanitatem conſequi poſſint: certè medicus ille acquiſivit jus, ad exigenda omnia remedia, quæ judicat neceſſaria, ut infirmi illi ſalutem corporis obtinere valeant, & nedum ut præparentur, & offerantur, ſed ut de facto conferantur; quæ remedia debentur, non ex propriis in-

Ff 2 fir-

Digitized by Google

firmorum meritis, ſed ex meritis ipſius medici, qui ea à Principe comparavit: ità ut quamvis infirmi ſint indigni, & rebelles, adhuc ex dignitate Medici, illis debeantur. Ita cum Chriſtus magnus Medicus inveniens ęgrotum totum Genus humanum apud Patrem ſuum promeritus ſit, ut ſibi curandum, ſanandumque, & ad ſalutem æternam perducendum tradatur; ſequitur, quòd jus acquiſierit, ut omnibus, & ſingulis, nedum offerantur, & præparentur, ſed re ipſa conferantur remedia ad omnium ſalutem ſaltem ſufficientia, ſine quibus nec ipſi poſſent ad ſalutem perduci, nec Chriſtus officium ſuum Medici, & Redemtoris poſſet exercere: neque aliquorum indignitas, & rebellio obſiſtere poteſt; quia pro omnibus Chriſtus quoad ſufficientiam ex animo ſatisfecit, & omnium ſalutem promeruit.

C. Aliter tamen Juſtis debentur auxilia, aliter peccatoribus. Nam jus quod habent Juſti ad auxilia ſaltem ſufficientia gratiæ, fundatur primò quidem in meritis Chriſti, ſed deinde etiam in meritis Juſtorum, quibus etiam ex parte ipſorum ex juſtitia aliqualiter debentur. At jus, quod habent peccatores fundatur in ſolis meritis Chriſti. Unde Sanctus Auguſtin. in Pſalm. 7. *Itaque* (inquit) *ibi miſericors auxilium eſt, quia nullum habet meritum peccator &c. Hic autem juſtum auxilium eſt, quod jam juſto tribuitur.*

CI. Quòd autem hujuſmodi auxilia ſufficientia ad ſalutem ſint debita etiam fidelitate divina, probatur ex Apoſt. 1. Cor. 1. v. 9. *Fidelis Deus: per quem vocati eſtis in ſocietatem filii ejus Jeſu Chriſti Domini noſtri:* quæ exponens D. Thom. ibi lect. 1. *Non autem* (inquit) *videretur eſſe fidelis Deus, ſi nos vocaret ad ſocietatem filii, & nobis denegaret, quantùm in ipſo eſt, ea, per quæ pervenire ad eum poſſemus.* Hęc ſatis. Ignoſcat quæſo Lector, ſi prolixitati nimium indulſi. Res gravis eſt, & quæ hiſce temporibus Theologorum mentes ad ſe convertit, nec pro merito paucis poterat abſolvi.

QUÆSTIO III.

De immutabilitate, & libertate Voluntatis Divinæ.

INter Divinitatis Arcana, quę Theologi ſcrutari conſueverunt, inexplicabile ſemper fuit illud, concordia ſcilicèt immutabilitatis divinæ voluntatis cum ejus libertate. Deum enim eſſe immutabilem, omnibus eſt exploratum; eſſe quoque liberum, omnes norunt: quomodo autem ſtent ſimul, immutabilitas, quæ ſecum affert omnimodam neceſſitatem, & libertas quæ indifferentiam ſecum trahit, omnes ſcrutantur, ſed nemo pro merito cognovit. Omnes exponere conantur: nemo tamen ità eſt conſecutus, ut ingentes evadere potuerit difficultates. Pro viribus ergo hanc provinciam aggredientes, primò de divinæ voluntatis immutabilitate, deinde de ejuſdem libertate tractabimus.

DUBIUM I.

An Voluntas Dei ſit immutabilis.

§. I.

Veritas Catholica.

I. QUæſito præſenti affine (ne dicam idem) eſt aliud, quo quęri ſolet, an Deus poſſit incipere velle in tempore, quod priùs ab æterno noluit, vel nolle, quod ab æterno voluit: an verò quod ſemel ab æterno voluit, aut noluit, ità velle, aut nolle omni tempore debeat, ut mutari ejus voluntas non poſſit.

Immutabilitas Dei duplex eſt. Alia phyſica, alia moralis. Phyſica eſt, quâ mutari non poteſt quoad entitatem, & de hac in præſenti non agimus, ſupponentes eam ex dictis ſuperiùs, *de attributo Immutabilitatis q. 3. dub. 1.*

dub. 1. Moralis convenit Deo per voluntatem ſuam, quæ moraliter agit, dùm agit liberè. De hac in præſens agimus.

Quamvis Doctores Catholici pro immutabilitate divinæ voluntatis pugnent; quidam tamen ex Scotiſtis, referente Maſtrio *qu. 4. de immutab. Dei morali*, non defuere, qui probabile exiſtimarint, poſſe Deum in tempore ſua divina decreta mutare: quorum tamen opinio, eodem Maſtrio teſte, non benè olet. His ergo relictis.

II. Dico. Divina voluntas eſt omninò immutabilis, nec fieri poteſt, ut Deus in tempore reformet, aut retractet decreta, quæ ab æterno formavit, vel quòd formet alia oppoſita.

Probo 1. ex Apoſtolo ad *Hebr. 6.* ubi loquens de benedictionibus, quas Deus cum juramento promiſit Abrahæ, ait, v. 17. 18. *In quo abundantiùs volens Deus oſtendere pollicitationis hæredibus immobilitatem Conſilii ſui, interpoſuit jusjurandum: Ut per duas res immobiles, quibus impoſſibile eſt mentiri Deum, fortiſſimum ſolatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem.* Ubi æquè impoſſibile judicat Paulus, quòd Deus non faciat id, quod promiſit, & juravit ſe facturum, ac quod mentiatur: ſed Deum mentiri omninò impoſſibile eſt; ergo & impoſſibile, Deum non facere, quod promiſit, & juravit, ſe facturum, & conſequenter mutare decretum, ſi ſemel ſtatuit.

Rursùs ex hoc, quòd Deus retractare non poſſit, quod promiſit, infert Paulus fortiſſimam conſolationem, & ſolatium ſpei noſtræ: ſed hoc ſolatium rueret, ſi Deus ex pleniſſimo ſuo Dominio retractare, & mutare poſſet, quod voluit, & promiſit; ergo &c.

III. Secundò. Probo ex *Pſalm. 109. v. 4. Juravit Dominus, & non pœnitebit eum: Tu es Sacerdos &c.* Hic revelat Deus, nunquam fore, ut pœniteat eum ſui juramenti: atqui ſi poſſet abſolutè mutare voluntatem, poſſet ſui juramenti Deum pœnitere; ergo quis unquam certus eſſet, nunquam fore, ut ipſum pœniteat, vel nunquam fore, ut non ſtet promiſſis?

IV. Tertiò. 1. *Joan. 5. v. 10. Qui non credit Filio, mendacem facit eum: quia non credit in teſtimonium, quod teſtificatus eſt Deus de Filio ſuo.* Ubi Joannes intendit probare, quòd qui non crederet teſtimonio Dei de Filio ſuo, faceret Deum mendacem: ſed hæc ratio nulla eſſet, ſi Deus abſque mendacio poſſet mutare voluntatem; poſſet enim dicere aliquis: Ego non credo teſtimonio Dei; non quòd eum mendacem exiſtimem, ſed quia exiſtimo, eum mutaſſe voluntatem; ergo &c.

V. Quartò. *Numer. 23. v. 19. Non eſt Deus quaſi homo, ut mentiatur: nec ut filius hominis, ut mutetur. Dixit ergo, & non faciet? locutus eſt, & non implebit?* Si autem poſtquam dixit, ſe miſſurum Antichriſtum, illum non mitteret; vel mentitus eſſet, ſi reverà non habuiſſet voluntatem illum mittendi; vel ut filius hominis mutaretur, ſi reverà decreviſſet, & poſteà decretum retractaſſet: quod eſt contrà illud Malach. 3. v. 6. *Ego enim Dominus, & non mutor.*

VI. Hanc veritatem fatentur Patres. Unicum Auguſtinum, & Gregorium proferemus. Primum quidem: nam *l. 12. Confeſſ. c. 15.* ubi de Deo loquens: *Unde* (inquit) *non eum modò velle hoc, modo velle illud, ſed ſemel, & ſimul, & ſemper velle omnia, quæ vult, non iterùm, & iterùm, neque nunc iſta, nunc illa, nec velle poſteà, quod nolebat, aut nolle, quod priùs volebat: quia talis voluntas mutabilis eſt, & omne mutabile æternum non eſt: Deus autem noſter æternus eſt.* D. autem Greg. *lib. 16. moral. c. 17.* nunc verò 37. exponens illud Job 23. *Et nemo avertere poteſt cogitationem ejus.* Sic habet: *Sicut enim immutabilis naturâ eſt, ità immutabilis voluntate. Cogitationem quippè ejus nullus avertit: quia nemo reſiſtere occultis ejus judiciis prævalet. Nam etſi fuerunt quidam, qui deprecationibus ſuis*

ejus

Digitized by Google

ejus cogitationem avertiſſe videantur, ità fuit etiam interna cogitatio, ut ſententiam ejus avertere deprecando potuiſſent, & ab eo acciperent, quod agerent apud ipſum. Dicat ergo: & nemo avertere poterit cogitationem ejus, *quia ſemel fixa judicia mutari nequaquam poſſunt: unde ſcriptum eſt:* Præceptum poſuit; & non præteribit. *Et rurſum:* Cœlum, & Terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt: *& rurſum:* Non enim cogitationes meæ, ſicut cogitationes veſtræ, neque viæ meæ, ſicut viæ veſtræ: *Cùm ergo exterius mutari videtur ſententia, interiùs conſilium non mutatur, quia de unaquaque re immutabiliter intùs conſtituitur, quidquid foris mutabiliter agitur.* Quibus apparet, quòd, dum Deus deprecationibus noſtris flectitur, non mutat ſententiam; ſtatuerat enim, per noſtras preces ſe velle ad miſerendum flecti. Quia quod foris mutabiliter agitur, immutabiliter intus fuerat conſtitutum.

VII. Tandem probatur ratione D. Thomæ hàc *qu. 19. art. 7.* ſub hac forma. Quòd voluntas divina aliquid modò velit, quod prius nolebat, ſive è contrà, ab una ex his cauſis provenire debet: vel ſcilicet, quia incipit illi eſſe bonum, quod prius illi non erat bonum, aut è contra; vel quia incipit cognoſcere, eſſe bonum, quod priùs eſſe bonum non cognoſcebat, aut è contrà: ſed primum argueret phyſicam mutationem in ſubſtantiâ Dei, ſecundùm verò mutationem, vel ignorantiam in ejus cognitione; ergo &c. Minor explicatur à D. Thoma hoc exemplo. In tantùm homini incipit eſſe bonum in hyeme ſedere ad ignem, cui non erat bonum in æſtate, quia homo ille mutatus eſt de calido in frigidum: in tantum intellectus incipit judicare, bonam eſſe inimici vindictam, quam priùs bonam non judicabat, quia de paccato in iratum converſus eſt: in tantum autem incipit amare Petrum, quem prius non amabat, quia in eo bonitatem nunc cognoſcit, quam in eo non cognoſcebat. Major verò patet; quia, cùm objectum voluntatis ſit bonum cognitum, mutatio volitionis oriri debet, vel ex mutatione boni reſpectu volentis, vel ex mutatione cognitionis circa bonum.

VIII. Dicunt, Deum poſſe mutare ſuam voluntatem ex nulla harum cauſarum, ſed ſolo, exercendæ ſuę libertatis motivo. Quare in omni ſua voluntate ſubintelligitur ſemper iſta conditio: niſi aliundè pro ſua libertate, oppoſitum velle, illi placuerit.

Sed contra eſt primò. Qui ceſſat ab amore boni causâ exercendi libertatem, hoc facit, quia melius judicat, & majus bonum nunc exercere libertatem ceſſando ab amore, quàm continuare in amore; ergo vera ſemper eſt propoſitio D. Thomæ, quòd non poteſt quis deſiſtere à volitione boni invariato bono, aut cognitione boni.

Secundò. Qui nullâ ſtante variatione boni, aut cognitionis boni, ex ſola ſui arbitrii libertate incipit nolle, quod prius volebat, vel è contra, non ſe gerit prudenter, ſed ex animi inconſtantia, & levitate agit; ergo ſi hoc modo Deus mutaret voluntatem, imprudenter, inconſtanter, & ex levitate mutaret.

Tertiò. Si in omni decreto divinæ voluntatis deberet intelligi tacita conditio, niſi Deo aliter pro ſua libertate placuerit, periret tota fides, & certitudo divinarum revelationum, & promiſſionum, rueret ſolatium ſpei noſtræ; ſemper enim timere poſſemus, ne Deus pro ſua libertate aliter poſtea ſtatuerit: & fides divina ad ſummum eſſet certa moraliter, non verò metaphyſicè, ſi concipere poſſemus, Deum pro ſua, libertate aliter ſtatuere poſſe, ac priùs ſtatuerat, & revelavit, ſe ſtatuiſſe.

§. II.

§. II.

Solvuntur quæ contraria ſunt.

IX. PRimò objici poteſt. Deus plura dixit, quæ non implevit, nempè, quòd puniturus eſſet peccatores, & tamen eis pepercit; ergo mutavit voluntatem ſuam.

De hoc ſuperiùs actum eſt, tùm *qu. 3. de Immutabilitate Dei dub. 1. n. 12.* Tùm de *ſcientia futurorum conditionatorum qu. 6. dub. 1. §. 4. nu. 22. & 23.* quæ videri poſſunt. Modò

X. Reſpondeo primò, diſtingu. ant. plura dixit, attento ſuo æterno conſilio, quæ non implevit, nego antecedens. Plura dixit, attento ordine, & proceſſu cauſarum ſecundarum, quæ non implevit, conc. ant. *Sciendum eſt* (ait D. Tho. in prælaudatum caput 6. Pauli ad Hebræos lect. 3.) *quòd in his, quæ à Deo procedunt, duo ſunt conſideranda, ſcilicet ipſe proceſſus rerum, & conſilium Dei, à quo talis proceſſus cauſatur. Conſilium Dei eſt omninò immobile: Iſaiæ 46.* Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet. *Sed diſpoſitio eſt benè mutabilis. Nam Dominus aliquando pronunciat aliquid, ſecundùm quòd exigit ordo, & proceſſus rerum, ſicut patet Iſaiæ 31.* diſpone domui tuæ, quia morieris tu, & non vives. *Habebat enim curſus infirmitatis, quòd ex illa moreretur. Et ſimiliter Jonæ 3.* Adhuc quadraginta dies, & Ninive ſubvertetur: *quia ipſa meruerat ſubverſionem ſui ipſius.* Jeremiæ 18. repentè loquar adversùs gentem, & adversùs regnum, ut eradicem, & deſtruam, & diſperdam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo, quod locutus ſum adverſus eam, agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitavi, ut facerem ei. *Et tunc prophetia eſt comminationis. Quandoque verò pronunciatur aliquid, ſecundùm quod reſpicit conſilium Dei æternum, & ſuper hoc Deus nunquam pœnitet, nec illud retrahit 1. Reg. 15.* Triumphator in Iſrael non parcet, & pęnitudine non flectetur. *Tamen ſciendum eſt, quod quandocumque Dominus promittit aliquid ſub juramento, eſt prophetia prædeſtinationis, quæ eſt oſtenſiva Divini Conſilii. Et iſta promiſſio penitus immutabilis eſt.* Quare

XI. Reſpondeo ſecundò, aliter diſtingu. ant. plura dixit abſolutè, & prophetiâ prædeſtinationis, quæ non implevit, nego ant. plura dixit conditionatè, & prophetiâ comminationis, quæ non implevit, conc. anted. Hæc enim ſemper intelligitur pronunciare ſub conditione, quæ ſi ponatur, impletur, ſi non ponatur non impletur. Sic dùm Deus minatus eſt Ninivitis ſubverſionem, hoc fuit ſub conditione, quòd pœnitentiam non egiſſent; ſed quia pœnitentiam egerunt, non fuit impleta. Hoc autem non eſt, Deum mutare decretum ſuum: hoc enim ſemper fixum manet, tanquam habiturum effectum ſuum ſi conditio volita, ut effectus ponatur, non deficiat; ſed ſolùm mutari homines, & ex peccatoribus fieri pœnitentes. Videndus eſt D. Thom. hâc *q. 19. ar. 7. ad 2.*

XII. Inſtabis tamen. Hæc duo decreta, puniendi, & parcendi ſunt incompatibilia, ſicut incompatibile eſt ſimul punire, & ſimul parcere, ſimul odio habere, & diligere; ergo oportet, Deum priùs habere voluntatem puniendi, deinde videns pœnitentiam, eam mutare in voluntatem parcendi.

XIII. Reſpondeo primò, negando antec. Nam etiam in humanis poteſt unus homo ſimul, ac ſemel ſine ulla voluntatis mutatione velle aliquem punire, & ei parcere, ipſum odio habere, & diligere ſub diverſa conſideratione. Sic pater videns in filio quaſdam inclinationes bonas, & quaſdam malas, ipſum propter bonas diligit, & præmiare eſt paratus; propter malas verò odio habet, & punire diſpoſitus eſt. Multò magis Deus poterit hominem velle punire, ſi non pœniteat, eique parcere, ſi pęniteat. Claritatis tamen gratia

XIV. Reſpondeo ſecundò, diſtin. ant.

Sunt

Digitized by Google

Sunt incompatibilia per connotationem ad idem tempus, tranſeat. Per connotationem ad diverſum tempus, nego antec. Sic enim Deus vult punire, & parcere peccatori: punire pro tempore, quo pręvidit eum peccatorem; parcere verò pro tempore, quo prævidit, eum fore pęnitentem. Sicut eundem hominem ſemper odio habuit per reſpectum ad illud tempus, quo eum conſideravit in ſtatu peccati; dilexit autem per reſpectum ad tempus, quo illum conſideravit in ſtatu gratiæ. Hoc autem eſt mutari, non æternitatem, ſed tempora; non Deum, ſed homines.

XV. Secundò objici poteſt. Deus non ex neceſſitate vult, quod vult, quando vult alia à ſe, ut dicetur; ergo poteſt velle, & non velle idem: ſed omne, quod habet potentiam ad oppoſitum eſt mutabile ſecundùm operationem; ſicut quod poteſt eſſe, & non eſſe eſt mutabile ſecundùm ſubſtantiam; & quod poteſt eſſe hìc, & non eſſe hìc, eſt mutabile ſecundùm locum; ergo &c.

XVI. Reſpondetur ex D. Thoma hâc *qu. 19. art. 7. ad 4.* Quod *licèt Deum velle aliquid non ſit neceſſarium abſolutè; tamen neceſſarium eſt ex ſuppoſitione, propter immutabilitatem divinæ voluntatis*. Ideſt, eſto potuerit velle, & non velle, ſuppoſito tamen, quod velit, non poteſt non velle: ſed hæc neceſſitas libertatem non tollit, quia oritur ex ejus liberâ volitione unius, quâ poſitâ ſe obligavit ad illud ſemper volendum, quia immutabilis eſt.

XVII. Tertiò objicies. Ex eo, quòd Deus aliquid inciperet velle, intrinſecè non mutaretur: non ex ipſa nova volitione, quia hęc non nominat niſi liberam terminationem ad creaturas: non ex nova cognitione, quia hæc pariter utpote ſecundaria, & libera terminatio divini intellectus, non affert in Deo aliquam actualitatem. Quare ſi neutra in Deo (ut potuit) extitiſſet, nihil actualitatis in Deo defuiſſet; ergo ſicut, quia relatio Incarnati, Creatoris, & Domini non dicunt niſi relationem ad creaturas, poſſunt Deo advenire in tempore, abſque Dei mutatione; cur non etiam relatio volentis?

XVIII. Reſpondeo: quidquid ſit, an ex eo quòd Deus aliquid inciperet velle in tempore, formaliter, & immediatè mutaretur, mutaretur tamen arguitivè. Vel enim inciperet aliquid velle, quia aliquid inciperet eſſe bonum Deo, quod priùs bonum non erat, & ſic argueretur mutatio in ſubſtantia Dei, ut vidimus cum D. Tho. Vel quia cognoſceret ut bonum, quod antea ut bonum non cognoſcebat, & ſic variaretur ſcientia in Deo: & cùm res ſint in ſciente ſecundùm modum ſcientis, non ſecundùm modum rei ſcitæ, variatio non ſe teneret ex parte rei ſcitæ, aut volitæ, ſed ex parte Dei volentis. Quod non eſt ſimile in adductis exemplis. Ut enim docet D. Thom. *1. p. qu. 14. art. 15. ad 1. Dominus, & Creator, & hujuſmodi, important relationes, quæ conſequuntur actus, qui intelliguntur terminari ad ipſas creaturas, ſecundùm quod in ſe ipſis ſunt: & ideò hujuſmodi relationes variè de Deo dicuntur ſecundùm variationem creaturarum. Sed ſcientia, & amor, & hujuſmodi important relationes, quæ conſequuntur actus, qui intelliguntur in Deo eſſe. Et ideò invariabiliter prædicantur de Deo.*

XIX. Quarto objicies. Immutabilitas divinæ voluntatis non cohæret cum libertate noſtra: ſemel enim, ac Deus voluit, neceſſe eſt, ut fiat, quod voluit; nam ſi poſſet non fieri, poſſet mutari divina voluntas, & alia poni. Hoc autem ſuppoſito, liberi non ſumus, ſed neceſſe eſt, ut faciamus, ità ut non poſſimus illud non facere; Ergo non ſumus liberi.

XX. Reſpondeo, neceſſitatem in rebus volitis à Deo non eſſe abſolutam, ſed conditionalem: neceſſe eſt enim, hanc conditionalem eſſe veram: *Si Deus hoc vult, neceſſe eſt hoc eſſe*. Ità D. Thom. hâc *quæſt. 19. art. 8. ad 1.*

Inſu-

Inſuper: *ea quæ ſunt à voluntate divinâ, talem neceſſitatem habent, qualem Deus vult ea habere, ſcilicèt, vel abſolutam, vel conditionalem tantùm.* Ità D. Tho. ibi *ad* 3. Cùm ergo Deus velit, cauſas liberas liberè agere, neceſſe eſt quidem ut agant, ſed eo modo, quo Deus vult, illas agere, ſcilicèt liberè. Sed de his infrà.

XXI. Quintò objicies. Ponere divina decreta poſſe mutari valdè quietaret anxietates humanas in negotio Prędeſtinationis. Dicere enim poſſet homo: etſi ego reprobatus ſim, incertum eſt, quid eveniet; & à me adhuc hoc negotium dependet. Si enim, ut poſſum, benè egero, & in bono continuavero, mutabo decretum meæ æternæ Reprobationis in decretum Prædeſtinationis; & ſaltem per modum objecti (eſtò non per modum cauſę) faciam, ut me prædeſtinet. Unde quòuſque aliquis eſſet de facto, vel ſalvatus, vel damnatus, totum negotium ejus Prædeſtinationis, vel Reprobationis remaneret in integro, ità ut ex ipſo dependeret, ut ſalvus eſſet, vel damnatus. Hoc autem non contingit, ſi ponatur divina voluntas immutabilis in eo, quod ſemel voluit; qui enim ab æterno fuit reprobatus, immutabiliter erit reprobatus, & damnabitur.

XXII. Reſpondeo primò, quòd dato, opinionem contrariam, quoad dicta, hominem quietum reddere; quoad alia tamen eum anxium relinqueret, nempè quoad omnia futura à Deo in Scripturâ revelata: ſemper enim ſuſpicaretur, an, non obſtantibus revelationibus, Deus ſuâ libertate eſſet decreturus oppoſita; & ſic tolleretur omnis certitudo à divina fide, & divinis promiſſionibus.

Sequeretur etiam hoc abſurdum, nempè, quòd Deus non præſciviſſet ab æterno, quid ego eſſem facturus. Quando enim ab æterno me reprobavit (quod abſit) vel præſcivit, me facturum bona opera uſque in finem, vel non. Dici nequit, quod præſciverit; aliàs me non reprobaſſet; ergo ea non præſcivit, & ſic tollitur à Deo pręſcientia.

XXIII. Reſpondeo ſecundò, in illa opinione, quæ facit divinam voluntatem mutabilem, non minùs nos fore anxios circa negotium Prædeſtinationis, quàm in noſtra ſententiâ. Tam ex parte Dei: quia niſi Pelagianè ſentiamus, ad bona opera, ut conducentia ad ſalutem, neceſſaria eſt gratia, quæ in Dei manu eſt. Quis autem nos certos facit, eam Deum pro voto, ut oportet, daturum? Rursùs, cùm mutare voluntatem Deo liberum ſit, qui certi eſſe poſſumus, eum mutaturum decretum, & non potiùs in decreto facto perſtiturum?

Quod ſi de Deo dubitare poſſumus, quantò fortiùs de nobis? ſi anxii ſumus, quia neſcimus, quid Deus de nobis decreverit, quantò magis anxii eſſemus de nobis, quid nimirùm nos acturi eſſemus, utrum daturi eſſemus Deo occaſionem nos prædeſtinandi, an potiùs reprobandi? *Cogitationes enim mortalium timidæ, & incertæ providentiæ noſtræ.* [*Sap.* 9. *v.* 14.] Hoc ratiocinio urgebat Pelagianos Sanctus Auguſtinus *lib. de Prædeſtination. SS. cap.* 11. dicens: *Sanè cum Apoſtolus dicat*: Ideò ex fide, ut ſecundùm gratiam firma ſit promiſſio: (Rom. 4. 21.) *Miror, homines infirmitati ſuæ ſe malle committere, quàm firmitati promiſſionis Dei.* Sed incerta eſt mihi (*inquis*) de me ipſo voluntas Dei. *Quid ergo? tuanè tibi voluntas de te ipſo certa eſt, nec times*: Qui videtur ſtare, videat ne cadat? *Cum igitur utraque incerta ſit; cur non homo firmiori, quàm infirmiori fidem ſuam, ſpem, caritatemque committit?*

DUBIUM II.

An Deus ſit liber.

§. I.

Reſolutio affirmativa.

I. OMnes, qui ſanâ mente de Deo locuti ſunt, ipſum ſummâ præditum libertate confeſſi ſunt.

Verùm quia libertas eſt duplex, nempè voluntatis, ſeu ſpontaneitatis, & arbitrii, ſeu indifferentiæ: prima eſt, quæ ſolam excludit coactionem, & violentiam; quâ ratione liberè agere dicimur, quæ agimus, non coactè, aut violentè, ſed voluntariè, ſpontè aut lubenter, quamvis ea neceſſariò agamus, ideſt ità agamus, ut abſolutè non poſſimus non agere: ſecunda verò eſt, quæ excludit etiam neceſſitatem, & requirit indifferentiam arbitrii; quâ ratione liberè agere dicimur ea, quę agimus cum indifferentia, & poteſtate non agendi, ſeu ità agimus, ut poſſimus abſolutè non agere: ideò de libertate voluntatis, ſeu ſpontaneitatis hìc non agimus, quam in Deo eſſe ſupponimus: cui enim in mentem venire poteſt, Deum ab aliquo cogi, aut violentari poſſe, ut agat? Dei *Voluntatem, ut ait Plato, nulla vis vincit* (S. Auguſtin. lib. 13. de Civit. Dei c. 17.) De ſola ergo libertate arbitrii ſermo erit.

II. Hanc obſcurare conatum fuiſſe *Petrum Abælardum*, ſeu *Abelardum*, refert Sanctus Bernardus: *de erroribus Petri Abælardi cap.* 3. dicebat enim: primò: *in omnibus, quæ Deus facit, quod bonum eſt attendit, ut ipſo boni pretio, potiùs, quàm voluntatis ſuæ libito, ad ſingula facienda inclinari dicatur.* Secundò: mala, quæ fiunt diſturbare non poſſe, aliàs peccatis conſentiens eſſet. *Quis enim conſentire malo dicendus eſt, niſi is, per quem etiam opportunè diſturbari poſſet?* Tertiò: *ea ſolummodò Deum poſſe facere, vel dimittere, vel eo modo tantùm, vel eo tempore quo facit, non alio.* Quem errorem, ſicut & cæteros Abaelardi Magiſtri ſui, Arnaldus Brixienſis adoptaſſe credendus eſt.

III. Dico ergo. In Deo eſt ſumma libertas indifferentię, & arbitrii. Hanc veritatem prædicant Scripturæ. Paulus 1. Cor. 12. v. 11. *Hæc autem omnia* (inquit) *operatur unus, atque idem ſpiritus, dividens ſingulis, pro ut vult.* Quæ D. Ambroſ. *lib.* 2. *de fide cap.* 3. ſic exponit: *pro ut vult, ideſt, pro libero voluntatis arbitrio, non pro neceſſitatis obſequio.* Et *Rom.* 9. *v.* 18. idem Paulus: *Cujus* (inquit) *vult miſeretur, & quem vult indurat.* Quod explicat exemplo figuli, qui pro ſuo arbitrio poteſt ex eadem maſsa facere aliud vas in honorem, & aliud in contumeliam. Et Chriſtus ipſe *Matth.* 11. *v.* 25. 26. *abſcondiſti* (inquit) *hæc à ſapientibus, & prudentibus, & revelaſti eæ parvulis. Ità Pater: Quoniam ſic fuit placitum ante te.*

IV. Hinc Homo, quia debebat dominari, & præeſſe, dicitur factus cum libero arbitrio, & propterea ad imaginem, & ſimilitudinem Dei. *Faciamus* (inquit Deus Gen. 1. v. 26.) *hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram: & præſit piſcibus maris &c. univerſæque terræ.* Si ergo homo dum libero donatur arbitrio factus dicitur ad imaginem, & ſimilitudinem Dei, multò magis in Deo, qui hujus imaginis archetypus eſt, liberum erit arbitrium. Si homo, qui debebat præeſſe beſtiis decuit, ut operaretur cum libertate, dominio, & facultate diſponendi, & pro libito providendi: multò magis tali dominio, & libertate gaudebit Deus, qui præeſt, dominatur, & providet omnibus, cuique omnia, etiam homo ipſe, ſubjecta ſunt. Uno verbo. In Deo, utpote omnium perfectionum abyſſo, omnis perfectio formaliter ponenda eſt, ſi nullam ex ſua formali ratione dicat imperfectionem: at hujuſmodi eſt libertas arbitrii,

trii,

trii, dicit enim dominium, & independentiam in operando; ergo &c.

V. Sed dices. Liberum arbitrium eſſentialiter dicit indifferentiam, indifferentia dicit potentialitatem, potentialitas dicit imperfectionem.

Rursùs: libertas dicit indifferentiam ad bonum, & ad malum; hæc autem Deo ſummè bono, ac ſummè ſancto repugnat.

VI. Reſpondetur ad primum, libertatem dicere quidem ex ſua ratione formali indifferentiam activam, & dominativam, ut infra dicemus, quæ maximam actualitatem importat, non tamen indifferentiam ſubjectivam, & entitativam, quæ certè potentialitatem dicit; hanc enim habet ex conditione ſubjecti, nimirùm poſita in creatura, quæ non eſt ſuum eſſe, & actus purus. Cùm ergo primo modo adſit libertas in Deo, in eo eſt cum perfectione, ſine imperfectione.

Ad ſecundum dico, quòd libertas eſt duplex. Alia contradictionis, alia contrarietatis. Hæc ſecunda eſt quidem ad bonum, & ad malum; non autem prima, quæ ſolùm dicit indifferentiam ad agendum hoc, vel illud bonum, ad agendum, vel non agendum. Indifferentia ergo contrarietatis non eſt de eſſentia libertatis, ſed potiùs libertatis defectus: nam in Chriſto fuit perfecta libertas, in quo tamen, quia impeccabili, non fuit indifferentia contrarietatis. Cùm ergo in Deo ſit excellentiſſima libertas abſque omni vitio, & defectu, ſolum in eo erit libertas contradictionis. Ità D. Th. *q.* 24. *de Verit. artic.* 3. *in corp.* dicens: *Natura enim divina increata eſt, & eſt ſuum eſſe, & ſua bonitas: unde in eo non poteſt eſſe defectus aliquis, nec quantùm ad eſſe, nec quantùm ad bonitatem. Natura autem humana, & Angelica creata eſt, ex nihilo principium ſumens: undè quantùm eſt de ſe, poſſibilis eſt ad defectum. Et propter hoc liberum arbitrium Dei nullo modo flexibile eſt ad malum, liberum verò arbitrium hominis, & Angeli in ſuis naturalibus conſideratum in malum flexibile eſt.* Idem docet ibi *ad* 3. ubi dicit: *quod voluntas divina ſe habet ad oppoſita, non ut poſſit velle bonum, & malum, quia defectibilitatem in Deo poneret: ſed quia poteſt hoc velle, & non velle.*

§. II.

Concordia Divinæ Libertatis cum ejus immutabilitate, & æternitate.

VII. Quod hìc faceſſit negotium eſt. Primò: quomodo hæc libertas indifferentiæ conciliari poſſit cum omnimoda ejus immutabilitate. Secundò: quomodo poſſit eſſe indifferentia in Deo, qui ab æterno voluit omnia, quæ voluit, nec poſſit aſſignari inſtans, in quo fuerit verum: nunc Deus eſt indifferens ad volendum, & non volendum.

VIII. Cæterùm prima difficultas evaneſcit, ſi concipiatur divinæ libertatis indifferentia, ut concipi debet: nempè indifferentia, non ſubjectiva, aut paſſiva ad aliquid recipiendum in ſe; ſed indifferentia activa, dominativa, & operativa, ut infrà dicemus. Hæc enim non infert mutationem in agente libero, ſed ſolùm in effectu, ſeu in re volitâ. Quare indifferentia divinæ libertatis componi quidem nequit cum immutabilitate effectus liberè voliti; componi tamen poteſt cum immutabilitate Dei volentis.

IX. Secunda etiam difficultas evacuabitur, ſi ſupponamus, quòd *nunc* æternitatis licèt fuerit ſemper unicum inſtans realiter, in hoc tamen unico reali inſtanti diſtingui debent duo inſtantia, ſeu ſigna virtualiter, ſeu æquivalenter. In priori conſideratur Deus ſecundùm ſe capax formandi, & potens formare quæcumque decreta voluerit: in inſtanti autem virtualiter poſteriori conſideratur actu, & determinatè formans decreta, quæ voluit. In priori ſigno habuit Deus libertatem indifferentiæ: erat enim proximè expeditus ad ponendum utrumque,

Digitized by Google

nedùm potentiâ poſſibilitatis, ſed etiam poſitionis; quia ſicut de facto poſuit decretum de productione unius mundi, ità de facto, ſi voluiſſet, poſuiſſet decretum de pluribus mundis, vel de nullo, condendis: cùm relatè ad illud prius inſtans, ſeu ſignum, æquè indifferenter ſe habuerit ad volendum unum, vel plures mundos, vel nullum: quia pro eo ſigno ad neutrum ſupponitur determinatus, utpotè, qui ad ſuum eſſe nec uno, nec pluribus, nec ullo mundo indiget.

In inſtanti tamen, ſeu ſigno virtualiter poſteriori, in quo ſupponitur ſua decreta de facto formaſſe, non habet ampliùs indifferentiam poſitionis, nempè ad ea formanda, vel non formanda; ſed ſuppoſito, quod fecerit decretum de uno tantùm mundo condendo, non poteſt ampliùs alios mundos velle: *ſuppoſito enim, quòd velit, non poteſt, non velle, quia non poteſt voluntas ejus mutari* (ait D. Thom. hâc *qu.* 19. *art.* 3.)

X. Quòd autem hæc duo æquivalenter, & virtualiter inſtantia, debeant conſiderari in Deo, patet ex doctrina D. Thomæ *qu.* 3. *de potentia artic.* 14. *ad* 7. ubi explicans, quomodo dici poſſet, adhuc creaturas eſſe ex nihilo, etiamſi creatæ fuiſſent ab æterno, ait: *poteſt dici ... quod non eſſe praecedat eſſe rei, non duratione, ſed naturâ. Quia videlicet* (creatura) *ſi ipſa ſibi relinqueretur, nihil eſſet: eſſe vero, ſolùm ab alio habet. Quod enim eſt natum alicui ineſſe ex ſe ipſo, naturaliter priùs competit ei, quàm quod non eſt ei natum ineſſe, niſi ab alio.* Secundùm ergo hanc doctrinam in æternitate mundi concipi deberent duo inſtantia naturę, in quorum priori creatura, ſeu mundus conciperetur ſub non eſſe, quod ſibi ex natura ſua convenit; & in poſteriori conciperetur ſub eſſe, quod ei conveniret ab alio, nempè à Deo. Cùm ergo Deus priùs naturâ ſit in ſe, quàm connotet creaturas; cùm ex ſua natura non ſit neceſſitatus ad volendum, vel non volendum creaturas, ſed hoc ei quaſi adveniat ex ſua libera electione: poſſumus cum fundamento in æternitate Dei concipere duo virtualiter inſtantia, unum naturâ prius altero, in quorum priori concipiatur Deus omninò indifferens, & ad neutrum determinatus; in poſteriori verò, ut jam determinatus per ſuam volitionem unius potius, quàm alterius.

§. III.

Solvuntur aliqua in contrarium obſtantia.

XI. Objiciunt primò. Vel prædicta inſtantia ſunt inſtantia realia, ſeu rei, vel pura ſigna intelligentiæ, & rationis. Primum eſſe non poteſt; quia æternitas eſt unicum, ac indiviſibile inſtans. Si verò ſunt pura ſigna intelligentiæ, & rationis, nihil ſerviunt ad conſtituendam in Deo libertatem: Deus enim ab æterno liberrimus fuit, antequam ullus eſſet intellectus creatus, qui hæc duo ſigna rationis concipere poſſet.

XII. Reſpondetur, eſſe inſtantia realia, & ſimul ſigna rationis, & intelligentiæ. Realia quidem, non formaliter, ſed virtualiter ſolùm diſtincta: quia inſtans æternitatis, eſto unicum, ac indiviſibile realiter formaliter ſit; realiter tamen virtualiter, ſeu æquivalenter duplex eſt. Cùm enim illo eodem æternitatis inſtanti durent, & prædicata neceſſaria Dei, & libera; & illa naturâ priora ſint iſtis, quia illa afficiunt Deum in ſe, & neceſſariò, iſta Deum ut dicentem ad creaturas habitudinem non neceſſariam; pro ut æquivalet, & reſpicit illa, reſpicit Deum, ut nondùm determinatum ad liberè quidquam volendum; ut autem æquivalet iſtis, reſpicit Deum, ut jam liberè volentem. Quæ æquivalentia dat fundamentum intellectui, ut illud unicum inſtans conſideret, ac ſi eſſent duo, unum ſcilicèt afficiens prædicata neceſſaria,

& Deum

Digitized by Google

& Deum ut nondùm liberè determinatum reſpiciens ; aliud reſpiciens prædicata libera , & Deum de facto liberè volentem : quia ut ſuperiùs ex D. Thoma obſervatum eſt , liberè velle convenit Deo , quaſi ex alio ; neceſſariò autem velle convenit ei ex ſe : quod autem alicui convenit ex ſe , priùs naturâ ei convenit , quàm id , quod convenit ei quaſi ex alio.

XIII. Objicies ſecundò. Ex cauſa indifferenti quâ tali nihil determinatè ſequitur , quod locum habere etiam in cauſis liberis ſuperius oſtendimus agentes de ſcientia media , & inferiùs , dum de decretis divinis agemus , oſtendemus ; ergo ſi Deus in illo priori ſigno concipitur , ut indifferens , non poterit in ſecundo concipi , ut determinatus.

XIV. Reſponſio communis Noſtratum eſt , quod licèt ex cauſa indifferenti indifferentiâ paſſivâ , entitativâ , & ſubjectivâ non poſſit ſequi aliquid determinatum , niſi ab alio extrà ſe determinetur ; ex indifferenti tamen , indifferentiâ purè activâ , & operativâ ſequi poteſt aliquid determinatum . Ratio eſt , quia prior indifferentia ex po entialitate provenit , poſterior verò ex ſumma actualitate : & talis eſt indifferentia divinæ libertatis , ut dicetur.

XV. Verùm ſecundò reſpondeo , diſt. ant. Ex cauſa , quæ ex ſe indifferentiam habet , nihil determinatè ſequitur , conc. antec. Ex cauſa , quæ ex ſe neceſſitatem habet , & ſolùm dicitur indifferens ex volito , ad quod dicit habitudinem non neceſſariam , nego antec. Ità ſimili argumento reſpondet D. Thomas hìc *qu.* 19. *art.* 3. *ad* 5. his verbis : *Dicendum , quòd cauſa , quæ ex ſe eſt contingens , oportet , ut determinetur ab aliquo exteriori ad effectum : ſed voluntas divina , quæ ex ſe neceſſitatem habet , determinat ſe ipſam ad volitum , ad quod habet habitudinem non neceſſariam.*

XVI. Objicies tertiò. Si divina decreta ſemper fuiſſent , nunquàm fuiſſent libera , ſed ſemper neceſſaria . Ex ſuppoſitione enim quod formata ſint , neceſſariò ſunt : ſed illa ſuppoſitio ſemper fuit ; ergo ſemper neceſſariò fuerunt.

XVII. Si reſpondeatur , divina decreta fuiſſe ſemper neceſſaria neceſſitate , non abſolutâ , quia abſolutè potuerunt non eſſe , ſed ex ſuppoſitione , quòd Deus voluerit ea formare , ſeu neceſſitate hypotheticâ , ideſt ſi ſunt ; cùm Deus ſit immutabilis , neceſſariò ſunt . Licèt autem illa ſuppoſitio ſemper fuerit , quia tamen liberè fuit , & pro inſtanti virtualiter priori , potuit non eſſe , imò nec fuiſſet , ſi Deus illam non voluiſſet ; ideò nihil officit libertati.

XVIII. Dices. In quo ergo inſtanti habuit Deus exercitium ſuæ libertatis ? Non in priori ; quia pro eo ſigno non conſideratur Deus , ut liber in actu ſecundo , ſed ſolùm in actu primo. Non in ſigno poſteriori ; quia cùm pro iſto decreta ejus jam ſint , neceſſariò ſunt.

XIX. Reſpondeo , exercitium divinæ libertatis concipi in ſigno poſteriori , quia pro eo divina decreta ſunt ut liberè quaſi emanantia à Deo : & ità ſunt , quia Deus vult , illa eſſe , ut , ſi alia decreta formare voluiſſet , decreta , quæ ſunt , non fuiſſent. *Cùm* enim (ait D. Thomas in 1. *diſt.* 39. *quaſt.* 1. *art.* 1.) *actus divinæ voluntatis ſemper ſit in actu , & non pertranſiens in futurum , ſemper eſt quaſi in egrediendo à voluntate : & ideò manet libertas divinæ voluntatis reſpectu ipſius.*

DU-

Digitized by Google

DUBIUM III.

Circa quæ Divina Voluntas libera ſit.

§. I.

Non eſt libera reſpectu divinorum.

I. Dico primò. Voluntas Dei erga ſe ipſum non habet libertatem arbitrii. Quare Deus amat ſe neceſſariò neceſſitate tùm ſpecificationis, tùm exercitii. Recolendum ex dictis eſt, quid ſit neceſſitas, quoad ſpecificationem, & quid quoad exercitium. Hanc veritatem docet D. Thom. Tùm hâc *quæſt.* 19. *art.* 3. Tùm *qu.* 23. *de Verit. art.* 4. Tùm 1. *contrag. c.* 80. & alibi.

Probo ergo primò ſic. Hæc eſt natura ſummi boni clarè viſi, ut neceſſitet ad ſui amorem utrâque neceſſitate, & quoad ſpecificationem, & quoad exercitium, ideſt, ut nec poſſit odio haberi, nec poſſit ab exercitio amoris circa ipſum deſiſti; hac enim ratione Beatos utroque modo neceſſitari ad amandum Deum clarè viſum, oſtenditur in Tractatu de Beatitudine: ſed Deus ſeipſum, ut ſummum bonum clariſſimè, & perfectiſſimè cognoſcit; ergo oportet, ut feliciſſimâ neceſſitate ad ſe amandum, & ſemper amandum neceſſitetur.

II. Probatur ulteriùs ratione ejuſdem S. Thomæ hâc *qu.* 19. *artic.* 3. & *qu.* 23. *de Verit. art.* 4. Quælibet potentia neceſſariò, & naturaliter fertur in ſuum objectum principale; *ſicut & qualibet alia potentia neceſſariam habitudinem habet ad proprium, & principale objectum, ut viſus ad colorem, quia de ſui ratione eſt, ut in illud tendat;* ergo, cùm voluntas divina habeat pro objecto proprio, & principali ſuam bonitatem, ità ad illam ſe habebit, ut neceſſitetur naturali quodam pondere ad eam ſic amandam, ut non poſſit eam odiſse: quod eſt neceſſitari quoad ſpecificationem.

Rursùs: quia objectum proprium, debitè applicatum, & intimè præſens, neceſſitat potentiam etiam quoad exercitium ad ſui proſecutionem; & divina bonitas ſit debitè applicata, & præſens divinæ voluntati, ſequitur, quòd eam neceſſitet, etiam quoad exercitium ad ſui amorem.

III. Confirmatur ratione, quam indicat D. Thom. 1. *Contrag. cap.* 80. Dato, quòd abſolutè loquendo voluntas non poſſit non neceſſitari quoad exercitium à ſuo objecto etiam clarè cognito; voluntas tamen, quæ dicit habitudinem ad ſuum objectum per modum puri actus nullo modo in potentia, neceſſitari debet ab eo, nedùm quoad ſpecificationem, ſed quoad exercitium quoque: cùm ergo divina voluntas velit, *ſuum eſſe, & ſuam bonitatem ut principale objectum, quod eſt ſibi ratio volendi alia, & in omni volito ſuum eſſe, & ſuam bonitatem velit, ſicut viſus in omni colore videt lumen*: cùmque inſuper impoſſibile ſit, *Deum non velle aliquid actu, eſſet enim volens in potentia tantùm*, & non actus purus; neceſſe eſt, ut velit ſuum eſſe, & ſuam bonitatem utrâque neceſſitate ſpecificationis, & exercitii.

Cur autem potuerit Deus, abſque ſuæ ſummæ actualitatis læſione, ceſſare ab exercitio volitionis creaturarum, & non potuerit ceſſare ab exercitio volitionis ſui ipſius, ratio eſt: quia ad creaturas dicit habitudinem non neceſſariam; nec, ex quo Deus illas voluerit, aliquid actualitatis ei accrevit, quæ in eo non fuiſſet, ſi illas noluiſſet. At ad ſuam bonitatem dicit habitudinem neceſſariam; unde ſi potuiſſet exercitium eam volendi omittere, potuiſſet aliquod prædicatum neceſſarium, ac intrinſecum, & proinde actualitas, Deo deficere, quod eſſet contra rationem puri actus.

IV. Ex his ſolvitur etiam inſtantia fieri ſolita; nempè, quòd, cum objectum moveat potentiam ſolùm ad ſpeciem

ciem actus, non verò ad exercitium; malè colligatur, ex quo bonitas divina ſit objectum voluntatis divinæ, neceſſitatis etiam quoad exercitium.

Nam licèt neceſſitas, quæ colligitur ex objecto, formaliter non ſit, niſi quoad ſpeciem, illativè tamen poteſt eſſe etiam quoad exercitium: nam ſi objectum ſit ſummum bonum, & clarè cognitum, & voluntas ſit actualiſſima, qualis eſt divina, utraque neceſſitas per conſequentiam, eſto non formalem, materialem, colligitur.

V. Dices tamen contra aſſertum. Deo attribui debet modus operandi perfectior: hic autem eſt operari liberè, quia eſt operari cum pleno dominio ſupra proprium actum; ergo &c.

VI. Reſpondetur, præfatum diſcurſum verum eſſe, quando materia eſt capax libertatis, ſecùs verò, ſi capax libertatis non ſit: cùm autem divina bonitas ſit materia incapax libertatis; ideò non debet Deus illam amare cum dominio, & facultate illam non amandi. Quædam enim objecta ſunt, quæ non adæquant totam voluntatis vim: & erga iſta certè voluntas ſe exercet cum libertate, & dominio. Alia verò ſunt, quæ plenè adæquant, & ſatiant voluntatem: & circa hæc non poteſt ſe exercere cum dominio. Cum ergo divina bonitas, quæ eſt *omne bonum*, juxtà illud Exodi *c.* 33. 19. & totius perfectionis immenſum pelagus, ità voluntatem adæquet, & totam ad ſe rapiat, ut nihil extrà illam volendum ſuperſit; ideò voluntatem ad ſui amorem prorsùs neceſſitat.

§. II.

Voluntas Divina circa res creatas libera eſt.

VII. Dico ſecundò. Divina voluntas non neceſſariò amat creaturas, ſed liberè. Ità D. Thomas hîc *qu.* 19. *art.* 3. & locis ſuperiori §. laudatis. Illud enim ſolùm abſolutè neceſſariò amatur, quod, vel eſt finis, vel medium, ſine quo finis haberi non poteſt: *ſicut volumus cibum, volentes conſervationem vitæ, & navem, volentes transfretare: non ſic autem ex neceſſitate volumus ea, ſine quibus finis eſſe poteſt, ſicut equum ad ambulandum; quia ſine hoc poſſumus ire, & eadem ratio eſt in aliis.* Ità S. Thom. citato *art.* 3. qui ſic concludit: *unde cùm bonitas Dei ſit perfecta, & eſſe poſſit ſine aliis, cùm nihil ei perfectionis ex aliis accreſcat, ſequitur, quòd alia à ſe Deum velle, non ſit neceſſarium abſolutè.* Addit tamen, Deum amare creaturas, neceſſarium eſſe ex ſuppoſitione: *ſuppoſito enim, quòd velit, non poteſt non velle, quia non poteſt voluntas ejus mutari.*

VIII. Si autem dicas. Deus amat creaturas, in quantùm amat bonitatem ſuam: ſed hanc amat neceſſariò; ergo & illas

IX. Reſpondet D. Thomas artic. 3. citato ad 2. *quòd licèt Deus ex neceſſitate velit bonitatem ſuam, non tamen ex neceſſitate vult ea, quæ vult propter bonitatem ſuam; quia bonitas ejus poteſt eſſe ſine aliis.* Videri poteſt etiam *qu.* 23. *de Verit. art.* 4. ubi ait: *Non eſt neceſſitas divinæ voluntatis ex amore, quem habet ad ſuam bonitatem, quòd velit hoc, vel illud circa creaturam; nec ineſt ei aliqua neceſſitas reſpectu totius creaturæ: eò quòd divina bonitas in ſe perfecta eſt, etiamſi nulla creatura exiſteret, quia bonorum noſtrorum non eget, ut in Pſalmo dicitur: Non enim divina bonitas eſt talis finis, qui efficiatur ex his, quæ ſunt ad finem, ſed magis, quo efficiuntur, & perficiuntur ea, quæ ad ipſum ordinantur &c.*

X. Si iterùm dicas. Quod eſt liberum ad utrumlibet, eſt contingens, quia non eſt neceſſarium: omne autem contingens eſt imperfectum, quia eſt potens non eſſe.

XI. Reſpondeo ex D. Thom. *art.* 3. *relato ad* 4. libertatem inferre contingentiam in cauſa ex ſe, & intrinſecè indifferenti; non verò in cauſa ex ſe

ne ei-

neceſſariâ, & ſolùm indifferente ratione effectus. Cùm verò dicitur: quod eſt liberum non eſt neceſſarium: quod autem non eſt neceſſarium eſt contingens, diſtinguo, quod non eſt neceſſarium intrinſecè, & defectu ſui, eſt contingens, conc. quod non eſt neceſſarium defectu rei volitæ, ſeu effectus &c. nego antec. *Aliquando* (inquit S. Thom. art. 3. ad 4.) *aliqua cauſa neceſſaria habet non neceſſariam habitudinem ad aliquem effectum, quod eſt propter defectum effectus, & non propter defectum cauſæ. Sicut virtus Solis habet non neceſſariam habitudinem ad aliquid eorum, quæ contingenter hîc eveniunt, non propter defectum virtutis ſolaris, ſed propter defectum effectus, non neceſſariò ex cauſa provenientis. Et ſimiliter, quòd Deus non ex neceſſitate velit aliquid eorum, quæ vult, non accidit ex defectu voluntatis divinæ, ſed ex defectu, qui competit volito ſecundùm ſuam rationem; quia ſcilicèt eſt tale, ut ſine eo eſſe poſſit perfecta bonitas Dei. Qui quidem defectus conſequitur omne bonum creatum.* Hæc D. Thom.

DUBIUM IV.

Per quid actus liber Dei conſtituatur formaliter in ratione liberi.

§. I.

Opinionum varietas.

I. DEum eſſe liberum omnes Catholici Doctores fatentur. Sed in explicando, in quo formaliter conſiſtat divina libertas, ſeu quo conſtituatur actus liber in ratione liberi, ut diſtincti ab actu neceſſario, quidque ſupra actum neceſſarium addat, an aliquid reale, an rationis, an aliquid reale intrinſecum Deo defectibile, an verò prorsùs indefectibile, inter ſeſe diviſos invenio. Hujus autem diviſionis tota cauſa eſt, quòd vix capi poſſit, quomodo Deus poſſit eſſe intrinſecè liber, libertate arbitrii, & indifferentiæ, & tamen eſſe omnino immutabilis.

II. Aliqui propterea aſſerunt, actum liberum in Deo formaliter conſtitui, & addere ſupra actum neceſſarium purum reſpectum rationis. Pro hac opinione referri ſolet Capreolus in 1. *diſt.* 45. *qu.* 1. *ad* 1. Ferrarien. 1. *Contrag. c.* 82. & ex recentioribus Vaſquez, Alarcon &c. Alii actum liberum Dei conſtituunt adæquatè, vel inadæquatè per aliquid extrinſecum. Ità Aureolus in 1. *diſt.* 4. *artic.* 1. *propoſ.* 1. Baſil. legionenſ. Granados, Amicus, Torres, Averſa &c. Alii eundem adæquatè conſtituunt in aliquo intrinſeco diſtincto à perfectione neceſſaria, quod Deo potuit deficere; quod dicunt eſſe quandam perfectionem liberam, etſi diminutam: qui dicendi modus tribuitur Cajetano, propterea à multis extra ſcholam D. Thomæ cenſurâ notato, quamvis eum benignè interpretentur multi: imò eam opinionem expreſsè teneant aliqui, ut Fonſeca, Salas, aliique Recentiores. Alii dicunt, actum liberum Dei addere ſupra actum neceſſarium quandam terminationem intrinſecam virtualiter diſtinctam à neceſſaria, quæ eſto nequeat deficere quoad entitatem, poteſt deficere quoad terminationem. Ità ſentit Godoy, cui ſuffragatur Gonet, & alii. Alii demum aſſerunt, quòd actus liber Dei ſit ipſe actus neceſſarius abſque additione alicujus, ſive formalitatis, ſive terminationis intrinſecè Deo defectibilis, ſed ut ſummâ eminentiâ reſpiciens creaturas non neceſſariò. Hoc ſentiunt Jo. à S. Thoma *de Volunt. diſp.* 4. *art.* 4. Salmant. *diſp.* 7. *dub.* 7. Ferre *quæſt.* 5. §. 9. aliique Recentiores. Porrò cui in hoc opinionum conflictu adhærendum exiſtimemus, ſequentibus breviter exponemus.

* *
*

§. II.

Digitized by Google

§. II.

Reſolutio Dubii.

III. **D**Ico primò. Actus liber Dei nihil aliud eſt, quàm actus neceſſarius voluntatis divinæ, ut dicens habitudinem non neceſſariam ad objectum volitum. Ità colligitur apertè ex D. Thom. hàc *qu. 19. art. 3. ad 4. & 5.* ut ſuperiùs obſervavimus. Nec de hoc puto eſſe controverſiam.

IV. Dico ſecundò. Hæc habitudo non neceſſaria, quam dicit divina voluntas ut libera, non addit ex parte recti, ſeu Dei, aliquid intrinſecum virtualiter diſtinctum ab actu neceſſario, quod ſit defectibile, ſeu quod modò ſit in Deo, & potuerit in Deo non eſſe; ſed dicit aliquid defectibile ex parte rei volitæ, ſeu aliquid quod ſit in re volita, quod potuerit in illa non eſſe. Eruitur ex doctrina D. Thomę loco nuper relato *ad quartum*, quam ſuperiùs in fine præcedentis Dubii expendimus, nempè, quòd *Deus non ex neceſſitate velit aliquid eorum, quæ vult, non accidit ei ex defectu voluntatis divinę, ſed ex defectu, qui competit volito ſecundùm ſuam rationem; quia ſcilicet eſt tale, ut ſine illo eſſe poſſit perfecta bonitas Dei. Qui quidem defectus conſequitur omne bonum creatum.* Et hoc explicaverat exemplo Solis, qui in ſe cauſa neceſſaria, dicit tamen habitudinem non neceſſariam ad aliquid eorum, quæ *contingenter eveniunt, non propter defectum virtutis ſolaris, ſed propter defectum effectus non neceſſariò ex cauſa provenientis.* Ex quibus ſic diſcurro. Magis immutabilis, & neceſſaria eſt in ſe divina voluntas, quàm ſit virtus Solis: ſed virtus Solis abſque eo, quòd aliquid intrinſecum ei adveniat, quod poſſit ei deficere, dicit habitudinem non neceſſariam ad aliquos effectus contingenter evenientes, ex eo quòd tales effectus defectibiles ſunt; ergo multò magis voluntas divina poterit dicere habitudinem non neceſſariam ad aliqua volita, quin ponatur in ea aliquid intrinſecum defectibile, & ob defectum volitorum, non fui. Conſequ. probatur. Ideò enim habitudo non neceſſaria ad effectus contingentes, nihil ponit defectibile in virtute Solis, quia ſine illis ſubſiſtit virtus Solis: ſed abſque omni bonitate creatâ, perfecta eſt bonitas divina, & divina voluntas abſque omni volito creato eſſet ſummè infinita, ſicut modò eſt; ergo &c.

V. Probatur ratione à priori. Velle divinum reſpicit pro ſuo objecto ſpecifico, & primario ſolam bonitatem divinam, creaturas verò ut objectum purè materiale, & ſecundarium; ergo & has ità reſpicit, ut illis non indigeat, & ſi non eſſent, nihil intrinſecum Deum deeſſet; Ergo actualis earum attingentia, & habitudo nihil Deo intrinſecum, ſive entitatis, ſive etiam terminationis ponit. Aliàs creaturæ non ratione ſolius bonitatis divinæ à Deo amarentur, ſed ratione propriæ; eſſetque in Deo aliquid intrinſecum ſuam ſpeciem, & ſuum eſſe à creaturis deſumens.

Sicut ergo objectum, quia nullam dicit dependentiam à potentia, ità terminat actualem attingentiam potentiæ, ut nulla in eo ex hoc conſurgat intrinſeca formalitas, aut terminatio virtualiter ab eo diſtincta; & objectum modò dicitur cognitum, modò non cognitum ex variatione non ſui, ſed potentiæ: Ità potentia, & actus, qui nullam ab objecto dependentiam habet, ſic ad objectum terminatur, ut ex tali terminatione nihil illi intrinſecum de novo accreſcat: ſed ità ſe habet voluntas, & velle divinum ad creaturas, & generaliter omnis actus in ordine ad objectum ſecundarium; ergo velle divinum, ut actu terminetur ad creaturas, non debet addere aliquid intrinſecum, ſive per modum formalitatis, ſive terminationis virtualiter diſtinctum ab actu neceſſario in Deo. Hęc doctrina probatur à D. Th. *qu. 23. de Verit. art. 1. ad 3.* his verbis: *Volun-*

Digitized by Google

Voluntas non habet habitudinem ad volitum, quod eſt ſecundarium, ſicut ad cauſam, ſed tantummodo ad volitum principale, quod eſt finis.

VI. Dices. Eſto ex ſumma divinæ libertatis eminentiâ, independentiâ, immutabilitate, & actualitate ſequatur, eam non poſſe conſtitui per aliquam entitatem, aut perfectionem, quæ Deo potuiſſet deficere; non tamen, non poſſe eam conſtitui per aliquid reale quidem, ſed perfectionem non exprimens: nimirùm intrinſecam connotationem, & terminationem ad creaturas, quæ in Deo volente modò ſit, potuiſſet tamen non eſſe, ſi Deus illas noluiſſet: & hoc indicavit D. Th. hâc *qu.* 19. *art.* 3. *ad* 5. dicens: *Voluntas divina, quæ ex ſe neceſſitatem habet, determinat ſe ipſam ad volitum, ad quod habet habitudinem non neceſſariam.* Hæc autem habitudo realis eſt, non per rationem excogitata, intrinſeca Deo, non extrinſeca: quòd ſi eſt non neceſſaria, ſic eſt in Deo, ut potuerit in eo non eſſe. Ità reſpondent cum Godoy ex Noſtris non pauci.

VII. Sed contra. Ponere aliquid reale intrinſecum Deo, & ponere, quòd potuiſſet à Deo deficere, eſt ponere duo contradictoria. Probo. Ponere poſitivum reale intrinſecum Deo, eſt ponere aliquid divinum Deo identificatum, & quod ſit ipſe Deus; ergo eſt ponere aliquid ſummè neceſſarium, & immutabile, ſicut eſt ipſe Deus.

VIII. Si dicas, quod illud prædicatum eſſet divinum, ſed liberum: realiter quidem identificatum cum actu divino neceſſario, ſed virtualiter ab eo diſtinctum: ideòque ſub ratione liberi potuiſſe deficere abſque læſione ſummæ indefectibilitatis divinæ entitatis.

IX. Contra eſt. Imò hoc eſt implicatorium. Quòd nempè ſit prædicatum intrinſecè divinum, & non ſit neceſſarium, ſed liberum, potens eſſe, & non eſſe. Quod enim tale eſt non habet à ſe cauſam ſui eſſe, neque eſt ens à ſe, & proinde nec divinum.

X. Tùm etiam: quia ſi taliter intrinſecè eſt in Deo, ut potuerit in Deo non eſſe abſque Dei læſione, jam erit accidens reſpectu Dei, faciens compoſitionem accidentalem cum Deo, & quidem realem. Videtur enim inexplicabile, quomodo identificetur intrinſecè cum actu neceſſario, & quòd potuerit illi non convenire. Nihil enim eſſe poteſt ſine eo, quod ſibi identificatur, aliàs eſſe poſſet ſine ſeipſo. Nullum enim eſt ſignum clarius arguens realem diſtinctionem, quàm realis ſeparabilitas.

XI. Confirmatur. Illa terminatio nunc exiſtens puta volitio libera Antichriſti, ità eſt Deus, ut potuerit non eſſe Deus; & terminatio, quæ potuit eſſe, & non eſt, puta volitio libera alterius mundi, ità non eſt modò Deus, ut potuerit eſſe Deus; ergo quod eſt Deus potuit non eſſe Deus, & quod non eſt Deus potuit eſſe Deus. Quo quid abſurdius?

XII. Contra ſecundò. Omne divinum prædicatum debet formaliter tranſcendi tranſcendentiâ rationis ab ente divino, tanquam inferiùs illo, vel modus ejus; Ergo illud prædicatum liberum, quod dicunt eſſe in Deo, tranſcenditur tranſcendentiâ rationis ab ente divino, tanquam prædicatum inferius, vel modus ejus; ergo ſi hoc poſſet deficere, poſſet quoque deficere entitas divina in eo imbibita: non enim ſtat, poſſe deficere rationem inferiorem, vel modum entis, quin deficiat ratio ſuperior entis in illa incluſa.

XIII. Nec refert ſi dicas, terminationem illam liberam poſſe deficere, quin poſſit deficere entitas divina; quia illa terminatio virtualiter diſtinguitur ab entitate divina, neque entitas divina in illa terminatione libera multiplicatur.

XIV. Nam primò. Eſto diſtinctio virtualis ſufficiat ad ſalvanda contradictoria reſpectiva, qualia ſunt connotare, & non connotare creaturas, formare, & non formare decreta circa

ea illas: non ſufficit tamen ad ſalvanda contradictoria abſoluta, qualia ſunt exiſtere, & non exiſtere: quapropter, eſtò, quia animal, & rationale virtualiter diſtinguuntur ſalvari poſſit, quod animal ſit principium conveniendi in homine, & rationale ſit principium non conveniendi: ſalvari tamen non poteſt, quòd homini poſſit deficere rationalitas, quin etiam animalitas deficiat.

XV. Secundò. Eſto cum tranſcendentia rei ſtare poſſit diſtinctio virtualis, quare eſſentia divina licèt tranſcendat tranſcendentiâ rei attributa, & relationes, adhuc tamen virtualiter diſtinguitur ab illis; non tamen cum tranſcendentia rationis ſtare poteſt diſtinctio virtualis inter id, quod tranſcendit, & quod tranſcenditur: unde conceptus univerſalis entis divini, quod tranſcendentiâ rationis imbibitur in omni prædicato divino, non diſtinguitur virtualiter ab ullo divino prędicato. Et ratio eſt: quia conceptus tranſcendens tranſcendentia rationis facit unum ſimplicem conceptum cum eo, quod tranſcendit. Rursùs: Eſto id, quod tranſcendit tranſcendentiâ rei, poſſit non multiplicari multiplicatis iis, quæ tranſcendit; Quare eſſentia divina, multiplicatis relationibus non multiplicatur: hoc tamen verificari non poteſt de eo, quod tranſcendit tranſcendentiâ rationis, & logicâ; hęc enim petit, ut multiplicetur prædicatum tranſcendens ad multiplicationem formalitatum per quas tranſcendit: & ideò ſi per impoſſibile non deficiente eſſentiâ divinâ deficeret, vel poſſet deficere miſericordia, aut relatio divina; proculdubio deficeret, vel poſſet deficere in Deo aliqua portio entis divini. Sed illa terminatio Deo intrinſeca, quam ponunt Adverſarii conſtitutivam divinæ libertatis, eſſet modus, aut differentia entis, quod dividitur in liberum, & neceſſarium; ergo deberet tranſcendi tranſcendentiâ rationis ab ente, & conſequenter multiplicari terminatione multiplicatâ, & poſse deficere, ſi hæc deficere poſſit.

XVI. Ex hoc ſequitur, quòd licèt præfata terminatio perfectionem non exprimeret, eam tamen utpotè divina formaliter includeret, & ſecum traheret; adeò ut, ſi poſſet deficere, poſſet quoque deficere aliquid entis divini: ad eum modum, quo eſtò divinæ relationes non exprimant perfectionem, ſi tamen iſtæ poſſent in Deo deficere, argueretur, poſſe quoque deficere in eo aliquid pèrfectionis, & entitatis.

XVII. Neque ad haſce anguſtias redigitur noſtra ſententia. Nam cum dicimus, actum liberum Dei eſſe actum neceſſarium, ut dicentem habitudinem non neceſſariam ad volitum; nomine hujus habitudinis non neceſſariæ non intelligimus aliquid intrinſecum, quod ità in Deo ſit, ut intrinſecè, & ex parte recti potuerit non eſſe, ſed quod ſolùm potuerit non eſſe ex parte connotati, ſeu voliti: quod cùm ſit purè ſecundarium, nec ad ejus poſitionem poni debet aliquid intrinſecum in volente; nec ad ejus non poſitionem, deeſſe debet in volente aliquid intrinſecum.

XVIII. Porrò non rarò contingit, quòd forma aliqua prorsùs in ſe invariata, ad poſitionem alicujus connotati, prędet aliquam denominationem, quam, illo non poſito, non præſtaret. Sic relatio paternitatis ad ſecundum filium, hâc exiſtente invariatâ in ſe, denominat Patrem relatum ad ipſum, quem ſecundo filio non exiſtente, non denominaret. Sic ſpecies Angelica invariatâ ſui repręſentatione, actu repræſentat individua ut exiſtentia, eorum exiſtentiâ poſitâ, quæ eorum exiſtentiâ nondùm poſitâ, non repræſentabat: Cur ergo velle divinum neceſſarium non habebit quantùm ex ſe eſt quidquid requiritur ex parte ſui ad dandam denominationem liberè volentis, quam tamen non præſtet niſi connotato fore, vel non fore creaturarum? Eſt tamen inter exempla allata, & velle divinum hoc diſcrimen: quòd connotata in illis exemplis, ut dent

in actu ſecundo ſuas denominationes, præcedunt formas, eas enim reſpiciunt ut formas ſpeculativas: at velle divinum reſpicit creaturas, ut forma practica dans illis *fore*; ideòque eas non ſupponit *fore*, ſeu futuras, ſed facit.

§. III.

Contrariæ ſententiæ fundamenta.

XIX. PRimò objicitur. Imperceptibile eſt, quòd libertas ſit intrinſeca Deo, & quod nihil intrinſecum ſit in voluntate divina, quod deficere poſſit; ergo vel libertas divina eſt ſolùm extrinſeca, vel aliquid intrinſecum defectibile Deo debet aſſerre. Ant. prob. Actus liber eſt ille, qui ità eſt, ut potuerit non eſſe; in hoc enim diſtinguitur ab actu neceſſario; Ergo actus Dei ità eſt liber, ut in Deo potuerit intrinſecè non eſſe.

XX. Reſpondeo, negando antec. ad prob. diſt. ant. actus liber, ſi ſit liber per indifferentiam entitativam, ut in nobis, conc. ant. Si ſit liber per ſolam indifferentiam operativam, & dominativam, ſubdiſt. ità eſt, ut potuerit non eſſe quoad rectum, & intrinſecum actus, nego antec. quoad extrinſecum, & connotatum, conc. ant. & nego conſequ. Non enim debemus concipere libertatem divinam ad exemplar creatæ. Hæc enim, cùm ſit indifferens indifferentiâ entitativâ, & ſubjectivâ, nequit ſalvari, quin ſtatuatur aliquid, quod modò ſit in ſubjecto, & potuerit intrinſecè in eo non eſſe. At libertas divina actualiſſima, non debet per hoc conſtitui, quòd in divina voluntate aliquid intrinſecum ſit, quod potuerit in ea non eſſe; ſed per hoc quòd in volito aliquid ſit, quod potuerit non eſſe. Fatemur itaque, quòd Deus per aliquid intrinſecum terminetur liberè ad creaturas, & quòd amare eas liberè ſit Deo aliquid intrinſecum: ſed hoc intrinſecum non dicimus eſſe aliquid defectibile, imò potius ipſa terminatio actus neceſſarii; quæ dùm primariò terminatur ad bonitatem divinam ipſa eadem invariabilis, & immutabilis ſecundariò progreditur ad volendas ratione divinę bonitatis etiam aliquas creaturas: quæ cùm ad illam comparentur, non ut cauſa, ſed ut volitum purè ſecundarium, ſive volitæ ſint, ſive non volitæ. illa terminatio quoad intrinſeca eadem ſemper eſt; ſolumque poteſt ei deficere aliquid connotatum. Cujus exemplum aliquale afferri poteſt in actione generativa, quæ terminata primariò ad ſubſtantiam, eàdem indiviſibili terminatione terminatur ad proprietates; ità ut nihil entitatis, aut intrinſecæ terminationis deficiat, eſtò deficeret ei terminari ad proprietates. Idem dici poteſt de relatione paternitatis, ut terminata ad ſecundum filium, quod ſuperiùs oſtendimus. Item indifferentiam intrinſecam fatemur, ſed dominativam, operativam; non entitativam, ſubjectivam, & paſſivam; ut ſuperiùs cum D. Th. ar. 3. hujus quæſt. ad 4. notavimus: *aliquando enim aliqua cauſa neceſſaria habet non neceſſariam habitudinem ad aliquem effectum, quod eſt propter defectum effectus, non propter defectum cauſæ.* Hęc D. Thom. & explicat exemplo Solis. Recolantur, quæ ſupra diximus.

XXI. Sed dices. Poſitâ hâc ſolutione ſequitur primò, quòd voluntas divina potuerit manere ſuſpenſa ab omni actu libero circa creaturas, quia ex hoc nihil actualitatis voluntati divinæ defeciſſet: ſed hoc eſt contra ea, quæ dicemus dubio ſequenti; ergo &c.

Sequitur ſecundò. Deum poſſe incipere velle aliquid in tempore, abſque eo, quòd in ſe intrinſecè mutetur, cùm actus liber Dei nihil intrinſecum Deo addat: ſicut in tempore incipit abſque ſui mutatione eſſe Dominus, & Creator.

XXII. Sed huic duplici inſtantiæ tenentur ſatisfacere etiam Adverſarii, qui eſtò velint, divinam libertatem actualem addere aliquid intrinſecum Deo defectibile; volunt tamen ex hujuſmo-

juſmodi intrinſeci defectu, nullam ſequi potuiſſe mutationem intrinſecam in Deo.

XXIII. Reſpondeo ergo pro nobis, & pro illis, negando utramque ſequelam. Primam quidem: quia eſto non deficeret actualitatis divinæ aliquid, ſi voluntas divina manſiſſet ſuſpenſa ab omni exercitio libero; argueretur tamen ex parte illius imperfectio: ſicut eſtò intellectui divino nihil deficeret, ſi non terminaretur ad futura, quia terminatio ad futura nihil perfectionis ratione ſui addit ſupra intellectionem Dei; imperfectio tamen poſitiva argueretur in eo, quòd eſſet aliquid cognoſcibile, quod à Deo non cognoſceretur. Et ſicut eſto actioni generativæ nihil intrinſecum deficeret, ſi ſolùm terminaretur ad ſubſtantiam, & non ad proprietates; adhuc tamen poſitivè imperfecta eſſet, quia non attingeret quidquid per eam debet attingi, & maneret proinde incompleta. Ità dicimus de velle divino, ſi nullo modo terminaretur ad creaturas. Sed de hoc dubio ſequenti. Neque ſecunda illatio ſequitur, cujus rationem dedimus ſuperiùs *Dubio primo præſentis quæſtionis §. ſecundo, numer.* 18. Ubi etiam aſſignavimus ex D. Thom. 1. *p. qu.* 14. *art.* 15. *ad* 1. diſcrimen inter relationes Domini, aut Creatoris, & ſcientis, ac volentis. Quod *Dominus, & Creator important relationes, quæ conſequuntur actus, qui intelliguntur terminari ad ipſas creaturas, ſecundùm quod in ſe ipſis ſunt; & ideò hujuſmodi relationes variè de Deo dicuntur ſecundùm variationem creaturarum. Sed ſcientia & amor, & hujuſmodi important relationes, quæ conſequuntur actus qui intelliguntur in Deo eſſe; & ideò invariabiliter prædicantur de Deo.*

XXIV. Objicitur ſecundò. Nequit denominatio aliqua eſſe defectibilis, quin aliquid intrinſecum ex parte ſubjecti defectibile ſit: ſed denominatio Dei volentis hunc mundum defectibilis eſt: potuit enim Deus non velle hunc mundum; ergo aliquid ex parte Dei volentis defectibile eſt.

XXV. Si reſpondeas ex dictis, majorem eſſe veram de denominatione abſoluta, ſecùs verò de denominatione purè connotativa, qualis eſt denominatio Dei liberè volentis: ut enim hæc defectibilis dicatur, ſatis eſt, ut defectibile ſit connotatum, ſive in ratione effectus, ſive in ratione voliti. Quare ex hoc, quòd denominatio Dei liberè volentis hunc mundum defectibilis ſit, ſatis eſt, ut connotatio paſſiva hujus mundi ſit abſolutè defectibilis, quod exemplis ſupra illuſtratum eſt: connotatio autem hujus mundi, licèt ex ſuppoſitione, quod fuerit, indefectibilis ſit, abſolutè tamen defectibilis eſt, quia potuit in Deo abſolutè non eſſe; etenim mundus abſolutè potuit à Deo non eſſe volitus.

XXVI. Contra eſt primò. Defectus connotati nequit eſſe ratio, quare denominatio Dei volentis ſit defectibilis: non enim ideò Deus denominatur volens, quia mundus eſt volitus, ſed ideò mundus denominatur volitus, quia Deus eſt volens illum. Quare mundum eſſe ab æterno futurum, eſt quidem ſignum, Deum illum ab æterno voluiſſe, non tamen eſt cauſa, cur Deus illum voluerit: nam futuritio rei non eſt cauſa, ſed effectus divinæ voluntatis, quam ſuperiùs diximus eſſe cauſam futuritionis.

XXVII. Contra ſecundò. Ex doctrina ſuperiùs tradita futuritio non conſiſtit in aliquo eſſe objectivo diſtincto à Decreto, ſed in ipſo decreto, ut extrinſecè denominante creaturam poſſibilem; ergo futuritionem eſſe defectibilem nil aliud eſt, quàm divinum decretum ex ſe defectibile eſſe.

XXVIII. Contra tertiò. Ab æterno datur denominatio Dei liberè volentis, quæ denominatio eſt contingens; Ergo ab æterno dari debet aliquid contingenter exiſtens: ſed hoc nequit eſſe mundus, quia hic ab æterno contingenter non eſt; ergo aliquid ex parte Dei volentis: & hoc defectibile.

XXIX. Ad primam, nego ant. ad pro-

probat. ibi implicitam, concedo, ideò mundum denominari volitum, quia Deus eſt volens illum. Nego tamen ideò mundum eſſe volitum defectibiliter, ſeu ideò eſſe volitum, ut potuerit non eſſe volitum, quia Deus illum vult. Ut enim jam vidimus ex D. Th. hàc *quæſt. art. 3. ad 4. quòd Deus non ex neceſſitate velit aliquid eorum, quæ vult, non accidit ex defectu voluntatis divinæ: ſed ex defectu, qui competit volito, ſecundùm ſuam rationem; quia ſcilicèt eſt tale, ut ſine eo poſſit eſſe perfecta bonitas Dei. Qui quidem defectus conſequitur omne bonum creatum.*

XXX. Ad ſecundam, nego conſequ. Aliud enim eſt, futuritionem eſſe à Dei decreto, quod concedimus: aliud eſt, futuritionem eſſe defectibilem à Dei decreto, quod negamus. Quòd enim mundus habuerit determinatum ordinem ad eſſe, à divina voluntate eſt: ſed quod ſic habuerit, ut potuerit non habere, hoc non ex divina voluntate, ſed ex ſui conditione habet; quia nempè ſuaptè naturâ contingens eſt eſſe, & non eſſe, & ſine eo poteſt eſſe perfecta bonitas divina.

XXXI. Ad tertiam inſtantiam, diſt. conſequ. contingenter exiſtens per modum objecti voliti, conc. conſequ. per modum effectus producti, nego conſeq. Ut enim habeatur denominatio liberè volentis ab æterno, requiritur quidem, quòd ab æterno aliquid ſit contingenter volitum; non tamen quòd ab æterno aliquid contingens de facto exiſtat. Sic ergo mundus, quamvis ab æterno contingenter non extiterit, ideòque non fuerit ab æterno in Deo denominatio liberè producentis; fuit tamen ab æterno à Deo contingenter volitus, quia ſic fuit volitus, ut potuerit non eſſe volitus: unde fundat ab æterno denominationem liberè volentis.

XXXII. Ex hactenus dictis optimè concipies, cur non poſſet Deo deficere denominatio potentis mundum producere, quin illi deficeret aliquid intrinſecum; poſſit tamen abſolutè deficere denominatio liberè volentis abſque defectu alicujus intrinſecè ex parte Dei.

Latum enim diſcrimen eſt: quia, cùm Omnipotentia dicat ad poſſibilia habitudinem neceſſariam, ſine quibus Omnipotentia non eſſet perfecta; ſi Deo deficeret denominatio potentis ea producere, deficeret Deo aliquid intrinſecum, nedum per modum terminationis, ſed entitatis, nempè virtus contentiva eorum. At ad mundum futurum dicit divina voluntas habitudinem non neceſſariam, quia ſine mundo futuro poteſt eſſe perfecta bonitas divina; ideòque deficiente denominatione liberè volentis, nullus in divina voluntate defectus arguitur.

XXXIII. Colligitur etiam, unde deſumi debeat diverſitas volitionis, & nolitionis divinæ. Cùm enim nullus actus Dei ſpeciem ſumat ab alio, quàm à ſe ipſo, & omne aliud ab ipſo comparetur ad divinum actum, ut quid ſecundarium; diverſitas in denominatione volitionis, & nolitionis, non debet deſumi ex diverſitate ex parte actus. Idem ergo divinus actus quatenus ſe ipſum, ac divinam bonitatem neceſſariò amans, ſi hanc reſpicit, ut creaturis communicandam, dicitur actus volitionis creaturarum; ſi verò hanc reſpicit, ut non communicandam, dicitur actus nolitionis. Quod idem eſt ac dicere, quòd velle Dei abſque ulla variatione intrinſeca ex parte ſui, ut connotans futuritionem hujus Mundi, eſt volitio; & ut connotans non futuritionem alterius Mundi eſt nolitio. Quæ pro præſenti Dubio ſufficiant.

DU-

DUBIUM V.

An Divina Voluntas potuerit ab æterno manere omnino ſuſpenſa circa creaturas, ita ut potuerit illas nec velle, nec nolle.

§. I.

Quædam præmittuntur.

I. UT ſenſus quæſtionis appareat, ſciendum, quadrifariam potuiſse divinam voluntatem ab æterno comparari ad creaturas. Primò poſitivè, & directè volendo illas. Secundò poſitivè, ac directè eas nolendo, vel volendo non eſſe illarum. Tertiò nec directè volendo, aut nolendo illas, ſed liberè omittendo omne exercitium, & poſitivum actum circa illas. Quartò merè ſuſpenſivè ſe habendo circa illas per puram, & negativam omiſſionem nullo modo exercendo circa illas ſuam libertatem.

II. Voluntatem ergo divinam non fuiſſe obligatam ad determinatè volendum, aut determinatè nolendum aliquas creaturas, certum eſt ex dictis: quia cum ſine creaturis perfecta ſit bonitas Dei; quas voluit, ex ſua libertate voluit, quas verò noluit, vel non voluit, ex ſua libertate noluit, aut non voluit; cùm nihil in creatura ſit, quod poſſit neceſſitare Deum ad ſui determinatam volitionem, aut nolitionem, aut non volitionem. Quæſtio igitur eſt, an divina voluntas fuerit obligata ad hoc disjunctum, vel nolendi, vel volendi illas; ità ut non potuerit omninò ſuſpendere omne exercitium circa illas, ſed debuerit omnes aut velle, aut nolle. Et inſuper, an neceſſarium fuerit omnes velle, aut nolle directè: an verò potuerit liberè omittere volitionem, aut nolitionem circa illas.

In hoc diſcordes reperio Thomiſtas. Quidam negant, divinam voluntatem potuiſſe manere ſuſpenſam circa creaturas. Ità Jo. à S. Thoma, Ferre, Salmanticenſes, eorumque compilator Paulus à Conceptione cum cæteris. Alii affirmant, inter quos Godoy, Gonet, & Recentiores non pauci.

§. II.

Noſtra ſententia.

III. DIco primò. Probabilius videtur, voluntatem divinam non potuiſſe manere negativè prorsùs ſuſpenſam circa creaturas, nec eas directè volendo, aut nolendo, nec liberè volitionem, aut nolitionem circa illas omittendo. Probatur ratione fundamentali ſic. Non minùs eſt perfecta, & actualiſſima divina voluntas, quàm ſit divinus intellectus, ſeu divina ſcientia: ſed divina ſcientia actu debet ſe extendere ad omne ſcibile, ſive neceſſarium, ſive contingens; ità ut ſi actu ad aliquod non ſe extenderet, non eſſet actualiſſima, & infinitè perfecta: unde ſuperiùs oſtendimus, in Deo dari ſcientiam omnium quorumcumque, etiam contingentium conditionatorum; ergo etiam divina voluntas, debet actu ſeſe exercere circa omne volibile; ità ut ſi actu circa aliquod non ſe exerceret non eſſet actualiſſima, & infinitè perfecta, quia non eſſet in actu circa omnia; ergo &c.

IV. Confirmatur. Terminatio ſcientiæ divinæ ad res futuras eſt omnino libera, non addens perfectionem diſtinctam ſupra ſe ipſam, ut terminatam ad ſe ipſam, & creaturas poſſibiles: & tamen ſi merè ſuſpenſivè ſe haberet circa eas, argueretur imperfectio poſitiva ex parte ſcientiæ, quia ei deficeret terminatio poſitiva ad omne ſcibile; ergo etiam voluntas divina maneret poſitivè imperfecta, ſi merè ſuſpenſivè ſe haberet ad aliquod objectum volibile, aut nolibile, quamvis liberè terminetur ad illud. Quibus præcluditur Adverſariorum familiaris reſponſio dicentium, quòd cum intellectus feratur neceſſariò in res ſcibiles, nequit

negantibus quidem ſcientiam mediam pro ſtatu præſenti naturæ corruptæ, ſed eam aſſerentibus pro ſtatu naturę innocentis, & pro Angelis: quæ ibi dicta, recolenda ſunt.

VI. Probatur primò ex D. Paulo *ad Epheſ.* 2. v. 10. dicente: *Ipſius enim ſumus factura, creati in Chriſto Jeſu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus.* Notate. Si nos à Deo creamur in operibus bonis; ergo ea non ſupponit Deus ante ſuum decretum futura, ſed ſuo decreto ea facit futura, creatio enim non ſupponit ſubjectum, ſed illud creando facit. Rursùs: ſi Deus præparavit opera noſtra; ergo ea prædefinivit. Et ne quis putet, quòd Deus prædefinierit, ſeu præparaverit ſolùm circumſtantias, in quibus ea prævidit futura, ſubjungit: *ut in illis ambulemus*: non quia prævisi fueramus ambulaturi, ſed faciens, ut in illis ambulemus ſuâ voluntate; quâ dixit Ezechiel. 36. v. 26. *Et dabo vobis cor novum, & ſpiritum novum ponam in medio veſtri: & auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum. Et ſpiritum meum ponam in medio veſtri: & faciam ut in præceptis meis ambuletis.* Quâ Proverb. 21 v. 1. *Sicut diviſiones aquarum, ità cor Regis in manu Domini; quòcumque voluerit, inclinabit illud.* Hæc certè decreto ex ſe indifferenti Deus non facit.

Hinc D. Auguſtin. in *Pſalm.* 142. *n.* 10. ait: *Audi Apoſtolum hoc te docentem. Non ex operibus, inquit, ne fortè quis extollatur. Opera bona non habemus? Habemus planè: ſed vide, quid ſequitur: Ipſius enim ſumus figmentum dixit. Ipſius ſumus figmentum: fortè naturam, quâ homines ſumus, commemorare voluit, hoc appellato figmento? non planè: de operibus loquebatur. Non, inquit, ex operibus, ne fortè quis extollatur.... Ipſius enim ſumus figmentum creati in Chriſto Jeſu in operibus bonis. Noli ergo putare, te aliquid operari, niſi in quantùm malus es. Averte ab opere tuo te ad opus illius, qui fecit te.... Ut enim ſis, ipſe operatus eſt: ut bonus ſis, ſi bonus es, ipſe operatur... Deus eſt enim qui operatur in nobis, & velle, & operari pro bona voluntate &c.* Et S. Proſper reſp. 14. ad capita Gallorum. *Fides* (inquit) *& caritatis opera, atque in eis uſque in finem perſeverantia, quia homini per Dei gratiam conferuntur, rectè & ipſa, & quæ eis retribuenda ſunt, prædeſtinata dicuntur, ex auctoritate Apoſtoli dicentis..... ipſius enim ſumus figmentum, creati in operibus bonis &c.* Idem S. Fulgentius *lib.* 1. *ad Monimum c.* 29. necnon D. Tho. ad præfatum Pauli dictum *lect* 3. ubi ait: *Ideò ſubdit de prædeſtinatione dicens: Quæ* (*ſcilicet bona opera*) *præparavit Deus: nihil enim aliud eſt Prædeſtinatio, quàm præparatio beneficiorum Dei, inter quæ beneficia computantur, & ipſa opera noſtra. Dicitur tamen Deus nobis aliqua præparare, in quantùm diſponit, ſe nobis daturum.*

VII. Confirmatur. Ex Sacris Litteris habetur primò, quòd voluntas ejus talis eſt, ut ei non poſſit reſiſti. Unde Eſter 13. v. 9. *Non eſt qui poſſit tuæ reſiſtere voluntati, ſi decreveris &c.* Iſaiæ 46. v. 10. *Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet.* c. 14. v. 27. *Dominus exercituum decrevit: & quis poterit infirmare?* Rom. 9. v. 19. *Voluntati enim ejus quis reſiſtit?* Quòd ſi voluntas creata eſſet, quæ determinaret voluntatem divinam, eique daret efficaciam, quomodo de voluntate divina hæc verificari poſſent? Deberet potius de ſe hæc dicere creata voluntas: ſuppoſito enim, quod pro mea libertate determinata ſim ad conſenſum, quis reſiſtet? Quis poterit infirmare? Deus? Nequaquàm. Nam is ſuâ indifferentiâ faciet quodcumque voluero: imò ego faciam, ut faciat mecum; & ſi voluero, etiam peccatum, invitus quidem, ſed faciet. Rursus ſi teſte D. Paulo: *Deus operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ:* (Epheſ. 1. v. 11. 12.) *ut ſimus in laudem gloriæ ejus nos, qui ante ſperavimus in Chriſto:* ergonè expectabit conſenſum voluntatis humanę? ergonè Deus nihil ſtatuet, niſi

prius

Digitized by Google

priùs exploraverit humanos affectus, & voluntatis humanę inclinationes.quâ arte illam trahere, aut vincere poſſit? Hoc non eſſet operari ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ, ſed ſecundùm conſilium voluntatis noſtræ.

VIII. Secundò probatur ex illo celebri teſtimonio D. Pauli 1. *Cor.*4. *v.*6. & 7. quod ſuperiùs expendimus *quæſt.* 6. *de ſcientia conditionatorum dub.* 4. §. 1. *n.*3. ubi Paulus: *ne* (inquit) *ſupra quàm ſcriptum eſt, unus adversùs alterum inſletur pra alio. Quis enim te diſcernit? Quid autem habes, quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* Ex quibus arguo ſic. Si decretum divinæ voluntatis non ſit ex ſe efficax, ſed purè indifferens, & à noſtra voluntate determinationem accipiens; ratio diſcernens conſentientem à non conſentiente, non erit voluntas Dei, neque id quod accepit à Deo, ſed voluntas conſentientis, & id quod habet ex ſuo libero arbitrio: & conſequenter unus homo poterit inflari, & gloriari adversùs alterum contrà dictum Apoſtoli. Quod ſic oſtendo. Diſcretio inter aliqua duo non debet deſumi, nec reduci ad id, in quo cauſæ conveniunt, ſed ad id, in quo differunt: ſed conſenſurus, & non conſenſurus (juxta Contrarios) in decreto Dei conveniunt; illud enim, ut à Deo venit eſt indifferens, & æquale in utroque, nec magis ſecundùm ſe efficax in uno, quàm in altero; ſolùmque differunt in hoc, quòd unus pro libertate ſuâ illud determinat ad bonum opus, alter autem non; ergo diſcretio &c. ſicque conſentiens inflari poterit adversùs non conſentientem dicendo: ego meâ libertate determinans voluntatem Dei ad bonum, me diſcrevi à te.

IX. Explicatur hoc. Si Deus videret D. Petrum ante ullum ſuæ voluntatis decretum, ex ſua libertate determinare gratiam ſuam indifferenter illi oblatam ad pœnitentiam; videret etiam D. Petrum in illis occaſionibus ſe diſcernere à Juda, qui in eiſdem circumſtantiis inſpirationum, & gratiæ eam non determinaret, ſi eam illi offerret: atqui poſito decreto merè indifferenti, Deus hoc videret; ergo &c. min. probatur. Diſcretio Petri pœnitentis à Juda non pœnitente non videretur à Deo, ut procedens à ſuo decreto, & gratiâ: nam in ea ſententia bonus Divi Petri conſenſus videretur futurus ante omne decretum, & licèt ſupponatur aliquod decretum, quod eſſet, hoc erit purè indifferens, & indifferenter oblatus quantum eſt ex parte Dei; ergo tota diſcretio videretur à Deo unicè in voluntate D. Petri determinante, & pro ſua libertate conſentiente præ Juda. Conſerantur ea, quæ dicta ſunt *qu.* 6. *citatâ de ſcientia contingentium dub.*4. §. 1. *nu.*5. *&c.* ubi contrariorum reſponſiones referuntur, & refutantur.

X. Tertiò probatur. Si decretum Dei foret pure indifferens, ſequeretur, quòd Apoſtoli elegiſſent Chriſtum, non Chriſtus Apoſtolos contra illud Joan. 15. v.16. *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos.* Quod probo ſic. Si decretum Dei eſt purè indifferens, jam conſenſus Apoſtolorum eſſet prævìſus, ut ex innata eorum libertate futurus ante decretum vocationis, & electionis ipſorum; priùs enim vidiſſet Deus, eos conſenſuros vocationi, deinde vocaſſet, & elegiſſet: cùm ſecundùm Contrarios ante decretum abſolutum eligendi Apoſtolos, prævìderit, quòd in tali occaſione vocati, ſecuturi fuiſſent illum; ergo priùs Apoſtoli elegiſſent ſequi Chriſtum; ergo non verè dixiſſet Chriſtus: *non vos me elegiſtis*: quia electio ſequendi Chriſtum primordialiter reluxit in eorum conſenſu vocationi, qui fuit prævìſus ante omne decretum, & quo facta fuit efficax vocatio illorum, & non aliorum, qui ſimiliter vocati non venerunt.

XI. Confirmatur. Suppoſito, quòd Deus prævidiſſet, Apoſtolos in tali occaſione vocatos vocationi non conſenſuros; vel potuiſſet ab eis in tali occaſione eos vocando obtinere conſenſum liberum, vel non? Si non potuiſſet; ergo primordialis ratio, quare ſecuti ſunt

Chri-

Digitized by Google

Chriſtum non fuit vocatio Chriſti, & electio, ſed eorum liber conſenſus. Si verò potuiſſet; ergo potuiſſet falſificare ſcientiam mediam, quâ eos non conſenſuros prævidit. Rurſus, ſi potuiſſet; non certè id potuiſſet decreto merè indifferente, & ſolùm efficaci ex conſenſu, qui ſupponeretur non futurus; ergo decreto per ſe, & ab intrinſeco efficaci. Videatur D. Auguſt. *de Prædeſtin. SS. c.17.*

XII. Quartò. Poſito hoc decreto merè indifferente, ſequeretur inſuper, hominem priùs diligere Deum, quàm à Deo diligatur; quod diſſonat dicto Joannis epiſt. 1. cap. 4. v.10. *Non quaſi nos dilexerimus Deum; ſed quoniam ipſe prior dilexit nos*. Probo aſſumtum. Deum amare hominem eſt Deum velle homini bonum gratiæ: unde decretum conferendi homini bonum gratiæ exprimit amorem Dei erga hominem; Hominem verò amare Deum eſt ejus gratiæ conſentire, conſenſus enim eſt verum amoris exercitium: atqui, juxta ponentes decreta indifferentia, Deus priuſquam decernat homini conferre gratiam ſuam, videt, hominem pro ſua innata libertate gratiæ conſenſurum, ſi eam illi dederit; ergo priùs &c. Non ceſſarem ab adducendis Sacrar. Litterarum teſtimoniis. Verùm tranſeamus ad Patres.

§. III.

S. Auguſtinus pro efficacia Divinæ Voluntatis.

XIII. OMnium Patrum in hac materiâ ducit agmen Sanct. Auguſtinus, qui eam fuſiùs, quàm cæteri, pertractavit adversùs Pelagianos, & Semipelagianos. Quamvis autem de ejus mente ſatis conſtare poſſet ex dictis *qu. 6. De Scientia Conditionatorum toto dub. 5.* ubi ab ipſo negatam fuiſſe ſcientiam mediam demonſtravimus; aliqua tamen ejus teſtimonia hùc adducere placet pro efficacia divinæ voluntatis directè militantia.

Primum ergo ſumitur ex *lib. de gratia, & lib. arb. c. 16.* ubi de divina voluntate, ait: *facit ut faciamus præbendo vires efficaciſſimas voluntati noſtræ, qui dixit faciam, ut in juſtificationibus meis ambuletis* Et c. 21. *agit* (inquit) *Omnipotens Deus in corde hominum, & motus voluntatis eorum, ut per eos agat, quod eos agere voluerit*. Si autem decretum Dei eſſet indifferens, quomodo poſſet facere, ut faciamus: quomodo poſſet per nos agere in cordibus noſtris, quod per nos agere vellet? Nonnè oppoſitum potiùs inferretur?

Secundum ſumitur ex *lib. de corrept. & grat. cap.* 14. ubi docet hæc tria. Primum, quòd Deus *de voluntatibus hominum, quod vult, cum vult, facit*. Secundum, quòd *ſine dubio habet humanorum cordium quòcumque voluerit inclinandorum Omnipotentiſſimam poteſtatem*. Tertium, quòd *magis habet in ſua poteſtate voluntates hominum, quàm ipſi ſuas*. Quæſo. Hæc omnia quomodo vera erunt, ſi Deus decreto merè indifferente ſe gerat erga hominum voluntates?

Tertium ſumitur ex *lib. 5. de Civit. Dei cap. 1.* ubi loquens de Fato, quod Stoici in Stellarum diſpoſitione collocabant, ait: *Si propterea quiſquam Fato tribuit, quia ipſam Dei voluntatem, vel poteſtatem Fati nomine appellat, ſententiam teneat, linguam corrigat*. Et cap. 9. *Quapropter* (inquit) *voluntates noſtræ tantum valent, quantum Deus eas valere voluit, atque præſcivit: & ideò quidquid valent, certiſſimè valent; & quod facturæ ſunt ipſæ omninò facturæ ſunt... quapropter ſi mihi Fati nomen alicui rei adhibendum placeret, magis dicerem, Fatum eſſe infirmioris, potentioris voluntatem, qui eum habet in poteſtate, quàm illo cauſarum ordinem, quem non uſitato, ſed ſuo more Stoici Fatum appellant; arbitrium noſtræ voluntatis auferri*. Peto ad Adverſariis admitterent ne ipſi id, quod Stoici de ſuo Fato afferebant, dici poſſe de divina voluntate, ac poteſtate? Certè non

cre-

Digitized by Google

credam. Fatum enim in quadam neceſſaria, & immutabili ſyderum diſpoſitione Stoici collocabant, ex qua omnia hæc inevitabiliter, & quidem neceſſariò eveniebant; quod cum ſuo decreto indifferente, ac ſeſe humanę voluntati attemperante cohærere non poteſt. Si ergo D. Auguſtinus Fati nomen divinæ voluntati accommodare non metuit, quâ tantum valent, quantum illa valere voluit, & certiſſimè valent voluntates noſtræ, quamvis non neceſſariò, ut à Fato, ſed liberè; clarum eſt, S. Doctorem non aſſeruiſſe Deo voluntatem indifferentem, & ad nutum humanæ voluntatis flexibilem, ſed voluntatem ordine ab ipſa præſinito cuncta infallibiliter, efficaciterque cauſantem.

XIV. Magiſtrum ſuum Auguſtinum imitatus S. Thomas 1. *p. qu.* 116. *ar.* 1. de Fato agens. *Sic igitur* (inquit) *inquantùm omnia, quæ hîc aguntur divinæ providentiæ ſubduntur, tanquam per eam pręordinata, & quaſi pręloquuta, Fatum ponere poſſumus; licèt hoc nomine Sancti Doctores uti recuſaverint, propter eos, qui ad vim poſitionis ſyderum hoc nomen detorquebant. Unde Auguſtinus dicit in* 5. *de Civit. Dei: ſi propterea quiſquam res humanas Fato tribuit, quia ipſam Dei voluntatem, vel poteſtatem Fati nomine appellat, ſententiam teneat, & linguam corrigat.* Et quolib. 12. *qu.* 3. *art.* 4. Eſto Fatum repudiet, ſi per illud intelligatur neceſſitas quædam in res humanas ab influentia corporum cęleſtium inducta; ſi tamen per Fatum intelligatur diſpoſitio divinæ voluntatis, à qua omnia præordinantur, ſic non abnuit admittere Fatum: ſubdit tamen, hoc nomen non eſſe uſurpandum: *quia eum Gentilibus nec nomina debemus habere communia; & ideò Auguſtinus dicit: ſi quis hoc modo intelligat Fatum, ſententiam teneat, linguam corrigat, & non dicat Fatum, ſed providentiam Dei.* Et ibidem aſſerit; quòd *omnia à providentia Dei ſunt prædeterminata, & ordinata.*

§. IV.

S. Thomas pro efficacia Voluntatis Divinæ.

XV. Porrò quamvis explorata adeò ſit D. Thomæ mens pro efficacia divinæ voluntatis; quia tamen decretorum indifferentium aſſertores in ſuam opinionem, vel invitum, trahere conantur, operę pretium erit in ejus mente exponenda paululum immorari. Tria ergo principia ſtatuit Angelicus Præceptor, ex quibus efficacia divinæ voluntatis per ſe, & ab intrinſeco talis invictè probatur.

XVI. Igitur primum eſt, quòd contingentia, & libertas in operando deſumitur à voluntate divina, ut à radice, ex qua oritur tota neceſſitas, & contingentia in rebus creatis; reprobatque opinionem illorum, qui dicebant, contingentiam in cauſas ſecundas contingentes referri; quia ſequeretur, quòd effectus cauſæ primæ impediretur *per defectum cauſæ ſecundæ, ſicut virtus Solis per defectum plantæ impeditur. Nullus autem defectus cauſæ ſecundæ impedire poteſt, quin voluntas Dei effectum ſuum producat.* Ità 1. *p. qu.* 19. *art.* 8. in corp. & concludit: *ideò meliùs dicendum eſt, quòd hoc* (nimirum quod aliquis effectus ſit contingens, alius neceſſarius.) *Contingit propter efficaciam divinæ voluntatis.* Quare ibidem ad 3. *Poſteriora* [inquit] *habent neceſſitatem à prioribus ſecundùm modum priorum: unde & ea, quæ ſiunt à voluntate divina talem neceſſitatem habent, qualem Deus vult illa habere, ſcilicet vel abſolutam, vel conditionalem tantùm.* Quod docet etiam 6. Metaph, lect. tertia in fine, & alibi. Ab hac doctrina toto cœlo diſtant Moliniſtæ. Dicunt, effectum eſſe contingentem, quia cauſa ſecunda libera contingens eſt. Dicunt, effectum cauſę primæ ex defectu cauſæ ſecundę poſſe impediri. Dicunt, efficaciam divinæ voluntatis tollere contingentiam à rebus,

Digitized by Google

fectionem, eam tamen argueret, vel ſupponeret ex dictis. Et inſtatur etiam: nam actus liber Dei non addit perfectionem ſupra actum neceſſarium; & tamen ſi in tempore Deo adveniret, nonnè argueretur in Deo novę perfectionis adventus?

Ad exempla autem adducta, dico, quòd ſi Deus noluiſſet exercere actum ullum Miſericordiæ, aut Juſtitiæ, aut Omnipotentiæ, defuiſſet quidem illi libera executio ad extra, ſed illi non defuiſſet exercitium ſuæ libertatis, & dominii. Imò in illo caſu nolendo miſereri, aut punire, aut creare, illud exercuiſſet, ſicut modò exercet volendo. At ſi nullum actum voluntatis liberum exercuiſſet circa aliquam creaturam, ſed circa illam ſuſpenſa manſiſſet, ſuum circa illam dominium minimè exercuiſſet, ſed otioſa, & irreſoluta manſiſſet. Quare exemplum debuiſſet proponi ſic: ſi voluntas divina, nec decreviſſet miſereri, nec parcere, nec aliquid producere, tunc ei nulla perfectio defuiſſet. In quo caſu, nego antecedens.

X. Quapropter dupliciter contingere potuiſſet in Deo libera omiſſio volendi, vel nolendi creaturas. Uno modo per actum poſitivum, quo ſignatè diceret *volo omittere* omnem actum circa creaturas: & hoc modo voluntas divina (crederem) explicaſſet ſufficienter ſuum dominium: ſed non manſiſſet ſuſpenſa ab omni actu; quia ſaltem hunc actum habuiſſet poſitivum *volo omittere*. Alio modo, ut nullo prorsùs actu poſitivo, cùm poſſet illas velle, aut nolle, omiſiſſet earum volitionem, aut nolitionem: & hæc omiſſio, quamvis virtualiter, & interpretativè dici poſſet libera Deo, non tamen libertate poſitivâ, qualis decet ſummam actualitatem, dominium, & reſolutionem divinæ voluntatis.

XI. Dicunt ſecundò, & replicant. In tantùm voluntas divina poteſt aliquam creaturam velle, aut nolle, quia circa illam libera eſt: ſed libera etiam eſt in omni actu circa eas, quia tota collectio actuum liberorum verſatur circa bonum creatum, circa quod Deus liberè prorsùs ſe gerit; ergo &c.

XII. Confirmant primò. Complexum ex futuritione, & non futuritione rerum non habet bonitatem neceſſariam; ergo voluntas divina non eſt neceſſitata ad volendum *fore*, vel non *fore* illarum, cùm à ſolo bono neceſſario neceſſitari queat.

XIII. Confirmant ſecundò. Si divina voluntas non poſset manere ſuſpenſa, jam actus, quo vellet fore, vel non fore creaturarum eſset neceſsarius Deo: ſed hoc repugnat: tùm quia repugnat, Deum neceſsariò velle bonum creatum. Tùm quia hujuſmodi actus quo vellet neceſsariò fore, vel non fore creaturarum eſset prior actu, quo vellet Spiritum Sanctum, cùm in Deo prædicata eſsentialia, & abſoluta priora ſint relativis; ergo &c.

XIV. Reſpondeo, diſt. min. in omni actu determinato circa eas, conc. min. In omni actu vagè, & collectivè accepto, neg. min. Deus ergo non eſt neceſſitatus, ſed liber ad habendum actum determinatum circa creaturas, poteſt enim pro ſuo libito velle, aut nolle illas. Attamen hoc disjunctum vagè, ſcilicet, vel velle, vel nolle illas, eſt neceſsarium Deo. Non quidem neceſſitate ortâ ex objecto, ſed ex ſua ſumma actualitate, & dominio, quod petit exerceri aliquo actu, vel volitionis, vel nolitionis circa omne volibile, ſicut ejus ſcientia circa omne ſcibile.

XV. Dices. Videtur major independentia, & dominium poſse ceſsare ab omni actu etiam vagè, quàm eſſe neceſſitatum ad aliquem vagè.

Reſpondeo, diſt. ant. Per actum poſitivum, quo velit ab omni actu ceſsare, eumque ſuſpendere, tranſeat anſ. per ſimplicem, & negativam omnis actus ſuſpenſionem, nego antec. Hæc enim potiùs eſt carentia, & ſuſpenſio exercitii dominii, & libertatis, ut dictum eſt.

XVI. Ad primam confirmat. nego con-

conſequentiam, imò & ſuppoſitum conſequentis: non enim neceſſitatur Deus ad volendum fore, vel non fore creaturæ, quia in hoc complexo bonitas neceſſaria reperiatur: ſed ex eo, quòd divina voluntas, utpotè actualiſſima, debet actu ſe exercere aliquo modo circa omne volibile. Et inſtantia poteſt in ſententia contraria retorqueri. Nam neque complexum ex futuritione, & non futuritione, & ſuſpenſione eſt bonitas neceſsaria: & tamen in eorum ſententia voluntas divina neceſſitatur ad habendam volitionem, vel nolitionem, vel ſuſpenſionem; ità ut licèt quælibet ſit Deo formaliter libera, complexum tamen ſit Deo neceſſarium.

XVII. Ad ſecundam confirm. diſt. maj. actus, quo vellet fore, vel non fore indeterminatè, & vagè, eſſet neceſsarius, conc. maj. Fore determinatè potiùs, quàm non fore, aut è contrà, eſset &c. nego maj. Voluntas autem divina actu non terminatur ad fore, vel non fore creaturarum vagè ſumtum, ſed determinatè ad fore, vel non fore, quo pacto eſt libera; cùmque terminatio ad Spiritum Sanctum ſit neceſſaria, neceſſe eſt, ut præcedat omnem terminationem actualem ad creaturas.

XVIII. Dicunt tertiò. Ut effectus non ſit futurus, non requiritur actio poſitiva ex parte alicujus potentiæ divinæ; ergo divina voluntas poteſt negativè ſe habere circa creaturas non futuras. Ant. prob. tùm quia *non eſſe* non petit ab ullo produci, cùm ſit nihil. Tùm etiam quia, ſicut, ut res ſit requiritur actus, ità, ut non ſit, ſufficit carentia actus.

XIX. Reſpondeo, neg. ant. ut enim effectus ſit determinatè non futurus, qui ex ſe indifferens eſt ad eſſe, vel non eſſe futurum, requiritur in Deo actus poſitivus, quo velit eum eſſe potiùs non futurum, quàm futurum: unde ſicut futuritio habetur ex actu divinæ voluntatis, ut ſuperiùs diximus, ità & non futuritio determinata. Ad prob. dico, quòd eſto, ut effectus non ſit, ſufficiat quòd non ſit actio ejus productiva, ut tamen futurus non ſit, & non ſit liberè, requiritur actus poſitivus voluntatis, maximè ſi ſit voluntas actualiſſima.

XX. Dicunt quartò. Poteſt abſque omni imperfectione concipi divina voluntas ſuſpenſa ab omni actu pro ſigno prædicatorum eſſentialium, & divinarum perfectionum; ergo non eſt imperfectio &c.

XXI. Reſpondeo, neg. conſequ. Signum enim prędicatorum eſſentialium, & divinarum proceſſionum non eſt ſignum exercitii libertatis, ſed præciſivum ab omni actuali libertatis exercitio. Unde non eſt imperfectio in divina voluntate, ſi pro eo ſigno nullum in ea concipiatur decretum: ſicut nulla eſt imperfectio in divina eſſentia, ſi pro ſigno eſſentiæ concipiatur præciſivè ab attributis. Eſſet quidem imperfectio, ſi in ſigno exercitii libertatis nullum in divina voluntate adeſſet exercitium libertatis, ut aſſerunt Contrarii.

XXII. Dicunt quintò. Videtur ridiculum, imò impoſſibile, dari in Deo decreta poſitiva volitionis, & nolitionis circa infinitas combinationes poſſibiles. Ridiculum quidem: plures enim ex eis formari poſſunt ſatis ridiculæ, ut *ſi Capra ſaltet*, *Turca convertetur*, & aliæ ſimiles. Impoſſibile etiam: quia cum infinitæ ſint, nequeunt cadere ſub certa intentione Dei: ex hoc enim D. Thomas 1. *part. qu.* 7. *art.* 4. probat, repugnare infinitam multitudinem actu creatam; quia eo ipſo, quod ſit infinita, ſub certa intentione Creantis comprehendi non poteſt.

XXIII. Miror, quòd ab aliquo ex Diſcipulis D. Thomæ hoc argumentum produci poſſit; cùm circa futura conditionata ſub quacumque conditione, ſi admittat ſcientiam in Deo, admittere teneatur etiam decretum objectivè conditionatum. Videantur igitur ſuperiùs dicta Tract. de Scientia Dei *qu.* 6. *De Scientia conditionat. dub.* 2. §. 4. *ad* 2. *argumentum*. Interim breviter dico,

dico, quòd ſicut licèt foret in nobis ridiculum terere tempus in cogitandis ejuſmodi combinationibus, non tamen ridiculum eſt in Deo omnes illas cognoſcere: imò indicat ejus infinitam cognoſcitivitatem, quâ unico intuitu omne cognoſcibile comprehendit: ſic eſto ridiculum foret in nobis circa illas occupari volendo, vel nolendo, quia ad nos non pertinet exercere dominium diſponendo de illis; non tamen reſpectu Voluntatis divinæ, ad quam, ratione ſui ſupremi dominii, & actualitatis ſpectat diſponere, & reſolvere circa omnia diſponibilia, vel volendo ea, vel nolendo. Addo quod licèt foret indecens, Deum hujuſmodi ridicula velle, non erit tamen indecens, eum illa reſpuere, & nolle; ſicut in ſententia contraria non eſt indecens, eum illa liberè omittere.

Ad prob. ſecundæ partis dico, D. Thom. ibi loqui de infinita multitudine creatâ actu, & in propria duratione exiſtente, quæ ſub certa intentione Creantis comprehendi non poſſet. Nam cùm Deus creaturas producat, vel ut una ſit medium ad alteram, vel ut ſit finis alterius; ſi eſſent infinitæ, non daretur inter illas ratio medii, & finis, cùm non eſſet medium, & ultimum. Verùm numerus infinitus poteſt quidem cadere ſub certa intentione Dei volentis, ut patet de infinitis cogitationibus hominum, & Angelorum futuris per totam æternitatem, quæ utique omnes à Deo prædefinitæ ſunt. Et ratio eſt: quia divina voluntas non reſpicit futura, ut ſimul exiſtentia in propria duratione, ſed ſucceſſivè; id enim ſufficit, ut ſimul ſint in intellectu divino cognitæ, & propoſitæ divinæ voluntati, ac proinde, ut ſimul illa decreverit. Quomodo autem Deus poſſit cognoſcere infinita, non numerando unum poſt alium, ſed ea per comprehenſionem adæquando, docet D. Thom. 1. *p. qu.*14. *ar.*12. *ad* 1. & 2. videndus.

QUÆSTIO IV.

De cauſalitate, & efficaciâ Divinæ Voluntatis.

DEum agere per voluntatem, & non per naturam, articulus ſidei eſt ſupra firmatus, & à nemine rationis compote negari poſſe crediderim. An verò tali efficacia agat, maximè, dùm agit per cauſas liberas, de quibus loquemur in hac quæſtione, ut voluntas ejus cum ſuo effectu conjungatur, & quidem infallibiliter; quæſtio præſens ſuſcipit inveſtigandum. Et quidem cùm in Deo duplicem volendi modùm ſuperiùs diſtinxerimus; nempè voluntatis antecedentis, ſeu conditionatæ, & voluntatis conſequentis, ſeu abſolutæ; non agimus de primo, ſed de ſecundo volendi modo: an ſcilicet, cùm Deus voluntate abſolutâ aliquid vult, illud efficaciter velit, ut infallibiliter ſequatur eventus volitus. Hoc tamen certum quoque apud omnes exiſtimo. Sed unde hanc efficaciam ſortiatur divina voluntas, an à ſe ipſa, an ab alio extra ſe, quærendum eſt. Res enim eſt, quæ hactenus tenet in diſſidio Scholas Theologorum, & ex utrâque parte intricatiſſimis difficultatibus, & nodis plena eſt.

DUBIUM I.

An Divina voluntas decreto per ſe, & ab intrinſeco efficaci determinet Voluntates creatas ad ſuos actus.

§. I.

Quædam prænotantur.

I. TOtum negotium, quod faceſſit divinæ voluntatis efficacia eſt, illam conciliare cum libertate creatâ; ne erremus cum Calvino, qui, ut voluntati divinæ affe-

Digitized by Google

bus, & inducere neceſſitatem abſolutam.

XVII. Secundum principium eſt, quòd divina voluntas reſpectu voluntatis creatæ non ſolùm ſe habet ut principium dans ei inclinationem, virtutem, & poteſtatem liberè operandi; ſed etiam in ea facit liberum velle, eam ad ipſum interiùs movendo. Ità 1. *p. qu.* 83. *art.* 1. *ad.* 3. his verbis: *liberum arbitrium eſt cauſa ſui motus; quia homo per liberum arbitrium ſe ipſum movet ad agendum. Non tamen hoc eſt de neceſſitate libertatis, quòd ſit prima cauſa ſui id, quod liberum eſt; ſicut nec ad hoc, quòd aliquid ſit cauſa alterius, requiritur quòd ſit prima cauſa ejus. Deus igitur eſt prima cauſa movens, & naturales cauſas, & voluntarias; & ſicut naturalibus cauſis movendo eas, non aufert quin actus earum ſint naturales; ità movendo cauſas voluntarias, non aufert, quin actiones earum ſint voluntaria: ſed potiùs hoc in eis facit: Operatur enim in unoquoque ſecundùm ejus proprietatem.* Idem docet eàdem 1.*p. quæſt.* 105. *art.* 4. ubi quærens, an Deus poſſit movere voluntatem, dicit, eam movere non ſolùm per modum objecti, ſed *maximè interiùs eam inclinando*. Et ad ſecundum: *moveri* (inquit) *voluntariè eſt moveri ex ſe, ideſt à principio intrinſeco, ſed illud intrinſecum poteſt eſſe ab alio principio extrinſeco: & ſic moveri ex ſe, non repugnat ei, quod movetur ab alio.* Ad tertium inſuper dat rationem, quare, etſi moveatur voluntas à Deo, adhuc ejus actiones ei imputentur ad meritum, vel demeritum; quia *quod movetur ab alio, non excluditur, quin moveatur ex ſe.* In *art. autem* 5. ſequente reſolvit, Deum operari in omni operante, quia primum Agens movet ſecundum ad agendum. *Deus autem movet non ſolùm res ad operandum, quaſi applicando formam, & virtutes rerum ad operationem, ſicut etiam artifex applicat ſecurim ad ſcindendum... ſed etiam dat formam creaturis agentibus, & eas tenet in eſſe.* Et 3. *contragentes c.* 89. *nu.* 3. ubi ex quo voluntas creata non ſolùm ſit data à Deo, ſed inſuper agat in virtute Dei, ad eum modum, quo inſtrumentum agit in virtute artificis, à quo applicatur ad actum, concludit: *Deus igitur eſt cauſa nobis, non ſolùm voluntatis: ſed etiam volendi.* Et *c.* 90. ubi reſolvit, electiones, & voluntates humanas ſubeſſe divinæ providentiæ, oſtendit, eas magis ſub hoc ordine cadere, quàm actiones aliarum rerum. Et ad dictum Damaſceni lib. 2. de fide cap. 30. *quod ea, quæ ſunt in nobis Deus præſcit, ſed non prædeterminat*; reſpondet, exponendum eſſe, *ut intelligantur, ea quæ ſunt in nobis divinæ determinationi non eſſe ſubjecta, quaſi ab ea neceſſitatem accipientia.* Videri poteſt *quæſt.* 3. *de potentia art.* 3. ubi per totum docet, Deum non ſolùm præbere omnibus cauſis virtutes, per quas agere poſſunt; ſed etiam eas movere ad operationem maximè ad 12. 13. & 14. quæ omnia eſſent hìc tranſcribenda. Hęccine concordant cum iis, quę docent Adverſarii, nimirùm, Deum, ejuſque voluntatem reſpectu noſtri concurſus ſe gerere indifferenter, noſtramque expectare determinationem, ut efficax ſit? Nunquid movens expectat determinari, & applicari à mobili; Artifex à ſecuri ad ſcindendum, an potius è contra? Hæc D. Thomæ doctrina viſa eſt P. Molinæ adeò difficilis, ut eam ad ſuam mentem trahere non valens, tandem non admiſerit *In Concord. diſp.* 25. *in princ.*

XVIII. Tertium principium eſt, quòd voluntas divina ex quo efficaciſſima ſit, faciat, & conſervet, & non neceſſitet voluntatem; quia ex quo efficax, non ſolùm eſt cauſa actus, ſed etiam libertatis ejus, & non ſolùm facit, ut res fiat, ſed ut ſuo modo fiat, nempè, vel neceſſariò, ſi cauſa ſit neceſſaria, vel liberè ſi cauſa libera ſit. Ità hac 1. *p. qu.* 19. *art.* 8. *qu.* 23. *de verit. art.* 5. & 1. *contragent. cap.* 89. & 90. Cum hoc autem principio ſtare non poteſt, quòd voluntas divina pro priori ad noſtrum conſenſum, & ex natu-

ra ſua non ſit efficax, ſed efficax evadat ex ipſo conſenſu; & quòd ſi ſuâ efficaciâ antecederet conſenſum noſtrum, ejus everteret libertatem.

XIX. Hæc tria D. Th. principia, utpotè fundata in dependentia, quam habet voluntas ut ſecunda cauſa, & ſecundum liberum à prima cauſa, & primo libero, & in jure, quod habet Deus ſuper actionem cujuſcumque creaturæ, probant, ſi seriò expendantur, divinam Voluntatem ſuâ motione, & efficaciâ antecedere actus, nedùm ordinis ſupernaturalis, ſed & naturalis, nedùm in ſtatu naturæ corruptæ, ſed etiam innocentis, nedùm hominum, ſed & Angelorum, contra id, quod aſſerunt Juenin, aliique, ut ſuperiùs etiam oſtenſum eſt præcitatâ *qu. 6. de ſcientia condit. dub. ult.*

§. V.

Rationes pro eadem efficacia.

XX. **P**Rima ratio deſumta ex doctrina allata D. Thomæ talis eſt. Deus operatur in omni operante actionem ejus, ſive ſit neceſſarium, ſive liberum. *Iſaia 26. v. 12. Omnia enim opera noſtra operatus es nobis:* Et *Philip. 2. v. 13. Deus eſt enim, qui operatur in nobis, & velle, & perficere pro bona voluntate:* & hanc in nobis cauſat Deus, non ſolùm ſecundùm ſe, ſed etiam prout à cauſa ſecunda, ſeu à nobis; quia etiam pro ut à nobis, eſt aliquid phyſicum, reale, & creatum, ac proinde, ut ſic, nequit ſubterfugere cauſalitatem Dei: ſed Deus nequit in quacumque cauſa creata, ſive neceſſariâ, ſive liberâ cauſare ejus operationem etiam prout à cauſa creata, niſi voluntate, & motione per ſe, & ab intrinſeco efficaci; ergo &c. Mi. prob. primò. Deus nequit in creatura operari actionem ejus, prout ab ipſa, niſi efficaciter faciat, ut illa agat: ſed nequit efficaciter facere, ut agat, niſi decreto, & motione efficaci, & præviâ; per concurſum enim ſimultaneum non facit, ut creatura agat, ſed cum ea agente agit: imò cùm concurſus ſimultaneus ſit ex ſe indifferens, & à creatura determinetur, verificatur potiùs, quòd creatura faciat, ut Deus agat, quàm quòd Deus faciat, ut creatura agat; Ergo &c. Major prob. Cauſare in creatura actionem pro ut à creatura, non eſt purè cum illa operante concurrere, ſed influxum Dei habere prioritatem cauſalitatis reſpectu creaturæ, ut actu cauſantis, ſeu ponentis operationem: ſed hoc eſt, quod nos vocamus efficaciter velle, & efficaciter facere, ut creatura faciat; ergo &c. Quare ſuperius cum S. Auguſtino *lib. de nat. & gratia c. 16.* dicebamus: *ipſe facit, ut faciamus præbendo vires efficaciſſimas voluntati noſtræ, qui dixit faciam, ut in juſtificationibus meis ambuletis, & c. 21. agit Omnipotens Deus in corde hominum, & motus voluntatis eorum, ut per eos agat, quod per eos agere voluerit.*

XXI. Secunda ratio eſt. Si decreta divinæ voluntatis circa actus liberos creatos non ſint ex ſe efficacia, ſed purè indifferentia, non determinantia, ſed determinata à voluntate creata, ſequitur, liberam determinationem noſtræ voluntatis ad conſentiendum gratiæ Dei vocantis non tribui divinæ voluntati, ſed potiùs (& dicam, unicè) voluntati creatæ: ſed hoc eſt abſurdum, & Pelagianum; ergo &c. Major prob. pro prima parte. Effectus potiori jure tribuitur illi cauſæ, à qua habet primò, ut determinatè ſit potiùs, quàm non ſit; quàm cauſæ, à qua habet indifferenter ut ſit, vel non ſit: ſed poſito decreto merè indifferenti, conſenſus liber gratię vocanti haberet primò à voluntate creata, ut determinatè ſit, quàm non ſit; præviſus enim fuiſſet futurus ex innata libertate voluntatis ante omne decretum actu exiſtens: & ſi decretum aliquod connotaretur, non daret conſenſui determinatè potiùs eſſe, quàm non eſſe, quia eſſet merè indifferens; ergo &c. Pro ſecunda verò parte, quòd conſenſus

ſus gratiæ vocanti unicè tribueretur voluntati creatæ, prob. Si determinatio creaturę ad conſenſum intelligatur futura ante decretum Dei efficax, & ante concurſum Dei, jam conſenſus ille erit tribuendus unicè voluntati creatę pro ſua libertate ſe determinanti, & non Deo; quod enim prævidetur ſuturum ante decretum efficax, & concurſum Dei, non poteſt eſſe effectus Dei, quia effectus non poteſt prævideri futurus ante determinationem, & concurſum ſuæ cauſæ: ſed hoc contingeret in principiis ſententiæ contrariæ; ergo &c.

XXII. Quod urgeo ſic. Peto enim: illud decretum ſuâptè naturâ indifferens, à quo determinatur magis ad conſenſum, quàm ad diſſenſum? à Deo, an à creata voluntate? ſi à Deo; ergo decretum illud priùs naturâ determinat voluntatem creatam, & non deſcendit in illam, ut purè indifferens, ſed ut ex ſe efficax. Si verò determinatur à creatura, ut ipſi volunt; ergo concurſus creaturæ conſentientis præcedit concurſum Dei; quia determinans in quantum tale, cum ſe habeat ut forma, & actus, debet naturâ præcedere id, quod determinatur.

XXIII. Nec valet dicere (ut communiter dicunt) Deum eſſe cauſam illius determinationis ad conſenſum, quia illum cum voluntate creatâ coefficit, & ſimul agit.

Nam contra eſt. Cùm concurſus ut à Deo ſit indifferens, ut agat unum præ alio, expectat uſum, & determinationem cauſæ liberæ creatæ: quomodo autem determinabit concurſum Dei cauſa libera creata, quæ nihil efficit ſine concurſu Dei? Vel quomodo conjungentur illæ duæ cauſæ indifferentes, ſcilicet voluntas creata, & decretum Dei indifferens, niſi caſualiter, & fortuitò, ſi vel decretum non determinat voluntatem, vel voluntas decretum? Si primum: Habemus decretum prædeterminans. Si ſecundum; ergo conſenſus, & determinatio creaturæ prior erit concurſu Dei. Fateor enim, Deum cum voluntate coefficere conſenſum; ſed cur conſenſum potiùs coefficiat, quàm diſſenſum, hoc à voluntatis creatæ libera determinatione procedit in Moliniſtarum ſententia.

XXIV. Tertia ratio eſt. Si decretum Dei eſſet ex ſe purè indifferens, & expectans à voluntate noſtra efficaciam ad conſenſum, jam Deus non haberet tàm perfectum dominium ſupra noſtros actus liberos, ſicut habet voluntas noſtra: ſed hoc eſt contra Auguſtinum citatum *lib. de corrept. & gratia c.* 4. dicentem: *Deus magis habet in ſua poteſtate voluntates hominum, quàm ipſi ſuas*; ergo &c. Major prob. Voluntas hominis poſſet pro ſua libertate ſe ipſam determinare ad conſenſum, neque ſui determinationem, & efficaciam ab alia cauſa teneretur petere, & expectare: Deus autem non poſſet ſuâ libertate voluntatem creatam ad conſenſum determinare quoad efficaciam; ſed determinationem, & efficaciam à libero voluntatis creatæ arbitrio deberet petere, & expectare; ergo magis habebit homo in manu ſua voluntatem ſuam, quàm ipſe Deus. Unde falſum redderetur aliud Auguſtini principium laudato cap. dicentis: *Voluntati Dei, qui in Cælo, & in Terra omnia quæcumque voluit fecit, & qui etiam omnia, quæ futura ſunt fecit, humanas voluntates non poſſe reſiſtere, quominus faciat ipſe, quod vult: quandoquidem etiam de ipſis hominum voluntatibus, quod vult, cùm vult, facit.*

XXV. Urgeo hoc. Decretum illud indifferens, vel eſt generale, & abſolutum concurrendi ad quodcumque homo voluerit; vel ſpeciale, & conditionatum, nempè *volo concurrere ad amorem, ſi voluntas creata velit, vel ſe determinet*. Si dicatur primum; ergo oblatio concurſus Dei ſupponit creaturam priùs ſe determinare ad conſenſum, quàm Deus cùm ea concurrat, ſicut ſi quis dicat: ſi volueris portare lapidem, tecum ad illum portandum concurram; concurſus iſtius ſup-

ponit alterum ſe priùs determinare ad lapidem portandum, & ejus determinationem expectat: & rursùs determinatio unius ad portandum lapidem in nullo penderet à voluntate alterius parati concurrere cum eo ad illum portandum, ſuppoſito, quòd ſe determinaverit. Præthereà modus ille concurrendi erit ſine intentione alicujus particularis actus; ergo erit cæcus, & ignarus, facietque Deum ſimilem piſcatori, qui mittit rete in mare, ignorans quos piſces ſuo rete concludat. Quo poſito: quomodò ſtabit Dei Providentia, quâ confiteri tenemur, nihil eſſe, aut futurum eſſe, quod ab ipſo diſpoſitum non fuerit, ac ordinatum? Si verò dicatur ſecundum: fiet ſenſus nugatorius, imò repugnans. Nugatorius; quia cùm concurſus Dei juxta contrarios nil aliud ſit, quam actio ipſa creaturæ prout à Deo, dum Deus diceret volo concurrere ad amorem, ſi creatura ſe determinaverit, idem erit, ac dicere: volo concurrere ad amorem, ſi concurram ad amorem, vel ſi videam amorem à creatura produci: qui ſenſus eſt repugnans, nempè quòd videatur amor à creatura ponendus, priuſquàm Deus ſuo concurſu illum decreverit. Sicut ſi quis diceret: dabo tibi lucem ſi videris, vel dabo tibi exiſtentiam ſi opereris. Vel nugaretur, cum lux ſit neceſſaria ad videndum, & exiſtentia ad operandum: vel ſupponeret, ipſum poſſe videre ſine luce, & operari ſine exiſtentia, vel ſaltem prìo priori ad lucem, & exiſtentiam. Ità in caſu, Deum velle concurrere ad amorem, ſi creatura velit, vel eſt irriſoriè velle, ſi creatura non poteſt velle amorem ſine concurſu Dei; vel ſupponit Deus, creaturam poſſe ante, vel ſine ſuo concurſu velle amorem.

XXVI. Ex quo, & ex ſuperiùs dictis naſceretur, nullam fore neceſſitatem Orationis. Cur enim petimus à Deo bonum conſenſum, qui eſt in manu noſtra prius, imò & potiùs, quàm in manu Dei? *Nam quid ſtultius, quàm orare, ut facias, quod in poteſtate habeas?* (ait Auguſtin. *l. de natura, & grat. cap. 18.*) ergo ſi auxilii, & concurſus efficacia in manu noſtra eſt, & non Dei, quid à Deo petimus bonum conſenſum? Nam à Deo quid petimus? auxilium, ſeu concurſum? at hoc fruſtrà petimus, cum juxta Adverſarios, omnibus etiam obduratis præſto ſit. An petimus gratiæ uſum, & efficaciam? at hoc ſtultè petimus, cùm bonus uſus, & efficacia in manu noſtra ſit, & non Dei: quid autem ſtultius, quàm orare, ut facias, quod in poteſtate habes?

XXVII. Quarta ratio valdè efficax, ſuperius etiam attacta *de Scientia Dei qu.6. dub.7. §. 2. num. 13.* talis eſt. SI non eſſet in poteſtate Dei pro ſua voluntate obtinere à me bonum actum; ſed deberet priùs explorare, & expectare à mea voluntate determinationem, & conſenſum, ſequeretur, poſſe dari hominem, quem Deus nullo modo poſſet convertere: ſed hoc eſt abſurdum; ergo &c. Major, & minor probandæ ſunt. Major quidem. Poteſt dari homo, quem Deus prævideat ſub nullo ex ſuis auxiliis conſenſurum: ſed iſte non poſſet à Deo converti, cùm non poſſit Deus hominem convertere, niſi dependenter à prævisione conſenſus ejus; Ergo &c. Prob. maj. Ideò poteſt contingere caſus, quo Deus prævideat, Petrum v. gr. in hac circumſtantia, aut hoc auxilio non conſenſurum; quia Petrus liber eſt ad conſenſum, aut diſſenſum, & hoc auxilium utpote indifferens non connectitur cum conſenſu præ diſſenſu: ſed Petrus in quacumque circumſtantia liber eſt, & nullum ex auxiliis poſſibilibus connectitur cum conſenſu, cum omnia etiam collectivè ſint indifferentia: ſicut ex quo quęlibet creatura ſit contingens, colligimus totam creaturarum collectionem eſſe contingentem; ergo dabilis eſt caſus, quo Deus prævideat, hominem ſub nullo ex ſuis auxiliis etiam poſſibilibus conſenſurum.

Minor verò prob. Tum quia abſurdum eſt, Deum ex ſuppoſitione ſibi non libera

bera reddi impotentem ad cor hominis inclinandum: ſi enim *cor Regis in manu Domini, quòcumque voluerit, inclinabit illud* Prov. 21. v. 1. quomodo hoc ſtaret, ſi Deus vellet cor hominis inclinare, & nequiret: vel (quod eſt indignius) ideò facere nequiret, quoniam ne fieret, & fieri ab Omnipotente poſset, voluntas hominis impediret? Quomodo ſtaret, Deum *malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit in bonum poſſe convertere?* ut docet Aug. *in Enchir. c.* 98. quomodo inſuper verum eſset, quòd *ſine dubio habet Deus humanorum cordium, quò placeret inclinandorum Omnipotentiſſimam poteſtatem?* ut idem Auguſt. docet *lib. de corrept. & grat. c.* 14.

XXVIII. Quod magis urgetur. Inconveniens eſt, quòd aliquid abſolutè Deo poſſibile, fiat ei impoſſibile ex ſuppoſitione ipſi non liberâ: ſed poſito decreto purè indifferente, aliquid abſolutè Deo poſſibile, fit illi impoſſibile ex ſuppoſitione Deo non liberâ; ergo &c. Mi.prob. libera converſio Judę poſt proditionem abſolutè, & ex terminis Deo poſſibilis eſt: & tamen ex ſuppoſitione, quòd Deus præviderit per ſcientiam mediam, Judam liberè non conſenſurum, illa converſio facta eſt Deo impoſſibilis ex ſuppoſitione non poſitionis conſenſus, & poſitionis ſcientiæ mediæ de non conſenſu Judæ, quorum neutrum eſt liberum Deo ex principiis Adverſariorum; ergo poſito decreto purè indifferenti, aliquid abſolutè Deo poſſibile fit illi impoſſibile &c.

§. VI.

Fundamenta contraria ex Scriptura, & Patribus.

XXIX. PRimò in favorem decreti, & gratiæ merè indifferentis objiciunt Teſtimonium Apoſtoli 2. *Cor.* 6. *v.* 1. *Exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*. Et *Hebr.* 12. *v.* 15. *Contemplantes, ne quis deſit gratia Dei*. Ex quibus arguunt ſic. Paulus hortatur nos, ne gratiam Dei reddamus vacuam, ideſt inefficacem, & quòd illi non deſimus, ideſt, quòd eam non reddamus inanem, & caſſam: ſed gratia, quam reddere poſſumus vacuam, & inanem, non eſt gratia ab intrinſeco efficax, hanc enim vacuam reddere, aut ei deeſſe non poſſumus; ſed eſt gratia Dei indifferens, & expectans efficaciam à noſtro bono uſu, & conſenſu; ergo &c.

XXX. Reſponderi poteſt primò, Paulum ibi loqui, non de gratia actuali intrinſecâ dante actu agere; ſed vel de gratia habituali, ſeu de gratiis ſufficientibus, aut de divinis vocationibus, quibus Deus ad oſtium cordis noſtri ſtat, & pulſat: his hortatur Apoſtolus, ut aperiamus. Quo ſenſu intelligenda ſunt verba Proverb. 1. 24. *Vocavi, & renuiſtis:* Et *Iſaia* 65. *v.*12. *Vocavi, & non reſpondiſtis, locutus ſum, & non audiſtis*. Prælaudatum Pauli textum ex 2. *ad Cor.* de gratia habituali intelligit D. Thom. ibi *lect.* 1. dicens: *Ne in vacuum gratiam Dei recipiatis, quaſi dicat: Ne receptio gratia ſit vobis inutilis, & vacua. Quod tunc contingit, quando ex perceptione gratia, quis non ſentit fructum: qui quidem duplex eſt, ſcilicet remiſſio peccatorum, Iſaia* 27. hic eſt omnis fructus &c. *& ut homo juſtè vivendo perveniat ad gloriam cęleſtem, Rom.* 6. habetis fructum veſtium &c. *Quicumque ergo gratia perceptâ non utitur ad vitandum peccata, & conſequendum vitam æternam, hic gratiam Dei in vanum recipit*. Hoc idem ſenſerat S. Joan. Chryſoſt. *homil.* 12. in dictum caput 2. ad Cor. his verbis: *Nam ut ne putent, hoc ſolùm eſſe conciliationem, credere loquenti, urget petens vita diligens ſtudium. Nam ſi is, qui à peccatis liberatus eſt, & amicus factus, iterùm involvit ſe prioribus; quid aliud agit, quàm quod ad inimicitias redit, & in vanum gratiam accepit?* Eodem modo reſponderi poteſt textui ad Hebræos, quamvis D. Tho. ibi *lect.*3. etiam de gratia actuali illum explicet, ut dicemus.

XXXI.

XXXI. Reſpondeo ſecundò, dato, Apoſtolum ibi loqui de gratia actuali, & efficaci, exponendo ejus verba ſic: *Ne in vacuum &c. ne quis deſit gratiæ Dei*. Ità, ut gratiam Dei non reddere vacuam, aut gratiæ non deeſſe ſit purè ex bono uſu liberi arbitrii gratiam determinantis, nego, hanc eſſe Apoſtoli mentem. Ità, ut bonus uſus gratiæ, ſeu gratiam non reddere vacuam, & gratiæ non deeſſe ſit ex gratia præveniente, & præparante voluntatem, concedo. Ità S. Thomas ſuper cap. relatum ad Hebræos, ubi ad illud: *ne quis deſit gratiæ Dei*, ſic ait: *Dicendum, quòd hoc ipſum, quòd aliquis non ponit obſtaculum, ex gratia procedit... Hoc autem donum gratiæ non eſt gratum faciens. Quod ergo à quibuſdam removetur hoc obſtaculum, hoc eſt ex miſericordia Dei*, qui ſcilicet dat alicui, ut non deſit, aut non obſtet gratiæ, alteri autem non dat, juxta illud Pauli Rom. 9. v. 18. *Cujus vult miſeretur, & quem vult indurat*. Et S. Auguſt. *lib.2. contra duas epiſt. Pelagian. c. 9.* exponens illud Prov. lib. 16. v. 1. *Hominis eſt præparare cor, & à Domino reſponſio linguæ*: poſtquam ait, hoc debere intelligi, *quia homo præparat cor, non tamen ſine adjutorio Dei, qui ſic tangit cor, ut homo præparet cor*: & infra: *hominis eſt præparare cor; & tamen ut hoc faciat homo, adjuvat Deus, quia præparatur voluntas à Domino*. Poſt multa concludit: *Avertat enim Deus hanc amentiam, ut in donis ejus nos priores faciamus, poſteriorem ipſum; quoniam miſericordia ejus præveniet me*. Dicere autem ex noſtro bono uſu gratiam Dei reddi non vacuam, ideſt efficacem, nonnè eſt facere in donis Dei *priores nos, poſteriorem ipſum*? legendus attentè eſt S. Auguſtinus ibi.

Ratio autem hujus veritatis eſt. Quia cùm non deeſſe gratiæ vocanti, puta ad fidem, eamque non recipere in vacuum, ſit obedire gratiæ, & credere; ſi eſſet ex nobis, ut gratiam determinantibus, & ideò prævenientibus, jam initium fidei, & boni operis eſſet ex nobis, quod ad minùs Semipelagianum eſt aſſerere: & qui conſentiret fidei, & crederet, à non conſentiente, & non credente ſe diſcerneret contra illud Pauli 1. Cor. 4. v. 7. *Quis enim te diſcernit? quid autem habes, quod non accepiſti?* poſſetque conſentiens adversùs non conſentientem inflari contra dictum ejuſdem Apoſtoli ibi v. 6. *Ne ſupra quàm ſcriptum eſt, unus adversùs alterum inſletur pro alio*.

Porrò: Eſto non deeſſe gratiæ Dei, vel eam non vacuam reddere ex gratia nimirùm præveniente, & inchoante ſit; adhuc tamen Apoſtolus poterat Corinthios hortari, ne gratiam vacuam reddant, & Hebræos, ne illi deſint; non quidem fruſtrando, vel impediendo effectum, ad quem immediatè datur, hoc enim eſt impoſſibile, aliàs non eſſet efficax: ſed impediendo ulteriores gratiæ fructus, & effectus, ac ulterioribus gratiis (malè vivendo) obicem ponendo. Et rursùs: quia ſicut ſtat benè, quòd Deus hortetur nos, ut efficaciter convertamur ad ipſum, licèt hoc ſine gratia præveniente non faciamus; prius enim eſt, quod Deus ſuâ gratiâ præveniente convertatur ad nos, quam nos cooperatione noſtrâ convertamur ad ipſum: ità ſtat benè, quòd Paulus hortetur nos, ne in vacuum gratiam Dei recipiamus, licèt eam non recipere in vacuum ex gratia ſit; quia divina gratia eſto præveniat, libertatem tamen relinquit indemnem. Quare Tridentinum ſeſſ. 6. c. 5. *Cum dicitur* (inquit) *Zacharia 1. v. 3.* Convertimini ad me, & ego convertar ad vos: *Libertatis noſtræ admonemur. Cùm reſpondemus. (Jerem. in fine Orationis)* Converte nos Domine ad te, & convertemur, *Dei nos gratiâ præveniri confitemur*.

XXXII. Hinc D. Auguſt. *lib. 4. contra duas epiſt. Pelagian. cap. 6.* qui, ut liberum arbitrium contra Manichæos tuerentur, liberum arbitrium contra Catholicos extollebant, ac præcedere voluntatem, gratiam verò conſequi aſſerebant, aſſerentes illud Iſaiæ 1. v. 19.

Si

Digitized by Google

Si volueritis, & audieritis me, quæ bona ſunt terræ edetis &c. ait: *Si autem ſic intelligerent quod dictum eſt,* ſi volueritis, *ut etiam ipſam bonam voluntatem illum præparare confiterentur, de quo ſcriptum eſt:* Præparatur voluntas à Domino; *tanquam Catholici uterentur hoc teſtimonio; & non ſolùm hæreſim veterem Manichæorum vincerent, ſed novam Pelagianorum non conderent.*

Quia verò & Pelagiani dicebant, *gratiam adjuvare bonum propoſitum*, ait S. Doctor: *hoc ſine ſcrupulo acciperetur Catholicè dictum, ſi non in bono propoſito meritum ponerent... ſed intelligerent, & confiterentur, etiam ipſum bonum propoſitum, quod conſequens adjuvat gratia, non eſſe potuiſſe in homine, ſi non præcederet gratia.* Sed quia Pelagiani addebant, *non tamen reluctanti ſtudium virtutis* [Deum] *immittere*; Reſpondet S. Doctor: *poſſet benè intelligi, ſi non ab iſtis, quorum ſenſus notus eſt, diceretur. Reluctanti enim priùs auditus divinæ vocationis ipſâ Dei gratiâ procuratur, ac deinde in illo jam non reluctante ſtudium virtutis accenditur.* Vel ergo arguens vult, & confitetur, ipſum non reluctari gratiæ, ex quo ſtudium virtutis accenditur, eſſe ab ipſa gratia præveniente, & reluctantiam ſuperante, vel non. Si non: cum Pelagianis ſentit, teſte Auguſtino. Si verò ſic: fateatur, oportet bonum uſum gratiæ non ſolùm non eſſe ſine gratia concomitante, & indifferente (hoc enim, & Pelagiani fatebantur) ſed bonum uſum à gratia præveniente, & reluctantiam vincente ſibi procurari, & fieri, & conſequenter fateatur gratiam præviam, & per ſe efficacem. Oportuit hìc immorari, ut jaceremus noſtræ ſententiæ fundamentum.

XXXIII. Objiciunt ſecundò illud *Iſaiæ 5. v. 4. Quid eſt, quod debui ultrà facere vineæ meæ, & non feci ei? an quod expectavi, ut faceret uvas, & fecit labruſcas?* Ex quibus arguunt ſic. Conqueritur Deus de vinea Iſraelis, quòd dederit ei omnem gratiam, quæ poterat deſiderari, ut faceret uvas bonæ converſionis, & fecit labruſcas: at gratia hæc non fuit per ſe efficax, nam ſtante hâc, de facto converſa fuiſſet; ergo fuit gratia de ſe indifferens, & expectans bonum uſum; unde ſubdit: *expectavi, ut faceret uvas, & fecit labruſcas.*

XXXIV. Reſpondeo, Deum juſtè conqueri de vinea Iſraelis, eò quòd dederit illi omnia ſufficientia, & neceſſaria, quæ ut univerſalis proviſor tenebatur illi dare, ut poſſet facere uvas; eſto illi non dederit omnia etiam ultrà neceſſaria indebita, quæ poterat illi dare, ut Proviſor ſpecialis. Quapropter, ſi dicatur quòd ultra auxilia ſufficientia poterat Deus dare illi etiam auxilia efficacia ad converſionem, diſtinguo. Poterat, & tenebatur Deus dare tanquam debita, nego. Et non tenebatur, quia indebita, & prorsùs gratuita, concedo. Non enim dubium eſt (& hoc etiam in Adverſariorum ſententia) Deum potuiſse multa alia dare illi, quibus de facto obtinuiſſet uvas bonæ converſionis; ni dicamus Deum non potuiſſe à vinea Iſraelis bonam converſionem obtinere, quæ tamen de facto ei non dedit. Sed quia hæc indebita erant, nulla juſta occaſio vineæ illi aderat conquerendi de Deo, ſi illa non dederit; juſtam tamen rationem habuit Deus conquerendi de illa, quod fructum non dederit, cum ab eo accepiſſet omnia neceſſaria, & debita, ut poſſet facere, & non fecit uvas, ſed labruſcas: querela enim fundatur in poſſe, teneri, & non facere. Et quod hæc ſit legitima expoſitio præfati textus indicant Domini verba. Non enim dicit: *Quid ultra potui facere, & non feci? Sed: quid ultra debui*; ideſt, quid illi ex debitis, ut poſſet facere, defuit?

XXXV. Quòd autem non omnia illi Deus dederit, quæ poterat dare, omnes etiam Molinæ diſcipuli (ut dicebam) tenentur fateri. Etiamſi enim Deus ſolum det concurſum, & vocationem ſolùm moralem, & indifferentem; tamen ſciebat, quod ſi illi

vineę

Digitized by Google

vineæ dediſſet vivaciorem propoſitionem objecti, fortiores inſpirationes, & plura alia adminicula, ſicut ſciebat congruere, ſine dubio vinea illa fructus bonos fuiſſet factura: ni dicamus, Deum non potuiſſe illam convertere; ergo potuit Deus aliquid ultrà facere ei, quod non fecit ei: ſed tamen, quia hoc facere non tenebatur, & aliundè fecit ei, quod ſufficiens erat, juſtè de illa conqueritur; nec iſta juſtè conqueri poteſt de Deo, quòd potuerit illi dare, & non dederit, quia non tenetur. Licèt namque Deus poſſit ſuâ infinitâ virtute tollere impedimenta, & obſtacula, quæ homo ponit gratiæ; tamen non ſemper tenetur, nec ordinarius rerum curſus petit, ut id faciat: quia in rebus contingentibus, & defectibilibus, ad univerſalem Proviſorem pertinet, etiam aliquando defectus permittere, & non ſemper eodem modo procedere, aut ad idem movere, maximè ſi præceſſerit culpa, vel tempore, vel naturâ, quæ ipſum tali gratiâ efficiat indignum.

XXXVI. Objiciunt tertiò illud *Matth.* 11. ubi Chriſtus v. 21. *Væ tibi* (inquit) *Corozain, væ tibi Bethſaida; quia ſi in Tyro, & Sidone facta eſſent virtutes, quæ facta ſunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egiſſent*, quæ repetit *Lucæ* 10. *v.* 13. Ex quibus ſic arguunt. Chriſtus reprehendit Hebræos præ Tyriis, quia dedit eis omnia, quibus Tyrii converſi fuiſſent, & tamen ipſi non ſunt converſi: ſed Hebræis non dedit gratiam per ſe efficacem, aliàs de facto converſi fuiſſent; ergo gratia requiſita ad bonum conſenſum non eſt per ſe, & ab intrinſeco efficax.

XXXVII. Huic objectioni abundè ſatisfactum eſt *in Tract. de Scientia Dei qu.* 6. *de ſcien. condit. dub.* 4. §. 2. *à nu.* 15. Ubi etiam Adverſariorum inſtantias ex D. Auguſtino, & Thomâ ſolutæ ſunt. Illuc ergo ſtudioſum remitto.

Ad præſens tamen breviter dico, Hebræos fuiſſe à Chriſto juſtè reprehenſos comparatè ad Tyrios; quia cùm Hebræis dediſſet omnia auxilia neceſſaria, imò & validiora, quibus poſſent converti, converſi non fuerunt, cùm tamen Tyrii converſi fuiſſent. Ad id quod additur, nego, quòd Deus dederit Hebræis omnia, quibus de facto Tyrii converſi fuiſſent: nam dedit quidem Hebræis omnia auxilia ſufficientia, quibus poſſent converti, quæ dediſſet Tyriis; at donum actualis converſionis, quo Tyrii converſi fuiſſent, ac bonum uſum gratiæ feciſſent, Hebræis non dedit, aliòquin, & ipſi converſi fuiſſent. Quomodo autem hoc non obſtante potuerit Chriſtus juſtè reprehendere Hebræos comparativè ad Tyrios, loco ſuperiùs indicato oſtenſum eſt.

XXXVIII. Interim oſtendam, hoc argumentum ab ipſiſmet Adverſariis eſſe ſolvendum. Nam in primis actualem converſionem quam dediſſet Deus Tyriis, & non dedit Hebræis, eſſe donum Dei diſtinctum à dono auxiliorum ſufficientium, quod utriſque fuiſſet datum, admittere debent, & ipſi; niſi velint Pelagianè loqui, & dicere, Tyrios ex propriis, non ex dono gratiæ ſe diſcreturos fuiſſe ab Hebręis, & non ex eo, quod accepiſſent, contra dictum Pauli ſuperiùs expenſum.

Deinde Adverſarii dicunt, ad benè operandum eſſe neceſſariam gratiam congruam, quà poſitâ, bonum opus infallibiliter ponitur, cujus gratiæ poſitio, vel ablatio in ſolius Dei eſt poteſtate, qui pro libito ponit hominem in iis circumſtantiis, in quibus ſcit ei congruere: & hoc docere tenentur ex præcepto Reverendiſſimi Aquavivę PP. Societatis dato 14. *Decembris* 1613. referentibus Tannero 1. 2. *quæſt.* 109. & Paulo Leonardo *de ſcientia media*.

Rurſùs: Concors eſt PP. Societatis ſententia, Deum per ſcientiam mediam certò cognoſcere, hominem infallibiliter bene operaturum, ſi ei tale auxilium in tali circumſtantia exhibeatur; non autem operaturum, ſi ei aliud auxilium, aut in alia circumſtan-

ſtantia conferatur. Hoc ſuppoſito, quæro. Hanc gratiam congruam, hoc auxilium, & in ea circumſtantia, ſub qua cognovit, benè operaturos, quod dediſſet Tyriis, deditnè Deus Hebræis? Si dicant quòd non, aliàs Hebræi converſi fuiſſent, ut Tyrii; Rursùs quæro. Juſtenè reſpondiſſent Chriſto Hebræi: Domine, ſi obtuliſſes illam gratiam congruam, vel illud auxilium, quibus præviderás nos conſenſuros, & quæ ſciebas eſſe ad noſtrum conſenſum neceſſaria, quæ Tyriis conceſſiſſes, converſi eſſemus. Quare ergo nobis ea denegaſti, quæ illis dediſſes? Tu benè ſciebas, ſine illis non fore nos convertendos, & quòd ea acquirere in noſtra non erat poteſtate.

Non aliter certè reſpondere poterunt PP. Societatis, aut alii quicumque, niſi quę loco ſupra relato ex D. Auguſt. Proſpero, & Angelico noſtro reſpondimus. Auxilium enim gratiæ quibuſcumque divinitùs datur, miſericorditer datur; quibus autem non datur, ex juſtitia non datur, in pœnam præcedentis peccati, & ſaltem originalis: quæ doctrina eſt Auguſtini *lib. de corrept. & grat. cap. 5. & 6. & de dono perſeverantiæ c. 8. & 11.* Ideòque licèt quærendum non ſit, cur Deus iſtum trahat, ſed reducendum ad ejus inſcrutabilia judicia: cur tamen iſtum non trahat, quæri poteſt. Unde D. Thomas 1. 2. *qu. 112. art. 3. ad 2. defectus* [inquit] *gratię prima cauſa eſt ex nobis: ſed collationis gratiæ prima cauſa eſt à Deo, ſecundùm illud Oſeæ* 13. Perditio tua ex te Iſrael, tantummodò in me auxilium tuum. Quod ſi hactenus dicta non placeant, concludam cum Sancto Auguſtino lib. de ſpiritu, & littera c. 34. *Jam ſi ad illam profunditatem ſerutandam quiſquam nos coarctet, cur illi ità ſuadeatur, ut perſuadeatur; illi autem non ità: Duo ſola occurrunt interim, quæ reſpondere mihi placeat:* O altitudo divitiarum, &, nunquid iniquitas eſt apud Deum? *Cui reſponſio iſta diſplicet, quærat doctiores, ſed caveat, ne inveniat præſumtores.*

XXXIX. Objiciunt quartò Damaſcenum *lib. 2. de Fide cap. 30.* dicentem: *omnia quidem prę cognoſcit Deus: ſed non omnia prædeterminat.* Et Chryſoſtomum *homil. 12. in epiſt. ad Hebræos*, ubi ait: *Deus non antecedit voluntates noſtras, ne noſtrum lædatur arbitrium. Cùm autem nos elegerimus, multam tunc nobis offert auxiliationem.*

XL. Reſpondeo. Quantum ad Damaſcenum, D. Thom. pro me jam reſpondit 1. *p. qu. 23. art. 1. ad 1.* dicens: *quod Damaſcenus nominat prædeterminationem impoſitionem neceſſitatis, ſicut eſt in rebus naturalibus, quæ ſunt prædeterminata ad unum. Quod patet ex eo quod ſubdit*: non enim vult malitiam, neque compellit virtutem. Hęc D. Th. Quare non eſt contra nos, qui prędeterminationem ponimus quidem, non tamen imponentem cauſis liberis neceſſitatem, ut inferiùs dicemus. Porrò quod Damaſcenus à prædefinitionibus alienus non ſit, apparet ex Orat. 1. de Imaginibus ubi num. 10. hæc habet. *Sunt item in Deo imagines, & exempla rerum producendarum; nempè conſilium ipſius æternum, quod eodem ſemper ſeſe habet modo... Has porrò imagines, & exempla præfinitiones appellat S. Dionyſius... Enimverò in Dei conſilio omnia ab ipſo præfinita, atque indeficienter futura, priuſquàm fierent, haud aliter expreſſa erant, ac ſi quis domum ædificare cupiens, mente priùs imaginem, figuramvè ejus effingat.* Idem repetit *Orat. 3. nu. 19.* ubi docet, quod *ea, quæ ab ipſo determinata ſunt, præfinito tempore fiunt, quemadmodum ipſe in æternitate conſtituit.* Et quod *in ejus* (Dei) *conſilio expreſſę erant formę, & imagines eorum, quæ priuſquam fierent, ab ipſo præfinita erant, & immutabiliter futura.* Quòd ſi agens de actibus liberis videtur à nomine prædefinitionis alienus: hoc ideò facit, ne cum Gnoſticis, & Manichęis videatur liberum arbitrium auferre, & facere Deum auctorem malitiæ. Conferantur hæc cum iis, quæ diximus ſupra *tract. de ſcient. qu. 4. dub. 3. §. 3. n. 18. & 19.*

XLI. Quantum verò ad Chryſoſtomum: prætermiſſo P. Vaſquez ipſum inter hereticos Maſſilienſes temerè rejiciente, cui reſpondere poſſem: quòd ſi verum eſt, Chryſoſtomum, alioſque Patres Græcos cum Semipelagianis ſenſiſſe, aut eorum auctoritas parum prodeſt Vaſquez, & Jeſuitis; aut dicendum erit, quod eorum opinio non differt à Semipelagianorum errore.

Ne igitur hoc dicam, reſpondeo, ut ſupra, S. Jo: Chryſoſtomum ſolùm velle, Deum non antecedere voluntates noſtras, ità ut noſtram liberam electionem impediat. Cum autem ſuâ gratiâ præveniente liberè elegerimus, tùm ulteriori gratiâ nos cumulat. Uno verbo: negat, gratiam liberum tollere arbitrium, ut dicebant Manichæi, ſed cum gratia liberum arbitrium conſiſtere, potiores tamen partes gratiæ tribuendo. Hoc apertè indicat verbis, quę ſequuntur. *In vanum* (inquit) *currimus, ſi noſtrum eſſe totum putaverimus, ſi non plurimam partem Deo tribuerimus. Neque enim Deus totum ſuum eſſe voluit, ne videatur ſine cauſa nos coronare: neque iterum noſtrum, ne in ſuperbiam incidamus. Si enim minimam partem habentes, alta ſapimus, quid ſi totius nos operis noſtri domini eſſemus?* Ità Chryſoſtomus ibi.

Mentem ſuam luculenter exponit *homil. de Adamo, & Eva*, ubi poſtquam docuit, nos quidquid habemus boni, à Deo accepiſſe, & gloriari non poſſe, ac ſi non acceperimus, concludit: *His ergo Eccleſiaſticis Regulis, & divinâ ſumtis auctoritate documentis, ità, adjuvante Domino, confirmati ſumus, ut omnium bonorum effectuum, atque operum, & omnium ſtudiorum, omniumque virtutum, quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum profiteamur auctorem, & non dubitemus, ab ipſius gratia omnia hominis merita provenire: per quã item fit, ut aliquid boni, & velle inveniamur, & facere. Quo utique auxilio, & munere Dei non aufertur liberum arbitrium, ſed liberatur &c.* & infra: *Tanta enim eſt erga omnes bonitas Dei, ut noſtra velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona... Agit quippè in nobis, ut quod vult, & velimus, & agamus.* Hæc Chryſoſtomus: quibus nil clarius proferre poterat ad ſe à nota Semipelagianiſmi liberandum.

XLII. Objiciunt quintò S. Auguſtinum *libro de ſpiritu, & litt. cap.* 31. ubi dicit, quòd omnis quidem poteſtas à Deo eſt; ſed non omnis voluntas. Secundò *lib.* 12. *de Civit. Dei cap* 6. de duobus animo, & corpore æqualiter affectis, ait: *ſi eâdem tentatione ambo tententur, & unus ei cedat, atque conſentiat, alter idem, qui fuerat, perſeveret; quid aliud apparet, niſi unum voluiſſe, alterum noluiſſe à caſtitate deficere? Unde niſi propriâ voluntate, ubi eadem fuerat in utroque corporis, & animi affectio?*

XLIII. Reſpondeo ad primum D. Auguſtini teſtimonium. Verum dicere S. Doctorem, quòd non omnis voluntas à Deo eſt, quia voluntas mala ab eo non eſt: intendit enim ibi probare, quòd eſto ſcriptum legamus. *Non eſt poteſtas niſi à Deo* (Rom. 13. 1.) *Nam & ut credamus Deus dedit*. Nullibi tamen ſcriptum legimus: *Non eſt voluntas, niſi à Deo: alioquin etiam peccatorum, quod abſit, auctor eſt Deus, ſi non eſt voluntas niſi ab illo*. Quare non loquitur contra nos. Imò ſi ex quo voluntas mala non eſt à Deo, ſequitur, quòd Deus eam non determinet ad malum; è contrario, quia voluntas bona eſt à Deo, ſequitur, quòd eam determinet ad bonum juxta celebre ejus axioma: *præparatur voluntas à Domino*.

XLIV. Ad ſecundum ejuſdem Teſtimonium, reſpondeo primò, S. Doctorem ſolùm voluiſſe eo exemplo oſtendere, certum eſſe nos facere, dùm facimus, nos velle dùm volumus; non tamen negaſſe Deum facere, ut faciamus bonum. Certum enim eſt, nos velle dum volumus, ſed ille facit, ut velimus. Unde ex illis duobus, ille qui ſtat, certè ſtat, quia vult. Sed quare vult? quare à non ſtante ſe diſcernit?

nit? quia Deus fecit, ut vellet, aliàs ex non acceptis, ſed ex propriis ſe diſcerneret, contra dictum Pauli 1. *Cor.* 4. *v.* 7. *quis te diſcernit: quid enim habes, quod non accepiſti? Unde ſerm.* 343. loquens de Nabuchodonoſore, & Antiocho dicit: quòd *Nabuchodonoſor præſtitum eſt, ut crederet in Deum eorum:* ideſt trium puerorum... *Antiochus autem non erat dignus, cui talia præſtarentur.*

XLV. Reſpondeo ſecundò, Auguſtinum ibi non quærere cauſam voluntatis bonæ, ſeu cur ex illis duobus unus ſteterit in conſpectu tentationis; de hoc enim ibi non agebat: ſed quærere cauſam voluntatis malæ, ſeu cur alter tentationi ceſſerit. En ejus verba: *Hanc igitur conſenſionem, hanc malam, quam malè ſuadenti adhibuit voluntatem, qua in eo res fecerit, quærimus.* Cui quæſtioni reſpondet, ipſum hominem feciſſe ſibi voluntatem malam, non eam habuiſſe à natura bona, cujus Auctor eſt Deus, nam ante voluntatem malam erat natura bona. Et concludit, quòd, qui hoc dicit: *quærat, cur eam* (voluntatem malam) *fecerit, utrum quia natura eſt, an quia ex nihilo facta eſt: & inveniet, voluntatem malam, non ex eo eſſe incipere, quòd natura eſt, ſed ex eo quòd de nihilo natura facta eſt.* Non ergo erat ibi locus, ut de cauſa voluntatis bonæ ſermo fieret, nempè de Deo: cùm ageretur de voluntate mala, quam Deus non cauſat, neque natura ut à Deo, ſed ut ex nihilo eſt. Et hæc reſponſio S. Auguſtini mentem magis attingit. Quòd enim voluntas bona à Deo ſit, nimis clarè locis citatis aſſeverat.

XLVI. Objiciunt ſextò S. Thomam *Roman.* 8. *lect.* 6. dicentem: *hæc vocatio eſt efficax in prædeſtinatis, quia hujuſmodi vocationi aſſentiuntur;* ergo vocationem aſſerit efficacem, non ex ſe, ſed ex conſenſu. Rurſùs in 2. *diſt.* 25. *qu.* 1. *art.* 1. *ad* 3. *determinatio* [inquit] *actionis, & finis in poteſtate liberi arbitrii conſtituitur, unde remanet ſibi dominium ſui actus;* & *diſt.* 39. *qu.* 1. *art.* 1. *Ipſa* (inquit) *potentia voluntatis, quantum in ſe eſt, indifferens eſt ad plura: ſed quod determinatè exeat in hunc actum, vel in illum, non eſt ab alio determinante, ſed ab ipſa voluntate.* At ſi decreto efficaci Deus eam præmoveret, ejus determinatio eſſet ab alio determinante; ergo &c.

XLVII. Reſpondeo, de mente D. Thomæ ſatis conſtare ex dictis. Ad id tamen, quod primò ex eodem objicitur, reſpondeo ſolutione ipſius 1. *p. qu.* 14. *ar.* 8. *ad* 1. quòd ly *quia* non denotat cauſam *eſſendi*, ità ut aſſentiri vocationi ſit cauſa, quare vocatio ſit efficax, ut Contrarii volunt (etenim D. Thomas loco citato ad Romanos præmiſerat, quòd *cor hominis movetur à Deo ad aſſentiendum iis, quæ ſunt fidei, vel virtutis: Iſaiæ* 41. *Quis ſuſcitavit ab Oriente juſtum, & vocavit eum, ut ſequeretur: Et hæc vocatio neceſſaria eſt, quia cor noſtrum non ſe ad Deum converteret, niſi ipſe Deus nos ad ſe traheret*) ſed cauſam conſequentiæ, ſeu in cognoſcendo: ſequitur enim, ſi homo vocationi conſentit, quòd vocatio ſit efficax, & ex quo voluntas vocationi aſſentitur, ut ex effectu, & ſigno dignoſcitur, quòd vocatio ſit efficax.

Ad ſecundum dico, ex hoc, quòd determinatio voluntatis ſit in poteſtate liberi arbitrii, non excludi, quin etiam à Deo ſit, qui magis habet in ſua poteſtate voluntates hominum, quàm ipſi ſuas, ut dictum eſt ex Auguſtino; & infra dicetur. Neque hoc D. Thom. loco citato negat: dixerat enim, quòd *Deus operatur in omnibus: ità tamen, quòd in unoquoque ſecundùm ejus conditionem;* quia verò conditio liberi eſt, quòd habeat determinationem in ſui poteſtate, dicit: *In libero autem arbitrio hoc modo agit, ut... ipſo operante, liberum arbitrium agat: ſed tamen determinatio actionis, & finis in poteſtate liberi arbitrii conſtituitur.*

Ad tertium dico primò, D. Thom. ibi loqui de determinatione, quâ vo-

luntas determinatur ad peccandum , quæ certè à ſola voluntate creata deficiente eſt . Secundò , dico , D. Thom. ibi excludere omne determinans creatum , non verò increatum , quod ſicut eſt cauſa voluntatis , ità etiam cujuſcumque determinationis ejus . Videatur S. Thom. 1. 2. *q. 9. ar. 4. & 6.* & *q. 10. art. 4.*

XLVIII. Ex his exponuntur aliæ auctoritates , quæ à contrariis ſolent adduci ; ut illud *Eccleſ. 15. v. 14. Deus ab initio conſtituit hominem , & reliquit illum in manu conſilii ſui .* Et *v. 17. Appoſuit tibi aquam , & ignem : ad quod volueris , porrige manum tuam .* Aliæque , quas latè congeſſit Fauſtus Semipelagianus , & olim D. Auguſtino objecit .

XLIX. Ad quas reſpondeo , quòd ſi quid probarent , evincerent , neque requiri decretum indifferens , neque concurſum ſimultaneum , nec actus liberos immediatè ſubjici Providentię Dei . Si enim Deus , poſtquam conſtituit hominem , reliquit eum in manu conſilii ſui ; ergo ut homo operetur , & eligat , non egebit aliquo Dei adjutorio à dono creationis diſtincto . *Sed* qui talia objiciunt (ait D. Proſper *epiſt. ad Ruffinum) audiant , & dictum à Domino libero arbitrio utentibus :* Sine me nihil poteſtis facere : *&* nemo venit ad me niſi Pater , qui miſit me , adtraxerit eum : *&* nemo poteſt venire ad me , niſi datum ei fuerit à Patre meo , *&* ... præparatur voluntas à Domino *: & ſicut ait Apoſtolus :* Deus eſt enim , qui operatur in nobis velle , & perficere pro bona voluntate . *Pro qua bona voluntate , niſi quam in ipſis operatus eſt Deus : ut quod donaverat velle , donaret , & facere ?*

Præfata ergo teſtimonia exponenda ſunt . Primum exponit S. Thomas 1. *p. qu. 22. art. 2. ad* 4. ubi ſimili argumento reſpondens : *In hoc* [inquit] *quod dicitur , Deum hominem ſibi reliquiſſe , non excluditur homo à divina providentia , ſed oſtenditur , quòd non præfigitur ei virtus operativa determinata ad unum , ſicut rebus naturalibus , quæ aguntur tantùm , quaſi ab altero directa in finem , non autem ſe ipſa agunt , quaſi ſe dirigentia in finem , ut creaturæ rationales per liberum arbitrium , quo conſiliantur , & eligunt : unde ſignanter dicit :* In manu conſilii ſui , *ſed , quia ipſe actus liberi arbitrii reducitur in Deum , ſicut in cauſam , neceſſe eſt , ut ea , quę ex libero arbitrio fiunt , divinę providentię ſubdantur . Providentia enim hominis continetur ſub providentia Dei , ſicut cauſa particularis ſub cauſa univerſali .* Idem docet *qu. 3. de potentia art. 7. ad* 12. dicens : *Deus non dicitur , hominem dereliquiſſe in manu conſilii ſui , quin in voluntate operetur : ſed quia voluntati hominis dedit dominium ſui actus .* Et *ad* 13. ſubdit : *Voluntas dicitur habere dominium ſui actus , non per excluſionem cauſæ primæ , ſed quia cauſa prima non ità agit in voluntate , ut eam de neceſſitate ad unum determinet , ſicut determinat naturam .*

Ad ſecundum teſtimonium dicit idem S. Thomas 3. *contra gentes cap. 90.* quod *hęc verba ad hoc inducuntur , ut homines eſſe liberi arbitrii oſtendantur : non ut eorum electiones à divina providentia ſubtrahantur .* Et Sanct. Auguſt. lib. 6. de perfectione Juſt. cap. 3. *In illo* [inquit] *teſtimonio ....* Appoſuit tibi aquam , & ignem &c. *manifeſtum eſt , quod ſi ad ignem manum mittit , & malum , ac mors ei placet , id voluntas hominis operatur ; ſi autem bonum , & vitam diligit , non ſolùm voluntas id agit , ſed divinitùs adjuvatur . Sufficit enim ſibi oculus ad non videndum , hoc eſt ad tenebras : ad videndum verò , lumine ſuo non ſibi ſufficit , niſi illi extrinſecùs adjutorium clari luminis præbeatur .*

§. VII.

Digitized by Google

§. VII.

Fundamenta contraria ex ratione.

L. OBjiciunt ſeptimò. Concurſus cauſæ univerſalis eſt indifferens, & determinatur à cauſis particularibus ad ſpeciem actus: ſed concurſus Dei eſt concurſus cauſæ univerſalis; ergo &c. Major probat. 1. ex D. Thom. 3. *contragentes c.* 102. & explicatur in concurſu Solis, qui ex ſe indifferens determinatur à ficulnea ad producendas ficus, ab olea ad producendas olivas, ab homine ad producendum hominem. Unde S. Thom. q. 1. de potentia art. 4. ad 3. *licèt* (inquit) *cauſa prima maximè influat in effectum, tamen ejus influentia per cauſam proximam determinatur, & ſpecificatur, & ideò ejus ſimilitudinem imitatur effectus*. Et 3. *contrag. c.* 66. vocat ſecunda agentia quaſi *particulantia, & determinantia actionem primi agentis*.

LI. Reſpondetur, ma. eſſe veram de concurſu cauſæ univerſalis creatæ, ut patet in exemplo Solis; non verò de concurſu cauſæ univerſalis primę, qualis eſt Deus: hæc enim determinationem cauſæ particularis cauſat, & facit, quia creata eſt, non eam ſupponit, aut expectat. Unde D. Thom. ſic exponendus eſt: ejus influentia per cauſam proximam determinatur determinatione factâ per ipſum; concedo. Determinatione ſuppoſitâ, aut prævisâ ante ipſum, nego. Hanc reſponſionem colligo ex eodem S. Doctore *qu.* 23. *de verit. art.* 5. & hâc *quęſt.* 19. 1. *partis artic.* 8. ubi refert opinionem eorum, qui reducebant rerum contingentiam, aut neceſſitatem in cauſas medias, *quia ea, quæ* (Deus) *producit per cauſas neceſſarias, ſunt neceſſaria, ea verò, quæ producit per cauſas contingentes ſunt contingentia*. Quam opinionem reprobat primò; quia ex hoc ſequeretur, quòd effectus cauſę primę impediretur per *defectum cauſę ſecundę*; *ſicut virtus Solis impeditur per defectum plantę: nullus autem defectus cauſæ ſecundę impedire poteſt, quin voluntas Dei effectum ſuum producat*. Secundò; quia ſequeretur, effectum aliquem eſſe *præter intentionem, & voluntatem divinam*. Quare reſolvit, contingentiam, & neceſſitatem rerum reducendam eſſe in efficaciam divinæ voluntatis, quæ quibuſdam effectibus aptavit cauſas neceſſarias, quibuſdam cauſas contingentes: & concludit: *Non igitur propterea effectus voliti à Deo eveniunt contingenter, quia cauſæ proximę ſunt contingentes; ſed propterea quia Deus voluit eos contingenter evenire, contingentes cauſas ad eos præparavit*, cujus rationem aſſignaverat, quòd *cùm voluntas divina ſit efficaciſſima, non ſolùm ſequitur, quòd fiant ea, quę vult fieri, ſed quòd eo modo fiant, quo Deus ea fieri vult*. Eodem modo explicantur aliæ auctoritates allatę.

LII. Objiciunt octavò. Si gratia, & decretum Dei efficacia ſunt, illis nunquam reſiſtitur: ſed hoc damnatum eſt ab Innocentio X. qui damnavit hanc propoſitionem Janſenii: *Gratiæ interiori nunquam reſiſtitur*; ergo &c. Minor probatur. Gratia interior, de qua loquitur Pontifex eſt gratia, de qua loquebatur Janſenius; ſed Janſenius loquebatur de gratia per ſe efficaci; ergo &c.

LIII. Pace tamen hoc opponentis inſurgo ſic. Si Innocentius damnans præfatam propoſitionem, ut aſſumtam ab arguente, damnavit noſtram ſententiam, damnavit etiam Moliniſticam. In utraque enim ſchola gratia efficax definitur, quâ de facto infallibiliter operamur: ità ut non componatur Petrum habere gratiam efficacem ad conſenſum, & Petrum reſiſtere, ſeu non conſentire; aliàs eſſet efficax, & non eſſet, undecumque hæc efficacia ſumatur. Ergo in utraque ſchola defenſari debet hæc propoſitio: *gratiæ efficaci nunquam reſiſtitur*. Ergo ſi dùm damnatur iſta: *gratię interiori nunquam reſiſtitur*, damnatur etiam hæc

hæc ; *gratiæ efficaci nunquam reſiſtitur* : damnatur doctrina utrique ſcholæ communis.

LIV. Ad argumentum igitur reſpondeo, negando min. ad probat. diſting. min. de gratia per ſe efficaci, & hanc ſolam admittebat, conc. mi. aliter, neg. min. Innocentius ergo damnavit hanc Propoſitionem *gratiæ interiori nunquam reſiſtitur* in ſenſu Janſenii, qui ponebat omnem gratiam interiorem in homine lapſo eſſe efficacem, & nullam dari gratiam ſufficientem, ex quo inferebat, gratiæ interiori nunquam reſiſti : cùm debuiſſet diſtinguere inter gratiam efficacem, cui non reſiſtitur Roman. 9. v. 19. *Voluntati enim ejus quis reſiſtit?* & ſufficientem, cui ſæpè reſiſtitur, juxta illud Prov. 1. 24. *Vocavi, & renuiſtis*, & Act. 7. v. 51. *Vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis*. Et proptereà Innocentius damnavit dicentem, non dari aliquam gratiam interiorem, cui homo reſiſtat. Et appoſitè gratiam *interiorem* nuncupavit, non verò *efficacem*. Peccat ergo hoc argumentum, quia procedit à ſuperiori ad inferius affirmativè, dùm ait : Innocentius damnavit dicentes, gratiæ interiori nunquam reſiſti ; ergo damnavit dicentes gratiæ efficaci nunquam reſiſti, cùm non omnis gratia interior ſit gratia efficax.

LV. Ex quibus patet, quàm inſcite, ne dixerim malitiosè, aliqui, ut ſententiam noſtram reddant invisam, & odioſam, eam cum Janſeniana confundunt ; idque apud idiotas, ſimplices, mulieres quoque, aliaſque perſonas in hac materia jejunas venditare, ac ſpargere ſcrupulum ſibi non faciunt. Contrarium oſtendi præſenti tractatu *q.* 2. *dub.* 2. *toto* §. 3. quæ à Studioſo huc revocanda ſunt, & præcipuè ad rem præſentem ; quòd Janſenius unicum tantùm gratiæ auxilium interius, & hoc ſemper efficax admittit, rejecto pro ſtatu præſenti naturæ corruptæ omni auxilio inefficaci, & purè ſufficiente. Cumque hoc auxilium efficax non omnibus detur, aſſerebat, iis quibus non datur, deeſſe potentiam ad operandum : ex quo inferebat, præcepta aliquibus eſſe obſervatu impoſſibilia, Chriſtum non eſse mortuum pro omnibus, aliaque ſuperius adnotata, ac juſtiſſimâ proſcriptione damnata. Nos autem duplex auxilium internum, etiam pro ſtatu lapſus, admittimus : unum efficax, quod cum Auguſtino vocamus *auxilium quo* ; & eſt illud, quo de facto agimus : alterum ſufficiens, quod cum eodem S. Doctore vocamus *auxilium ſine quo* ; quia eſt illud, ſine quo non poſſumus agere. Licèt autem cum ſolo auxilio ſufficiente poſſimus quidem agere, ſed non de facto agamus, niſi conjungatur cum auxilio efficaci ; ex defectu tamen auxilii ſufficientis non eſt, ſed ex culpa noſtra, quòd interdum cum efficaci non conjungatur. Porrò cùm etto auxilium efficax non omnibus adſit, ſufficiens tamen omnibus conferatur, etiam infidelibus, & obduratis, ut ſuperiùs fuſe oſteſdimus *qu.* 2. *citato dub.* 7. & multi ei reſiſtant ; fit, ut etiam nos ejuremus Janſenianam doctrinam, gratiæ interiori nunquam reſiſtitur. Proptereà noſtra ſententia ſub oculis ipſius Pontificis publicè defenſatur, ut teſtatur Clemens XI. eamque Benedictus XIII. in ſuo Brevi commendat, ad eamque tuendam nos adhortatur : noviſſimè verò in ſua Conſtitutione *Pretioſus* eam collaudat, quod certè non feciſſet, ſi Janſeniſmi fuligine eſſet ſordidata.

LVI. Tandem objiciunt. Admiſso decreto indifferenti gratia, & libertas creata abſque ulla querela cohabitant. Deinde decretum indifferens auribus fidelium adeò delectabiliter inſonat, ut eorum cordibus pia conſolatio, & quies inſeratur ; ergo magis acceptabile eſt, ac probabile.

LVII. Hoc idem objiciebant Maſſilienſes Sancto Auguſtino, ut ex epiſt. Proſperi, & Hilarii *lib. de Prædeſt. SS.* præfixis ; ejus nempè doctrinam fideles commovere, ideòque, vel non tenendam, vel ſaltem populis non præ-

di-

dicandam; potiùs ad præſcientiam confugiendum eſſe, quàm ad divinæ voluntatis propoſitum, ut ſcilicet præſcierit Deus, & quos præſcivit benè uſuros, elegerit. Verùm his, & ſimilibus nihil commotus Sanct. Auguſtinus pro gratiæ primatu pugnare non deſtitit, exiſtimans, ſe liberum arbitrium ſtatuere, dùm gratiæ tribueret principatum. *Liberum ergo arbitrium evacuamus per gratiam?* (ità ajebat lib. de ſpiritu, & litt. c. 30.) *Abſit: ſed magis liberum arbitrium ſtatuimus. Sicut enim lex per fidem, ſic liberum arbitrium per gratiam non evacuatur, ſed ſtatuitur. Neque enim lex impletur, niſi libero arbitrio .... Ac per hoc ſicut lex non evacuatur, ſed ſtatuitur per fidem, quia fides impetrat gratiam, quâ lex impletur: ità liberum arbitrium non evacuatur per gratiam, ſed ſtatuitur, quia gratia ſanat voluntatem, quâ juſtitia liberè diligatur.*

LVIII. Nego igitur aſſumtum pro prima parte: nam poſito decreto indifferente querelæ inſurgunt. Tùm ex parte gratiæ, quæ de Domina videt ſe factam liberi arbitrii comitem, imò & pediſſequam; agnoſcit, ſe de voluntatibus non poſſe facere quod vult, eaſque ubi vult, quando vult, quomodo vult non poſſe convertere, nec magis habere in ſui poteſtate voluntates hominum quàm ipſi ſuas, quod ſuperiùs oſtendi. Tum ex parte liberi arbitrii, quod tali gratia, & decreto indifferente ſanari non poteſt, nec ad bonum converti. E contra verò libertas creata ſub efficacis decreti dominio conſtituta, jucundè ſimul cum gratia converſatur, & ejus viribus, & efficaciâ adaucta dicere poteſt cum Paulo: *Omnia poſſum in eo, qui me confortat.*

LIX. Ad ſecundum, Gratularer cum Opponente, quòd invenerit modum facilem ſolvendi quæſtionem, & quietandi animos fidelium, qui nec Auguſtino, nec Paulo datus fuit, niſi eum piè decipi rationabiliter judicarem. Quomodo enim magis tutus eſſe poteſt homo de ſe ipſo, quàm de Deo ejuſque gratia? *Tutiores vivimus* [inquit S. Auguſt. *de dono perſever. c. 6.*] *Si totum Deo damus, non autem nos illi ex parte, & nobis ex parte committimus.* Præterea: quomodo homo conſolari poterit de ſuo bono conſenſu, quod juxta Opponentem non eſt occaſio, nec motivum eum prædeſtinandi? Si ſtat in manu Dei, etiam prævîſo illius bono conſenſu, adhuc ei denegare auxilium congruum, eumque excludere à Regno, quomodo poterit non eſſe anxius? ſi nil poteſt facere ſine gratia Dei, quæ fons, & origo totius prædeſtinationis, & hanc poteſt Deus ei denegare, quænam eſt tantæ confidentiæ ratio? teneturnè Deus illi ſuam gratiam concedere? aut revelavit, ſe eam daturum omnibus, quos prævidit fore benè uſuros? minimè. Nam etiam prævidit Tyrios benè uſuros, ſi eis gratiam ſuam dediſſet; & tamen non dedit. Quid ergo proſunt piæ fidelium conſolationi decreta hæc indifferentia?

Verùm quia præcipua Adverſariorum vis ea ponendi eſt, ne humana violetur libertas; ideò punctum hoc examinandum ſpecialiter à nobis erit. Difficile quidem, ſed dante Deo ejuſque gratiâ, pro qua inſudamus, ſuperabile.

DUBIUM II.

An Decretum Dei per ſe efficax cohæreat cum libertate creata.

§. I.

Statuitur Concluſio.

I. Dico. Efficacia divini decreti non deſtruit, non lædit, ſed potiùs facit, & fovet creatam libertatem. Id evincunt auctoritates ſupra allatæ D. Thomæ. Nam primò in hàc *quæſt. 19. art. 8.* ex quo divina voluntas ſit efficaciſſima, infert, non ſolùm fieri ea, quæ Deus fieri vult,

vult, ſed eo modo, quo vult ea fieri: cùm autem velit aliqua fieri neceſſariò, aliqua contingenter, & liberè, ex ejus voluntatis efficacia deſcendit, ut liberè fiant, aut neceſſariò; non ſolùm enim cauſat ſubſtantiam actus faciendi, ſed modum ejus. Imò referens opinionem illorum, qui (ut volunt hiſce temporibus Jeſuitæ) contingentiam effectuum ad cauſas medias contingentes reducebant; eam expreſsè reprobat, & in efficaciam divinæ voluntatis reſolvit: & omnibus argumentis, quibus ut infra Adverſarii in nos inſurgunt, reſponſionem nobis miniſtrat, ut videbimus.

II. Secundò oſtendo ex eodem S. Th. *1. p. qu.* 83. *art.* 1. *ad* 3. ubi argumento, quod intendebat, hominem non ſore liberi arbitrii, ſi moveretur à Deo; quia liberum eſt, quod ſui cauſa eſt, quod autem movetur ab alio non eſt liberum; Reſpondet, *quòd liberum arbitrium eſt cauſa ſui motus: quia homo per liberum arbitrium ſeipſum movet ad agendum. Non autem hoc eſt de neceſſitate libertatis, quòd ſit prima cauſa ſui id, quòd liberum eſt: ſicut nec ad hoc, quòd aliquid ſit cauſa alterius, requiritur, quòd ſit prima cauſa ejus. Deus igitur eſt prima cauſa movens, & naturales cauſas, & voluntarias; & ſicut naturalibus cauſis, movendo eas, non aufert, quin actus earum ſint naturales: ità movendo cauſas voluntarias, non aufert, quin actiones earum ſint voluntariæ, ſed potiùs hoc in eis facit. Operatur enim in unoquoque ſecundùm ejus proprietatem.*

III. Ex his ità diſcurro. Ideò liberum arbitrium cohabitare non poſſet cum decreto efficaci; quia cauſa libera debet eſſe cauſa ſui actus, & ſe movere ad illum, & quia ex decreto efficaci neceſſariò infertur actus: ſed hæc non obſtant; ergo &c. min. prob. Pro prima parte. Nam ut ait D. Tho. non eſt de neceſſitate agentis liberi, quòd ſit prima cauſa ſui, & primum movens ſe ipſum; ſicut non eſt de neceſſitate cauſæ cauſantis alterum, ut ſit prima cauſa, & primum movens illud. Pro ſecunda etiam parte probat. Deus movens cauſas neceſſarias, non aufert, quin eorum motus ſint naturales, ſed potiùs hoc in eis facit, quia agit in unoquoque ſecundum ejus proprietatem: ergo eàdem ratione movens cauſas voluntarias, & liberas non aufert, quin earum actiones ſint liberę, & voluntariæ, ſed potiùs hoc in eis facit.

IV. Confirmo hoc, & diruo Adverſariorum fundamentum. Ideò cum efficacia per ſe tali divini decreti non ſtaret libertas actus creati, quia voluntas creata poſito decreto efficaci neceſſitaretur ad ponendum actum ex aliquo priori, cui non poſſet reſiſtere, vel quod impedire non poſſet: Voluntati enim Dei quis reſiſtit? Res etiam createę comparantur ad voluntatem divinam ſicut ad aliquid prius, à quo habent neceſſitatem, cùm hæc conditionalis ſit vera: ſi aliquid Deus vult, illud eſt. Neceſſitas autem orta ex aliquo priori, & inimpedibili eſt neceſſitas abſoluta: ſed iſta nihil obſtant; ergo &c. Min. prob. Poſteriora habent neceſſitatem à prioribus ſecundum modum priorum, & ex quo prius eſt inimpedibile ſequitur, quòd non ſolùm fiat res, quam vult fieri, ſed quòd fiat eo modo, quo vult fieri: ſed Deus aliqua vult fieri neceſſariò, aliqua contingenter, aliqua habere neceſſitatem abſolutam, aliqua conditionalem tantùm; ergo ex quo decretum Dei ſit prius, & inimpedibile, non ſequitur, quòd actus voluntatis habeat neceſſitatem abſolutam, ſed conditionalem tantùm, qualem ſcilicet vult Deus, illum habere. Ità diſcurrit S. Thomas *1. p. qu.* 19. *art.* 8. *ad* 1. 2. & 3.

V. Hoc ipſum oſtendit, & declarat idem S. D. *quæſt.* 6. *de malo art. unico*, ubi cùm ſibi oppoſuiſſet tertiò, quòd *cùm omne animal moveat ſe ipſum per appetitum, alia tamen animalia ab homine non habent liberam electionem, quia eorum appetitus ab aliquo exteriori movente movetur, ſcilicet ex virtute corporis*

poris cœleſtis, vel ex actione alicujus alterius corporis. Si ergo voluntas hominis immobiliter movetur à Deo, ſequitur, quòd homo non habeat liberam electionem ſuorum actuum. En argumentum, quod Adverſariis eſt familiare.

Cui S. Doctor ſic reſpondet: *Ad tertium dicendum, quòd animalia bruta moventur per inſtinctum ſuperioris agentis ad aliquid determinatum, ſecundùm modum formę particularis; cujus conceptionem ſequitur appetitus ſenſitivus. Sed Deus movet quidem voluntatem immutabiliter propter efficaciam virtutis moventis, quæ deficere non poteſt: ſed propter naturam voluntatis motæ, quæ indifferenter ſe habet ad diverſa, non inducitur neceſſitas, ſed manet libertas. Sicut etiam in omnibus providentia divina infallibiliter operatur, & tamen à cauſis contingentibus proveniunt effectus contingenter, in quantùm Deus omnia movet proportionabiliter unumquodque ſecundùm ſuum modum*. Hoc idem ex profeſſo docet 1. 2. *quæſt.* 10. *art.* 4. ubi ex quo Deus movet unumquodque ſecundùm ejus conditionem ſtatuit, quòd *quia voluntas eſt activum principium non determinatum ad unum, ſed indifferenter ſe habens ad multa, ſic Deus ipſam movet, quòd non ex neceſſitate ad unum determinat, ſed remanet motus ejus contingens, & non neceſſarius, niſi in his, ad quæ naturaliter movetur*.

VI. Ex his omnibus hoc ratiocinium efformo. Quotieſcumque cauſa ſuperior movens, eſto efficaciter moveat, ſeſe tamen attemperat in agendo cauſis inferioribus in quas agit, movendo omnia ſecundùm earum conditionem, non lędit earum proprietatem: ſed decretum Dei eſto ab intrinſeco efficax, deſcendit tamen in cauſas liberas ſeſe attemperando earum conditioni, nempè indifferentiæ; ergo non lædit earum libertatem. Min. oſtendunt omnia D. Thomæ ſupra laudata teſtimonia, & ulteriùs exemplo humanitatis Chriſti, quæ à divino Verbo tanquam inſtrumentum conjunctum movebatur multò intimiùs, & fortiùs, quàm manus moveatur ab anima; ut notat D. Thom. 4. *contra gent. cap.* 41. & tamen tantum aberat, ut læderet ejus libertatem, quin eam potiùs perficeret. Major verò explicatur exemplis aquæ leniter à Cœlo deſcendentis, & lucis ſolaris. Sicut enim aqua è Cœlo deſcendens, & lux à Sole effluens vim quandam occultam ſecum deferunt, ut nutriant, & vivificent; & quamvis unius ſpeciei ſint in omnibus, vario tamen modo operantur ſecundùm varias proprietates rerum, in quas deſcendunt; dealbando in lilio, rubricando in roſa, in ficulnea dulcorando, amaricando in abſinthio: ità divina motio omnium ſeminaliter virtutem continens, & naturas, ſuâ occultiſſimâ, ſed efficaciſſimâ vi in omnes cauſas deſcendens, omnia movet; & licèt in ſe una ſit, vario tamen modo operatur ſecundùm varias rerum naturas, & proprietates; agens neceſſariò in igne, liberè in voluntate.

VII. Neque dicas, quòd ſi divina efficacia ſe accommodat naturis rerum, ad eum modum, quo aqua, & lux ſolaris, ſequitur, efficaciam divinæ voluntatis non eſſe talem ex ſe, & intrinſecè, ſeu abſolutè, ſed eſſe talem ſolùm reſpectivè, & modificabilem à cauſa creata; ac proinde divinam motionem reddi efficacem ad hunc potiùs effectum, quàm ad alium ex diſpoſitione, quam invenit in cauſa creata: ſicut efficacia aquæ, & lucis modificatur juxta variam materiam, in quam agit.

VIII. Nam contra eſt. Dùm dicimus divinæ voluntatis efficaciam ſeſe attemperare conditioni, & naturis rerum, in quas agit; non intendimus, eam dependere, ſupponere, & quaſi efficaciam accipere à diſpoſitione, & determinatione cauſarum; ità ut eam ſupponat, & indiſpoſitio iſtarum poſſit impedire, aut retardare divinæ voluntatis efficacitatem, ut aſſerunt Contrarii: ſicut vis Solis per defectum, & indiſpoſitionem plantę impeditur: *Nullus enim defectus cauſæ ſecundæ* [ait D. Thom.

Thom. 1. p. q.19. ar. 8. in corp.] *impedire poteſt, quin voluntas Dei effectum ſuum producat*. Sed dicimus, quòd divinæ voluntatis vis, & efficacia, eſto à nullo poſſit impediri, eſto poſſit omnem reſiſtentiam vincere, non eodem modo agit in omnibus; ſed reſpicit naturas, & proprietates cauſarum, in quas agit, faciendo, ut effectus prodeat ex neceſſitate, ſi cauſa, in quam agit ſit neceſſaria, voluntariè autem, & liberè, ſi cauſa, in quam agit libera ſit. Quare dùm Deus efficacitèr vult peccatoris converſionem, facit, ut homo peccator velit liberè ſe convertere: Et hoc eſt, quod ait D. Thomas locis ſupra relatis, *quòd omnia movet proportionabiliter, unumquodque ſecundùm modum ſuum: operatur in unoquoque ſecundum ejus proprietatem: vult non ſolùm ſubſtantiam*, ſed *& modum actus*. Quod benè in hac materia penſandum eſt; quia eſt quaſi clavis, quà omnibus difficultatibus exitus aperitur, & Adverſariorum falſa imaginatio detegitur. Putant enim divinæ voluntatis efficaciam eſſe abſolutam, & eodem modo in omnes cauſas agere, cùm ſit reſpectiva ad naturas, & proprietates rerum, cauſans quidem omnium cauſarum determinationes, non eas ſupponens; ſed juxta uniuſcujuſque modum: non quaſi nolentem, ac invitum cogat, aut neceſſitet; ſed *ex nolente volentem facit*, ut ait Auguſtinus *lib. 3. oper. Imperf. contra Julian. c. 122.*

IX. Quapropter exemplum adductum de aqua leniter deſcendente, & influxu virtutis ſolaris in hæc inferiora, ſimile quidem eſt, ſed non in omnibus idem; alioquin ſimilitudo non eſſet, ſed identitas. Simile quidem eſt: quia ſicut aqua, & virtus ſolaris non in omnibus facit idem, nec eodem modo, licèt in ſe una ſit; ſed aptat ſe naturis rerum, hìc producendo plantam, ibi aurum: ità voluntas Dei licèt una reſpectu omnium, & efficax ſit, non ſemper agit idem, nec eodem modo; ſed ſe attemperat naturis cauſarum, quas agere vult, nempè hìc producendo actum neceſſarium, ſi cauſa, in quam agit ſit neceſſaria; ibi actum liberum, & contingentem, ſi cauſa libera ſit. Non eſt autem omnino idem. Nam virtus pluviæ, lucis ſolaris ex indiſpoſitione, & defectu cauſæ, in quam agit, impediri poteſt, imò ſæpè à ſuo effectu impeditur; non enim facit diſpoſitionem, ſed eam in cauſa ſupponit; nec agere poteſt niſi id, ad quod cauſa diſpoſita, ac determinata eſt. At vis, & efficacia divinæ voluntatis, utpotè actualiſſima, & omnia uſque ad ultima continens (pertingit enim à fine uſque ad finem) quodcumque voluerit poteſt in quacumque cauſa operari, in ea diſpoſitiones inducere, ut (ſuo tamen modo) faciat effectum, quem vult: Et ſic voluntatem repugnantem, & nolentem quandò vult, ubi vult, quomodo vult de nolente in volentem convertere. Et hoc eſt, quod dicitur Sap. 8. v. 1. *Attingit à fine uſque ad finem fortiter*: quia verò rerum proprietates non lædit, imò agit ſecundùm uniuſcujuſque proprietatem, & conditionem, additur: *& diſponit omnia ſuaviter*. Quare D. Thomas *art.* 8. hujus *q.* 19. optimè ex efficacia divinæ voluntatis dicit procedere, quòd non ſolùm res fiant, ſed eo modo fiant, quo vult ea fieri: quędam autem vult fieri neceſſariò; & ideò iſtis pręparavit cauſas neceſſarias, eaſque movet, ut neceſſariò agant: quædam verò vult fieri contingenter, & liberè, & ideò iſtis præparavit cauſas contingentes, & liberas, eaſque movet, ut liberè; & contingenter agant. Et hæc benè notanda ſunt. Sed jam nos vocant Adverſariorum querelæ. Audiamus.

§. II.

§. II.

Solvuntur Argumenta.

X. Objiciunt primò. Ponere voluntatem Dei, ejuſque decretum ab intrinſeco efficax, videtur accedere ad errorem Calvini, qui propterea omnem creatam libertatem negavit; quia gratiam ità efficacem ponebat, ut nullâ potentiâ poſſit ei voluntas creata reſiſtere. Contra quem Tridentinum *ſeſſ.6. can.* 4. Statuit: *liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum poſſe diſſentire, ſi velit:* atqui ponere decretum ab intrinſeco efficax, eſt illud ponere tale, ut nulla potentia poſſit ei reſiſti, & ſtante tali decreto non poſſit liberum arbitrium ab eo motum ei diſſentire, ſi velit, ergo &c.

XI. Ut appareat, quantùm à Calvini errore diſtet noſtra, & D. Thomæ doctrina, obſervo, quòd, ſicut S. Auguſtinus de ſuis temporibus dicebat *lib. de gratia, & liber. arbitr. c.1. ſunt quidam, qui ſic gratiam Dei defendunt, ut negent hominis liberum arbitrium* [& hi erant Manichæi] *aut quando gratia defenditur, negari exiſtiment liberum arbitrium* (& hi erant Semipelagiani, & Pelagiani) ità de noſtris temporibus dicere poſſumus. Quidam enim videntes in Scripturis divinam voluntatem tantæ eſſe efficaciæ, ut ei non poſſit reſiſti; gratiam Dei, corda hominum vertere, emollire, quòcumque voluerit inclinare, intulerunt, gratiam Dei ità libero arbitrio dominari, ut ipſum prorsùs extinguat, eique inſideat, ſicut ſeſſor inſidet æquo, fræno, & calcaribus quòcumque voluerit impellendo: ità ut homo ſub gratia ſpontè quidem, & voluntariè agat, ſed non liberè libertate ſaltem indifferentiæ. Ità Calvinus *lib. 2. Inſt. c.4. & 5.* cui in hoc adhærere viſus eſt Janſenius. Alii verò timentes, ne, ſi totum dent gratiæ, & eam ſuaptè naturâ efficacem fateantur, liberum hominis arbitrium evertatur, & ad neceſſariò agendum adigatur, gratiam quidem ſtatuunt: at ſuaptè naturâ indifferentem, quæ ſolùm reddatur efficax ex conſenſu prævifo. Ità ſentiunt Molinæ Diſcipuli. At vera D. Thomæ Schola, neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram declinans, ſed medium tenens, gratiæ energiam, ac efficaciam tuetur, & liberi arbitrii creati jura defendit. Quaproter cum Calvino, nec in antecedente, nec in conſequente, nec in conſequentia convenit. Non in antecedente: quia Calvinus ſtatuit hoc antecedens, gratia efficax liberum arbitrium extinguit (quod & Moliniſtæ dicunt) Thomiſtæ verò cum D. Thom. dicunt, gratiæ efficaciam facere libertatem, & arbitrii indifferentiam expedire, non lædere. Non in conſequente: quia Calvinus liberum arbitrium de facto tollit; Thomiſtæ illud ſincerè prædicant. Non in conſequentia: quia Calvinus ex efficacia gratiæ infert liberi arbitrii deſtructionem; Thomiſtæ ex eadem inferunt liberi arbitrii poſitionem. Licèt autem Calvinus uſurpet aliquando diſtinctionem ſenſus compoſiti, & diviſi, quam etiam uſurpant Thomiſtæ cum D. Thoma, & Patribus; non tamen legitimè, ac ſincerè ſignificatum illarum vocum admittit: ſed malitioſè illis abutitur. An autem Moliniſtæ ità à Pelagio, & ſuis aſſeclis ſecernantur piè credimus: at probare ipſorum eſt, non noſtrum.

XII. Dico quidem, Concilium Tridentinum ipſis non favere, imò adverſari. Primò, quia ponit Deum ſic prævenire, ut maneat libertas: quod ſignificat præventionem Dei non tollere libertatem. Secundò, quia dicit, liberum arbitrium à Deo moveri, & cor tangi; ergo ex mente Concilii Deus non ſolùm cùm cauſa dùm agit, ſed agit in cauſam eam movens, & faciens, ut agat. Tertiò, quia Concilium dicit, liberum arbitrium à Deo motum non ſe habere *merè paſſivè*: ſi autem ſentiret, liberum arbitrium non propriè moveri à Deo motione reali intrinſecâ tangente ipſum, deberet ſimpliciter negare, quòd ſe habeat paſſivè,

Digitized by Google

vè, & non ſolùm quòd *merè paſſivè*: per hoc enim ſignificat, quòd eſto ſe habeat paſſivè, non tamen prorsùs paſſivè, ſive nihil agat; ſed partim paſſivè recipiendo motionem, partim actìvè, quia ſic patitur, ut agat etiam: nec ſit velut quoddam inanime. Hoc hauſiſſe puto ex Auguſt. *lib. de corrept. & gratia c. 2.* ubi quibuſdam, ità conquerentibus: *Ut quid nobis prædicatur, atque præcipitur, ut declinemus à malo, & faciamus bonum, ſi hoc non agimus; ſed id velle, & operari Deus operatur in nobis?* Ità reſpondet. *Potiùs intelligant, ſi Filii Dei ſunt. Spiritu Dei ſe agi, ut quod agendum eſt agant, & cum egerint, illi à quo agunt, gratias agant. Aguntur enim; ut agant, non ut ipſi nihil agant &c.*

XIII. Quare ad id, quod Concilium dicit, poſſe nimirùm liberum arbitrium abjicere inſpirationem, & diſſentire Deo vocanti, ſi velit, Reſpondeo primò, Concilium rectè intelligi poſſe de gratia, ſeu Deo movente, & excitante ſolùm moraliter, per ſuaſiones, & inſpirationes, aut bona deſideria; quæ certum eſt poſſe ab homine reſpui, & abjici, etiam in ſenſu compoſito, juxta illud Prov. 1. *Vocavi, & renuiſtis*: ideòque dicit, liberum arbitrium *à Deo motum, & excitatum*, quo ità homini ſuadetur, ut uni perſuadeatur, alteri non, ut ait Auguſt. *lib. de ſpiritu, & lit. cap.* 34. non verò de gratia, ſeu de Deo phyſicè movente, hæc enim motio nunquam abjicitur, nec purè excitat, ſed facit, ut faciamus præbendo vires efficaciſſimas voluntati, ut ſuperius dictum eſt cum Auguſtino *lib. de gratia, & lib. arbitr. c.16.*

XIV. Reſpondeo ſecundò, rectè quoque poſſe exponi Concilium de gratia, & Deo phyſicè efficaciter movente: ſed verba Concilii cum diſtinctione interpretanda ſunt, nimirùm: liberum arbitrium à Deo motum &c. poſſe motionem abjicere, & diſſentire, poſitivè reſiſtendo motioni, & conjungendo diſſenſum cum motione efficaci ad conſenſum, ſeu in ſenſu compoſito, nego, quòd hæc ſit mens Concilii. Negativè, ità ut liberum arbitrium motum, adhuc retineat indifferentiam ad ponendum diſſenſum abſolutè, & præciſivè à motione ad conſenſum, ſeu in ſenſu diviſo, concedo, quòd hæc ſit mens Concilii. Quod ſic oſtendo. Cùm enim Patres, qui Concilium formabant memores eſſent Scripturæ dicentis Deo: *nemo eſt, qui tuæ poſſit reſiſtere voluntati: Voluntati enim ejus quis reſiſtit, & omnia quæcumque voluit fecit*: memores etiam eſſent verborum S. Auguſtini in *Enchirid. c.* 95. effectum voluntatis divinæ non poſſe impediri per voluntatem creaturæ, & *lib. de prædeſt. SS.* dicentis cap. 8. *Hæc itaque gratia, quæ occultè humanis cordibus divinâ largitate tribuitur, à nullo duro corde reſpuitur. Ideò quippè tribuitur, ut cordis duritia primitùs auferatur*: cùmque ſcirent, naturam gratiæ efficacis (undecumque ſit efficax) eſſe, ut ſuo effectu non fruſtretur; aliàs eſſet efficax, & non eſſet: non poterat eis venire in mentem, quòd liberum arbitrium poſſet gratiæ efficaci reſiſtere, & cum ea oppoſitum conjungere: ideòque non dixerunt, ut intendit Arguens, liberum arbitrium Deo moventi poſſe reſiſtere. Sed ſolùm voluerunt, liberum arbitrium à Deo motum, non neceſſitari ad volendum, ut Calvinus aſſerebat; ſed adhuc retinere indifferentiam poteſtatis ad non volendum, ſeu ad diſſentiendum abſolutè, ſeu ad ponendum diſſenſum diviſivè à motione. Quod eò magis confirmo: quia Concilium *cap. illo 5. ſeſſ. 6.* ponit ab homine recipi inſpirationem illam, quam dicit poſſe abjici: evidens autem eſt fieri non poſſe, ut illam ſimul recipiat, & abjiciat; ergo quando dicit, illam inſpirationem, quæ recipitur, poſſe abjici, debet intelligi in ſenſu diviſo: & hoc ad revincendum Calvinum ſatis erat. Cùm enim iſte ſolam poneret gratiam efficacem neceſſitantem ad agendum, omni gratia merè ſufficiente ſeclusâ, omnemque indifferentiam poteſtatis

ſtatis voluntati eriperet: Concilium ſtatuit duo: nimirum dari gratiam ſufficientem excitantem, prævenientem, dantem poſſe; & ulteriùs gratiam efficaciter cor tangentem, cum indifferentia tamen: quia, cùm ità conſentiat illuminationi, ut eam abſolutè poſſit abjicere, & conſenſus ſuper illa fundetur, fit, ut ex conſequenti, licèt efficacia faciat, ut de facto non diſſentiat; poſſit tamen, adhuc ſtante gratiâ efficaci, diſſentire, quod Calvinus negabat.

XV. Objiciunt ſecundò. Efficacia, & determinatio decreti divini ad ponendum actum liberum non eſt in noſtra poteſtate, ut nobis detur; dat enim Deus hujuſmodi gratiam prout vult, cui vult, quando vult; antecedit ſiquidem omnem noſtrum actum, & conſenſum ex parre noſtra. Nec eſt in noſtra poteſtate, ut ſemel data repellatur, & fruſtretur; ità ut de facto ſtante illâ efficaciâ voluntas humana diſſentiat; ergo illa efficacia tollit libertatem. Ant. eſt certum. Conſequentia verò probatur. Tunc efficacia libertatem tollit, quando eſt ſuppoſitio antecedens cauſans in voluntate determinationem ad unum, non relinquendo in ea poteſtatem, ſive ad talem motionem expellendam, ſive ad faciendum, ut ſtante eâ poſſit ab exercitio ceſſare: quando enim ſub tali motione voluntas exit in actum, exit ut determinata antecedenter, & ſine ulla indifferentia, & poteſtate ad oppoſitum; quia exit ſine poteſtate in id, quo poſito, impoſſibile eſt poni oppoſitum.

XVI. Hæc, & ſimilia olim oppoſita fuere D. Auguſtino, & ab eodem contrita, ut conſtat ex epiſt. Proſperi, & Hilarii, quæ ſtant ante libros *de Prædeſtinat. SS. & de dono Perſeverantiæ.* Refert enim Proſper, Semipelagianos dicere: *Removeri omnem induſtriam, tollique virtutes; ſi Dei conſtitutio humanas præveniat voluntates, & ſub hoc prædeſtinationis nomine fatalem quandam induci neceſſitatem*. Hilarius etiam eorum ſententiam circa perſeverantiam recenſens, ait, moleſtè eos ferre, quòd hominibus prædeſtinatis non ſolùm detur id, *ſine quo perſeverantes eſſe non poſſint, verùm etiam, ut per hoc donum nonniſi perſeverantes ſint*. Dicebant enim ex hoc *quandam deſperationem hominibus exhiberi*. Quibus tantum abfuit, ut Auguſtinus, quæ dixerat retractaret, aut emolliret, quin potiùs jam dicta confirmans *lib. de Prædeſt. SS. cap.* 8. dixerat: *Hæc itaque gratia, quæ occultè humanis cordibus divinâ largitate tribuitur, à nullo duro corde reſpuitur. Ideo quippè tribuitur, ut cordis duritia primitùs auferatur.*

Et *lib. de gratia, & lib. arbitr. c.* 20. directè reſpondens: *ſatis* (inquit) *me diſputaſſe arbitror adversùs eos, qui gratiam Dei vehementer oppugnant, quâ Voluntas humana non tollitur, ſed ex mala mutatur in bonam, & cùm bona fuerit adjuvatur: & ſic diſputaſſe, ut non magis ego, quàm divina ipſa Scriptura locuta ſit evidentiſſimis teſtimoniis veritatis; quæ Scriptura divina, ſi diligenter inſpiciatur, oſtendit, non ſolùm bonas hominum voluntates, quas ipſe facit ex malis, & à ſe factas bonas in actus bonos, & in æternam dirigit vitam: verùm etiam illas, quæ conſervant ſæculi creaturam, ità eſſe in Dei poteſtate, ut eas quò voluerit, quando voluerit faciat inclinari &c.* Sic ergo gratiam defendit S. Auguſtinus, ut antecedat, ac præveniat humanas voluntates, ſit efficax, ut à nullo duro corde reſpuatur, quòcumque voluerit, & quando voluerit inclinet voluntatem, quin liberum arbitrium lædatur; ſed ex malo vertatur in bonum, & cùm bonum fecerit adjuvetur.

XVII. Hæc eadem ſibi objecit S. Thomas 1. *part. quæſt* 19. *art.* 8. *in* 2. ſic. *Omnis cauſa, quæ non poteſt impediri, ex neceſſitate ſuum effectum producit, quia & natura ſemper idem operatur, niſi aliquid impediat; ut dicitur in ſecundo Phyſic. ſed voluntas Dei non poteſt impediri: dicit enim Apoſt. ad Rom.* 9. Voluntati enim ejus, quis reſiſtit? *ergo voluntas Dei imponit rebus volitis neceſſitatem*. Et

in

in tertio ſic. *Illud quod habet neceſſitatem ex priori, eſt neceſſarium abſolutè ..... ſed res creata à Deo comparantur ad voluntatem divinam, ſicut ad aliquid priùs, à quo habent neceſſitatem: cùm hæc conditionalis ſit vera: ſi aliquid Deus vult, illud eſt. Omnis autem conditionalis vera eſt neceſſaria: ſequitur ergo, quòd omne quod Deus vult ſit neceſſarium abſolutè*. Nonnè hæc iiſdem ferè terminis ſunt, quæ nobis à Medjiſtis objiciuntur?

His autem quomodo reſpondet D. Thomas? Nunquid negat voluntatem divinam non poſſe impediri? nunquid negat voluntatem divinam quatenùs efficacem antecedere, & eſſe priorem rebus creatis, & noſtris actibus? Nequaquam. Aſſerit, voluntatem divinam non poſſe impediri, aut ei reſiſti; aſſerit, antecedere, & eſſe priorem, & neceſſariò neceſſitate conſequentiæ inferre ea, quæ vult, & tamen ſalvat in rebus libertatem. Audiant ergo. *Ad ſecundum dicendum, quòd ex hoc ipſo, quod voluntati divinæ nihil reſiſtit ſequitur, quòd non ſolùm fiant ea, quæ Deus vult fieri, ſed quòd fiant contingenter, vel neceſſariò, quæ ſic fieri vult*. En quomodo ex eodem principio, quo Adverſarii putant deſtrui, Sanct. Doctor aſſerit libertatem, & contingentiam. Rursùs: *Ad tertium* (inquit) *dicendum, quòd poſteriora habent neceſſitatem à prioribus ſecundùm modum priorum: unde & ea, quæ fiunt à voluntate divina, talem neceſſitatem habent, qualem Deus vult, illa habere, ſcilicet, vel abſolutam, vel conditionalem tantùm, & ſic non omnia ſunt neceſſaria abſolutè*. Quare ex efficacia antecedente voluntatis divinæ ſolùm infert D. Thomas neceſſitatem conditionalem, nempè, quòd ſi Deus vult hoc eſſe, hoc erit, quæ non obſtat contingentiæ, & libertati. Quod apertius de voluntate creata docuit 1. 2. *qu.* 10. *art.* 4. *ad* 3. dicens: *Si Deus determinat voluntatem ad aliquid, impoſſibile eſt poni, quòd voluntas ad illud non moveatur: non tamen eſt impoſſibile ſimpliciter: unde non ſequitur, quòd voluntas à Deo ex neceſſitate moveatur*.

XVIII. Ex dictis patet ſolutio ad propoſitum argumentum, conc. antecedente, neg. conſequentiam. Ad probat. diſtinguo ant. Quando illa ſuppoſitio antecedens eſt à cauſa volente, & cauſante ſubſtantiam actus, & non modum actus, concedo. Quando eſt à cauſa volente, & cauſante ſubſtantiam, & modum actus, nego ant. Vel aliter diſt. Quando illa ſuppoſitio antecedens eſt ſecundum naturam, imò exigita à natura libertatis, nego ant. non enim tollit, ſed facit libertatem. Quando non eſt juxta naturam, neque exigita à natura libertatis, conc. antec. Ex quo ergo voluntas Dei ſit efficaciſſima, ſequitur, quòd non ſolùm fiat id, quod vult fieri, ſed quòd fiat eo modo quo fieri vult: unde cum velit actus liberos fieri liberè, tantùm abeſt, ut liberè non fiant, quin potiùs nihil impedire poſſit, ne liberè fiant. Imò nihil liberè fieret, ſi Deus id efficaciter non vellet, cùm natura voluntatis creatæ talis ſit, ut nihil liberè agat, niſi eo, qui cauſa voluntatis eſt, faciente, ut agat. Quare eſto ſuppoſitio antecedens, quæ non ſit ipſa Dei voluntas, & quę à natura voluntatis non exigatur, non cohæreat cum libertate; tamen ſuppoſitio antecedens, quæ Dei libertas eſt, qui naturam voluntatis condidit, & qui in ea agit ſecundum ejus conditionem, non ſolum libertatem non evacuat, ſed libertatem facit. Et licèt eâ poſitâ ſequatur actus, ità ut non poſſit non ſequi; ſequitur tamen, pro ut Deus vult illum ſequi, ideſt neceſſariò neceſſitate conditionatâ, quatenus ſi Deus vult actum eſſe, erit; non tamen neceſſitate abſoluta, quæ ſola libertati obſtat. Hæc eſt Doctrina S. Thomæ.

XIX. Neque ex hoc, quòd divina voluntas ſit hypotheſis à nobis inimpedibilis, ſeu antecedens, quam ponere, vel tollere non eſt in noſtra poteſtate, ſequitur, quòd id, quod ex ea ſequitur, in noſtra poteſtate non ſit. Nam ut refert Sylvius *de motione primi*

mi motoris p. 4. art. 3. propoſitio ſub ſimili forma nempè: *quod ſequitur ex inimpedibili, ipſum quoque eſt inimpedibile*, procurantibus Lovanienſibus (ut ex Actis illius temporis conſtat) damnata fuit Romæ ſub *Sixto IV. anno* 1476. Et jure quidem. Nam ex hac hypotheſi, ſeu antecedente, quod non eſt in poteſtate humana: *Deus ab æterno decrevit pati Chriſtum ſuum*, ſecutum eſt neceſſariò, ſeu infallibiliter hoc conſequens: *Chriſtus eſt paſſus*: quod tamen ſic erat in poteſtate humana Chriſti, ut dicatur Iſaiæ 53. v. 7. *Oblatus eſt, quia ipſe voluit*. Præterea ſi dicta axiomata vera ſunt, omnia erunt neceſſaria, & nihil contingens; quia omnia ex hypotheſi, & antecedente, quod non eſt in noſtra poteſtate, divina ſcilicet ordinatione, providentia, & voluntate, quæ omnia ab æterno decrevit facere, & voluit omnia, quæ in tempore facit, procedunt.

Tertiò, præfatum axioma deſtruit Mediiſtarum ſiſtema. Nam vocatio Petri congrua non eſt in Petri poteſtate, nec à Petro poteſt impediri; & cum ex ea ſequatur infallibiliter Petri converſio, hæc enim conditionalis eſt neceſſaria: *Si Deus congruè vocaverit Petrum, Petrus convertetur*; ergonè Petri converſio non erit in ejus poteſtate, quia in ejus poteſtate non eſt congrua vocatio?

XX Nunc explicandum ſupereſt, quomodo actus in noſtra poteſtate eſſe poſſit, quùm in noſtra poteſtate non ſit ponere, vel auferre divinam voluntatem, quâ poſitâ actus ità ſequitur, ut nulla potentia poſſit non ſequi. Hoc tamen auxiliante Deo, ope D. Thomæ præſtabimus, ſupponendo ex doctrina ejus, quòd contingentia, aut neceſſitas actus non ſumitur ex cauſa ſuprema, & prima, ſed ex cauſa proxima: ità ut effectus, *poſſit eſſe contingens propter cauſam proximam contingentem*, etiam ſi cauſa ſuperior, & univerſalis ſit neceſſaria: *Sicut germinatio plantæ eſt contingens propter cauſam proximam contingentem, licèt motus Solis, qui eſt cauſa prima, ſit neceſſarius: & ſimiliter ſcita à Deo ſunt contingentia propter cauſas proximas, licèt ſcientia Dei, quæ eſt cauſa prima, ſit neceſſaria*. Ità D. Tho. 1. *p. qu.* 14. *art.* 13. *ad* 1. *qu.* 19. *ar.* 8. *qu.* 116. *art.* 3. Non quidem ità ut contingentia effectus unicè, & ultimò reducatur in cauſam proximam contingentem, hoc enim reprobat S. D. *qu.* 19. *art.* 8. aliàs ſequeretur, quòd *effectus cauſæ primæ poſſet impediri per defectum cauſæ ſecundæ, ſicut virtus Solis per defectum plantæ impeditur*. Sed quia cùm voluntas Dei ſit efficaciſſima, & ex ea ſequantur non ſolùm quæ vult, ſed eo modo, quo ea fieri vult; his quæ voluit fieri contingenter aptavit cauſas contingentes, his quæ voluit fieri neceſſariò, cauſas neceſſarias accommodavit. *Non igitur* (concludit S. Doctor) *propterea effectus voliti à Deo eveniunt contingenter, quia cauſæ proximæ ſunt contingentes: ſed propterea quia Deus voluit eos contingenter evenire, contingentes cauſas ad eos præparavit*. Cùm ergo ſic ſe habeat effectus contingens ad cauſam proximam contingentem, ut actus liber ad cauſam liberam; ſicut effectus manet contingens, & contingenter evenit, quamvis cauſa proxima contingens non poſſit impedire cauſam primam, ità actus liber erit, & liberè, ſeu cum poteſtate ad oppoſitum exiet à cauſa libera creata, quamvis non poſſit impedire ullâ poteſtate voluntatem Dei. Quia cùm ſit efficaciſſima, dùm voluit actum liberum, aptavit illi cauſam liberam, & voluit ipſam agere cum indifferentia, & poteſtate ad oppoſitum: & quemadmodum cùm voluit effectum neceſſarium, aptavit illi cauſam habentem formam determinatam ad unum, & ideò illi non aufert, quin ſit neceſſarium; ità cùm voluit actum liberè fieri, aptavit illi cauſam agentem cum indifferentia virtutis, & judicii, nec proinde aufert, quin actus in ejus maneat poteſtate, ſed potiùs hoc facit in ea; agit enim *in unoquoque ſecundùm ejus proprietatem*, ut docet 1 *part. qu.* 83. *artic.* 1. *ad* 3. Unde D. Auguſt. lib. 1. retract. c. 22.

Digitized by Google

c. 22. *in poteſtate* (inquit) *hominis eſt mutare voluntatem : ſed hac poteſtas nihil eſt , niſi à Deo detur .*

XXI. Quamvis hàc doctrinâ omnes Adverſariorum inſtantiæ ſolvi poſſint, adhuc tamen placet illas apponere. Dicunt ergo primò .Omnis ſuppoſitio antecedens infallibiliter connexa cum actu, cujus poſitio, vel ablatio non eſt in noſtra poteſtate, infert neceſſitatem antecedentem oppoſitam libertati : ſed hujuſmodi eſt decretum efficax Dei : hoc enim antecedit actum, cùm ſit cauſa ejus, infallibiliter eſt connexum cum actu, & illud ponere, vel auferre in noſtra poteſtate non eſt; ergo &c.

XXII. Dicunt ſecundò. Decretum efficax de amore eſt impedimentum voluntati non liberum, & ab ipſa indiſſolubile, quo impeditur, ne eliciat odium; ergo manet neceſſitata ad amorem. Conſequentia probatur. Ideò enim ligatus catenis eſt neceſſitatus ad non currendum, quia habet impedimentum ad curſum ipſi non liberum, & ab ipſo inſolubile.

XXIII. Quod confirmant. Tunc enim tollitur libertas, quando ab aliquo extrinſeco impeditur potentia ad oppoſitum: ſed poſita illâ efficaciâ antecedente actum impeditur potentia ad oppoſitum; ergo &c. Min. probatur. Tunc manet impedita facultas ad actum, quando ponitur aliquid obſtans actui, ſeu ne talis actus ponatur: ſed quando Deus efficaciter movet, aut decernit actum conſenſus, facultas ad diſſenſum habet aliquid obſtans, ne tunc ponat diſſenſum, nempè efficaciam illam motionis, & decreti antecedentem, quam non poteſt creata voluntas, nec avertere, nec fruſtrare; ergo &c.

XXIV. Reſpondeo ad primam inſtantiam primò, ex doctrina ſuperius ſtabilita, diſtingu. maj. Si iſta ſuppoſitio antecedens ſit neceſſaria, ut actus liber exiſtat, neg. maj. Cum enim cauſa neceſſaria ad exiſtentiam effectus, non deſtruat, ſed ponat effectum; ideò ſuppoſitio antecedens, & inferens actum, ac neceſſaria, ut exiſtat actus liber, non aufert ab illo libertatem, ſed hanc in eo facit Suppoſitio antecedens, quæ non eſt neceſſaria ad exiſtentiam actus &c. tranſeat maj. Et ſimiliter diſtinguo mi. Decretum enim efficax Dei eſt ſuppoſitio antecedens neceſſaria ad exiſtentiam actus liberi creati, & propterea non deſtruens, ſed cauſans in actu libertatem. Neque enim ad hoc, ut actus liber exiſtat requiritur, ut poſſit à ſe avertere, vel fruſtrare id, ſine quo actus liber non exiſteret: ſicut ut effectus exiſtat, non requirit ut tollatur id, ſine quo non exiſteret, ſed potius ut ponatur. Eſto autem voluntas ut liberè agat debeat eſſe domina ſui actus, ut actus procedit ab ipſa; non debet tamen eſſe domina omnium, quæ requiruntur, ut actus exiſtat, eorum præſertim, quæ requiruntur ex parte Dei. *Voluntas* enim (inquit D. Thom. *qu.* 3. *de potentia art.* 7. *ad* 13.) *dicitur habere dominium ſui actus, non per excluſionem cauſa prima: ſed quia cauſa prima non ità agit in voluntate, ut eam de neceſſitate ad unum determinet, ſicut determinat naturam. Et ideò determinatio actus relinquitur in poteſtate rationis, & voluntatis*. Quamobrem etſi divina voluntas infallibiliter inferat actum, quia tamen illum infert ut ponendum ſecundum naturam voluntatis, ut ſcilicet illum ponat ex judicio rationis, & electione, neceſſe quidem erit, ut actus ille à Deo volitus exiſtat; non tamen neceſſitate abſolutâ, ità ut abſolutè non poſſit non eſſe, ſed neceſſitate ſolum conditionali, quia hæc conditionalis eſt vera, & neceſſaria: *Si Deus vult hoc eſſe, hoc erit*, ut ſupra ex D. Thom. vidimus, & ulteriùs *q.* 23. *de verit. art.* 5. *ad* 3. ubi ait: *Quamvis non eſſe effectus divina voluntatis non poſſit ſimul ſtare cum divina voluntate: tamen potentia deficiendi effectum ſimul ſtat cum divina voluntate. Non enim ſunt iſta incompoſſibilia: Deus vult iſtum ſalvari, & iſte poteſt damnari: ſed iſta ſunt incompoſſibilia: Deus vult iſtum ſalvari, & iſte damnatur.*

XXV. Ut autem magis explicetur

folu-

Digitized by Google

ſolutio data, Reſpondeo ſecundò, aliter diſtinguendo maj. ſuppoſitio antecedens actum, & etiam principia conſtitutiva libertatis, infert &c. conc. ma. Suppoſitio antecedens quidem actum, conſequens tamen principia conſtitutiva libertatis, eamque ſupponens in actu primo proximo complete conſtitutam, infert &c. Subdiſt. neceſſitatem conditionalem, conced. maj. abſolutam, nego maj. Voluntas ergo divina efficaciter decernens voluntatis creatæ actum ſtat media inter principia libertatis conſtitutiva in actu primo, & actum liberum, iſtum quidem antecedens, cum ſit applicatio ad ipſum, illa verò ſupponens; ſupponit enim in voluntate indifferentiam, tùm virtutis, tùm judicii, quæ ſunt principia conſtitutiva libertatis in actu primo. Porrò cùm hæc ſuâptè naturâ ſint otioſa, & ab omni exercitio libero ſuſpenſa, voluntas divina, quæ in unoquoque agit ſecundùm ejus proprietatem, ut oſtendimus, facit, ut ab otio, & ſuſpenſione liberè ſeſe explicent, illæsâ manente eorum indifferentiâ poteſtatis: & ſic in hunc actum erumpant, ut retineant poteſtatem ad oppoſitum. Quòuſque enim in intellectu perſeverat indifferentia judicii, perſeverat in voluntate libertas; ſicut è contra, quia intellectus Beati non proponit voluntati Deum amandum cum indifferentia, voluntas Beati non amat Deum liberè, & cum poteſtate illum non amandi, ſed ad illum amandum felici rapitur neceſſitate.

XXVI. Ad ſecundam inſtantiam, diſt. antec. eſt impedimentum, quo impeditur, ne eliciat odium, quia facit eam liberè elicere amorem, conc. ant. aliter, neg. ant. Voluntas ergo Dei efficax de amore, impedit quidem voluntatem creatam, ne exeat in odium, non impedimento violentiam, vel neceſſitatem inducente, vel auferente poteſtatem, vel alligante libertatem ad actum amoris: nam voluntas Dei, ut dicebamus, utpotè non antecedens, ſed conſequens principia intrinſeca libertatis, non aufert indifferentiam virtutis, & judicii. Solùm ergo dicitur impedire voluntatem, ne ponat actum odii, quia facit illam liberè ſe exercere per actum amoris. Quare ſicut voluntas liberè ſe exercens per unum actum, non amittit poteſtatem ad actum oppoſitum; ità nec divina voluntas, quæ in illa agit ſecundùm ejus naturam, hanc illi eripit poteſtatem.

Exemplum autem catenarum non eſt ad rem. Nam catenæ verè ligant potentiam progreſſivam, ne procedat ad motum, imò violentiam inferunt voluntati hominis ligati, qui nolens deſiſtit à motu. At efficacia voluntatis Dei non ligat, ſed ſolvit indifferentiam ſuſpenſionis, quâ durante voluntas eſt impedita ad exercendum quemcumque actum. Et licèt dùm movet ad unum, impediat, ne exerceat alterum, hoc facit, quia voluntas ſe determinat ad actum oppoſitum, ſeu quia facit, ut voluntas liberè velit oppoſitum. Non enim facit Deus, ut homines nolentes agant, ſed ut volentes ex nolentibus, vel non volentibus, fiant.

Ex quo patet alia diſparitas. Voluntas enim ſub efficaci voluntate amoris ſolùm impeditur, ne ponat odium, quia liberè ponit actum amoris: homo verò catenis ligatus non eſt impeditus à curſu, quia liberè, & voluntariè ponat oppoſitum: catenæ enim non inferunt carentiam curſus per hoc, quòd inferant veram voluntatem non currendi, ſed per hoc quòd violenter externum motum impediant.

Et hinc naſcitur etiam tertia diſparitas. Curſus enim, cum in ſe non ſit liber, ſolùm poteſt dici liber, quatenùs ſubeſt imperio voluntatis. Cùm autem in homine ligato non ſubdatur imperio voluntatis, quia carentia curſus, quâ curſus impeditur, eſt prorsùs involuntaria, imò violenta, ideò non manet amplius liber. At actus odii etiam ſuppoſitâ voluntate Dei efficaci de amore, manet in poteſtate voluntatis, quia non aliter vult determina-

tionem ad amorem, niſi ut ponendam à creata voluntate ut principio indifferente, & proindè liberè.

XXVII. Ad confirmat. diſtinguo maj. quando impeditur ab aliquo extrinſeco, agente contra naturam voluntatis, conc. ma. agente ſecundum ejus proprietatem, & inferente liberam poſitionem unius extremi, nego maj. Talem autem eſſe efficaciam divinæ voluntatis, oſtendimus. Ad probationem min. ſimiliter diſtinguo, quando illud obſtans eſt libera poſitio actus oppoſiti, nego ma. quando illud obſtans eſt aliquid, quod non ſit libera poſitio actus oppoſiti, conc. maj. Non ergo tollitur facultas ad oppoſitum, quando illud obſtans, quod ponitur eſt liberum exercitium alterius extremi; quia potentia libera, dùm ſe exercet per unum actum, non amittit indifferentiam poteſtatis ad alium ponendum abſolutè, eſto non ad illum componendum cum alio extremo. Cùm itaque voluntas Dei efficax de amore à creatura ponendo, obſtet, ne ponatur odium, quia vult liberam poſitionem amoris, non obeſt, quin maneat potentia indifferentiæ ad odium abſolutè ponendum.

Neque officit, quòd voluntas Dei efficax de amore ſecum ferat voluntatem efficacem Dei denegandi concurſum ad odium. Nam ſicut voluntas Dei concurrendi ad odium non facit, nec dat potentiam ad ponendum odium, ſed illam in creata voluntate ſupponit: ità voluntas denegandi concurſum ad odium, obſtat quidem, ne actu ponatur odium, non tamen, ne poſſit poni.

XXVIII. Objiciunt tertiò, & replicant. Libertas eſſentialiter conſiſtit in indifferentia ad oppoſita: ſed decretum ſuâ efficaciâ tollit hanc indifferentiam, poſſit enim determinationem ad unum; ergo &c.

Si reſpondeatur, diſt. maj. in indifferentia poteſtatis, conc. maj. in indifferentia ſuſpenſionis, nego maj. & diſtinguatur eodem modo min. Indifferentia enim alia eſt ſuſpenſionis, alia poteſtatis. Prima eſt ſuſpenſio, ſeu ceſſatio ab omni actu: Secunda eſt poteſtas, & dominium ad utrumque oppoſitum: ità ut taliter faciat unum, ut retineat potentiam ad oppoſitum. Efficacia ergo divinæ voluntatis tollit quidem indifferentiam ſuſpenſionis, quatenùs reducit voluntatem ab otio, & ſuſpenſione, eamque determinat ad exercitium: quia tamen eam reducit ſecundùm modum ſuum, eamque determinat, ut liberè agat, non tollit, ſed exercere facit indifferentiam poteſtatis, & dominii, in qua libertas conſiſtit.

XXIX. Contra eſt. Efficacia divinæ voluntatis tollit etiam indifferentiam poteſtatis; ergo tollit libertatem. Antec. prob. Voluntas creata, ut ſtat ſub efficaci voluntate Dei, eſt neceſſitata ad unum, puta ad amorem: ità, ut non poſſit non elicere amorem; ergo &c. ant. prob. Quia divina efficacia eſt infallibilis, & infruſtrabilis, neque eſt, aut fuit in poteſtate voluntatis illam advocare, vel advocatam rejicere, aut auferre.

Confirmatur. Voluntas enim non poteſt aliud eligere, quàm id, quod Deus vult, ut eligat; ergo non eſt in ejus poteſtate agere, & non agere.

XXX. Reſpondetur, negando antec. ad probat. diſt. antec. ità, ut non poſſit non ponere amorem, ut à Deo volitum, concedo antec. abſolutè, nego antecedens. Ex hoc tamen non infertur neceſſitas abſoluta, & antecedens, ſed ſolum conditionalis, & conſequens. *Quando enim* (ait D. Thomas 1. *p. q.* 14. *art.* 13. *ad* 2.) *in antecedente ponitur aliquid pertinens ad actum animæ, conſequens eſt accipiendum, non ſecundùm eſſe, quod in ſe eſt: ſed ſecundùm quòd eſt in anima. Aliud enim eſt eſſe rei in ſeipſa, & eſſe rei in anima. Ut puta ſi dicam; ſi anima intelligit aliquid, illud eſt immateriale; intelligendum eſt, quòd illud eſt immateriale ſecundùm quòd eſt in intellectu; non ſecundùm quòd eſt in ſeipſo. Et ſimiliter ſi dicam: ſi*

Digitized by Google

Deus ſcivit aliquid, illud erit; conſequens intelligendum eſt, prout ſubeſt divina ſcientia . . . & ſic neceſſarium eſt, ſicut & antecedens. Quia omne quod eſt, quando eſt, neceſſe eſt eſſe, ut dicitur 1. Peribermen. Cùm ergo eſſe volitum à Deo ſignificet aliquid pertinens ad actum animæ, non minùs, quàm eſſe ſcitum; ſicut cùm dicitur: ſi Deus ſcivit aliquid, illud erit; conſequens eſt neceſſarium, non in ſe, & abſolutè, ſed ut ſubeſt divinæ ſcientiæ: ità dùm dicitur: ſi Deus vult actum liberum à creatura, iſte erit; conſequens erit neceſſarium, non in ſe, & abſolutè, ſed ut ſubeſt divinæ voluntati.

XXXI. Aliter quoque exponi poteſt præfata ſolutio, ex doctrina ejuſdem S. Doctoris loco citato *ad* 3. quòd hæc propoſitio: *Omne volitum à Deo eſſe, neceſſarium eſt eſſe*, regulari debet, & explicari, ſicut iſta: *omne ſcitum à Deo eſſe, neceſſarium eſt eſſe*. Sicut autem iſta (ait D. Tho.) conſuevit diſtingui, quòd poteſt eſſe de re, vel de icto. Si intelligatur de re, eſt diviſa, & falſa; quia facit ſenſum, quòd omnis res ſcita à Deo ſit neceſſaria. Si autem intelligatur de dicto, ſic eſt compoſita, & vera; quia hoc dictum: ſcitum à Deo eſſe eſt neceſſarium; cùm impoſſibile ſit, quòd aliquid à Deo ſciatur eſſe, & illud non ſit. Ità hæc propoſitio: omne volitum à Deo eſſe, neceſſarium eſt eſſe, poteſt diſtingui. Vel enim eſt de re, vel de dicto. Si eſt de re, eſt diviſa, & falſa; quia facit ſenſum, quòd omnis res, quam vult Deus ſit neceſſaria: & hunc ſenſum facit arguens, dùm vult, quòd actus amoris ex eo, quòd ſit à Deo volente illum, ſit neceſſarius, & non liber voluntati. Si verò eſt de dicto, eſt compoſita, & vera; quia facit ſenſum, quòd hoc dictum, volitum à Deo eſſe ſit neceſſarium: ità ut impoſſibile ſit, quòd hoc ſit volitum à Deo eſſe, & non ſit.

Ad rem ergo præſentem, diſtinguo ant. voluntas creata, ut ſtat ſub efficaci voluntate Dei neceſſitatur, puta ad amorem, ſeu non poteſt non elicere amorem, ſi ſumatur de dicto, concedo ant. Facit enim ſenſum, quod dictum hoc: voluntas ſub voluntate efficaci Dei de amore amat, ſit neceſſarium, & impoſſibile ſit, quòd ſub voluntate efficaci de amore non amet. Si verò ſumatur de re, nego antecedens. Quia res, nempè voluntas, quam Deus vult, ut amet, neceſſariò non amat, nec amor à Deo volitus in ſe, & abſolutè neceſſarius eſt, eo modo, quo dùm dicitur: album impoſſibile eſt eſſe nigrum; ſi accipiatur, ut propoſitio de dicto, eſt vera, quia hoc dictum album eſſe nigrum, nunquam poteſt eſſe verum. Si verò accipiatur de re, eſt falſa, quia res, quæ eſt alba, poteſt eſſe nigra.

Neque dicas. Hoc verum eſſe in formis ſeparabilibus à ſubjecto, ſecùs verò in formis inſeparabilibus, ut ſi dicas: Corvus niger poſſibile eſt eſſe album, quod in utroque ſenſu eſt falſum, & impoſſibile: ſed voluntas efficax Dei de amore eſt inauferibilis à voluntate creata, quæ eam à ſe abjicere non poteſt; ergo in utroque ſenſu impoſſibile eſt, & falſum, quòd creata voluntas à Deo volita, ut amet, poſſit non amare.

Nam reſpondet D. Thom. loco laudato ad tertium, ubi loquens de ſcientia Dei, ait: *Hac autem inſtantia locum haberet, ſi hoc, quod dico ſcitum importaret aliquam diſpoſitionem ſubjecto inhærentem: ſed cum importet actum ſcientis; ipſi rei ſcitæ [licèt ſemper ſciatur] poteſt aliquid attribui ſecundùm ſe, quod non attribuitur ei, in quantùm ſtat ſub actu ſciendi: ſicut eſſe materiale attribuitur lapidi ſecundùm ſe, quod non attribuitur ei, ſecundùm quòd eſt intelligibile.* Ità dicam: hæc inſtantia locum haberet, ſi cùm dico, actum amoris eſſe volitum à Deo, importarem aliquam diſpoſitionem ex natura rei ſubjecto inhærentem, ſicut nigredo inhæret corvo: ſed cùm importem actum Dei volentis; rei volitæ (licèt Deus eam ſemper velit, nec fieri poſſit, ne velit) poteſt aliquid attribui ſecundùm ſe, quod

ei tribui non poteſt, ut à Deo volitæ. Hæc eſt doctrina S. Thomæ.

XXXII. Ex hac ortum habuiſſe puto familiares apud Noſtrates diſtinctiones in hac materia, nimirum potentiæ facientis ſenſum compoſitum, & potentiæ facientis ſenſum diviſum: potentiæ ſimultatis, & ſimultatis potentiæ: potentiæ conſequentis, & potentiæ antecedentis: potentiæ futuritionis, & potentiæ poſſibilitatis. Potentia faciens ſenſum compoſitum eſt potentia ad conjungendum ſimul duos actus contrarios, puta non amorem cum amore, ſeu voluntate efficaci de amore. Quare vocatur, etiam potentia ſimultatis, quia eſt potentia ad faciendum duo ſimul coexiſtere. Dicitur potentia conſequens, quia habet pro objecto, & termino rem veſtitam omnibus conditionibus, & circumſtantiis. Et denique vocatur potentia futuritionis, quia habet pro termino rem ut futuram. Potentia faciens ſenſum diviſum eſt potentia ad ponendum actum diviſivè, ſeu præciſivè à poſitione actus oppoſiti, quæ potentia cum ſimul ſtet, & conjungatur etiam cum poſitione actus oppoſiti, vocatur ſimultas potentiæ. Quia reſpicit ſuum terminum ſecundùm ſe, non ut veſtitum circumſtantiis, vocatur potentia antecedens. Quia demum illum non conſiderat, ut futurum, ſed ut poſſibile, vocatur potentia poſſibilitatis.

Juxta has diſtinctiones ad argumentum, diſt. ant. ità, ut non poſſit non elicere amorem potentiâ faciente ſenſum compoſitum, ſeu potentiâ ſimultatis, ſeu potentiâ conſequenti, vel potentiâ futuritionis, conc. antec. Quia potentia ſenſus compoſiti, ſeu ſimultatis ad negationem amoris, ſtante efficaci Dei voluntate de amore, eſſet potentia ad conjungendum ſimul non amorem cum amore; & potentia conſequens, & futuritionis ad non amorem, eſset potentia ad non amorem, ut futurum in circumſtantia voluntatis Dei de amore, & ipſius amoris; quæ omnis potentia cum ſit ad impoſſibile eſt chimerica. Potentiâ faciente ſenſum diviſum, ſimultate potentiæ, potentiâ antecedente, ſeu potentiâ poſſibilitatis, nego antec. Efficacia enim divinæ voluntatis de amore non aufert à voluntate creata potentiam ad non amorem abſolutè ſumptum, unde relinquit potentiam antecedentem, nimirum ad negationem amoris, ut abſolutè, & præciſivè à circumſtantia volitionis, & poſitionis amoris, poſſibilem.

XXXIII. Ad confirm. eodem modo dico, quòd voluntas creata non poteſt quidem potentiâ ſenſus compoſiti, ſimultatis, conſequenti, & futuritionis aliud eligere, quam id, quod Deus vult, ut eligat: poteſt tamen potentiâ ſenſus diviſi, ſimultate potentiæ, potentiâ antecedente, & poſſibilitatis, ut dictum eſt.

XXXIV. Hanc diſtinctionem irrident Moliniſtæ, ceu malè applicatam, & dicunt primò. De ratione cauſæ liberæ eſt poſſe conjungere negationem actus cum omnibus requiſitis, & antecedentibus actum: ſed per nos voluntas non poteſt conjungere negationem actus cum voluntate efficaci Dei de actu, quæ eſt unum de requiſitis ad actum, & antecedentibus actum; ergo &c.

XXXV. Secundò dicunt. Voluntatem creatam, ut ſtat ſub efficaci Dei decreto de amore, non poſſe ad odium in ſenſu compoſito, poſſe tamen in ſenſu diviſo, nil aliud eſt, quàm quòd ſtante illo efficaci decreto non poſſit, poſſet tamen ablato illo decreto: ſed hoc non facit, quòd voluntas ſtante efficaci decreto ſit actu libera, ſed ſolum, quòd eſſet libera, ſi illud decretum non adeſſet, aut tolleretur; ergo &c.

XXXVI. Tertiò. Potentia in ſenſu diviſo eſt potentia, vel ad dividendum à ſe decretum, vel ad dividendum actum à decreto, ſicut potentia ſenſus compoſiti eſſet potentia ad conjungendum non actum cum decreto: ſed voluntas creata, nec habet potentiam ad divi-

dividendum, ſeu tollendum à ſe decretum, nec ad dividendum actum à decreto; non enim poteſt facere, quòd ſtante decreto non ſtet actus; ergo &c.

XXXVII. Scio, non deeſſe, qui uſum præfatarum diſtinctionum in hac materia derideant, ac ſubſannent: ſpernenda tamen eſt hæc irriſio, & culpanda potiùs inſcitia, quàm antiquorum Doctorum S. Thomæ, Scoti, & Aliorum, qui eas adhibuerunt, doctrina. Imò, & ipſi his diſtinctionibus uti debent, ut exponant iſtam propoſitionem: *prædeſtinatus poteſt damnari*. Si enim eis fiat hæc inſtantia: ſi Deus hominem vocat eo modo, quo prævidit illum ſecuturum, fieri non poteſt, ut illum non ſequatur; ergo tali vocatione poſitâ homo non poteſt non agere id, ad quod vocatur. Quomodo reſpondebunt, niſi ad aliquam ex præfatis diſtinctionibus recurrendo?

XXXVIII. Ad id, quod primò dicunt, vel nego abſolutè maj. Nam Deus, qui eſt in actionibus ad extra maximè liber, liberrimè voluit ab æterno mundum condere, cùm tamen nullum fuerit inſtans tempore, vel naturâ prius, quo fuerit ad eam volitionem indeterminatus: & Chriſtus à primo inſtanti ſuæ conceptionis liberè obtulit ſe ipſum Patri pro nobis, cùm tamen voluntas ejus nullo priori inſtanti fuerit indeterminata. Ad rationem ergo liberi actus ſufficit, ut omnibus ad agendum requiſitis poſitis, imò & tunc quando agit, ſit in poteſtate voluntatis non agere. Indifferentia enim voluntatis, quæ ad libertatem requiritur, in hoc ſita eſt, quòd voluntas nullâ naturali neceſſitate ſit adſtricta ad alterutram partem contradictionis, ſed quando vult unum, eodem tempore poſſit illud non velle: quæ indifferentia non tollitur per hoc, quòd Deus eam ad alterutram partem determinet, nihilo magis quàm per hoc, quòd ipſa ſe ipſam determinat; quia Deus non aliter eam determinat, niſi ut agat ſecundum ſuam naturam, & libertatem.

XXXIX. Cæterùm reſpondeo ſecundò, familiari diſtinctione, cum omnibus requiſitis ſe tenentibus ex parte actus primi, poteſtatis, ſeu virtutis, conc. maj. Cauſa enim libera debet habere virtutem, quæ non ſit ad unum determinata, ſed ità indifferentem, ut cum ea poſſit conjungi utrumque extremum velle ſcilicet, & nolle. Cum omnibus requiſitis ſe tenentibus ex parte actus ſecundi, quæ ſint, vel ipſemet actus, vel determinatio ad actum, ſubdiſtinguo; cum omnibus requiſitis ad ſuum ordinem creatum pertinentibus; ità ut cum cujuſcumque alterius creatæ determinatione poſſit conjungere oppoſitum, conc. ma. cum omnibus requiſitis ad actum pertinentibus ad ordinem primæ cauſæ, nego maj. Aliàs non eſſet ſecunda domina ſui actus; imò nedùm haberet dominium uſus ſupra actum ſuum, ſed etiam ſupra voluntatem, & concurſum cauſæ primæ: Et ulteriùs, quod eſt meliùs, haberet à ſe, & non ex gratia, cum qua adhuc poſſet conjungere bonum, & malum. Quod maximum inconveniens reputat S. Auguſtinus *lib. 2. de peccat. merit. & remiſſ. c. 18.* his verbis: *Si nobis libera quædam voluntas ex Deo eſt, quæ adhuc poteſt eſſe vel bona, vel mala, bona verò voluntas ex nobis eſt, meliùs eſt id, quod à nobis, quàm quod ex Deo eſt: quod ſi abſurdiſſimè dicitur, oportet fateantur, etiam bonam voluntatem nos divinitùs adipiſci.*

XL. Ad id, quod ſecundò dicunt, nego maj. Is enim eſt ſenſus, quo præfata diſtinctio ſenſus compoſiti, & diviſi uſurpatur à Calvino. Quare dico, cum efficaci voluntate Dei de uno actu adhuc componi, & conjungi potentiam ad oppoſitum, non quidem ut conjungendum cum voluntate efficaci de actu, ſed ut ponendum diviſivè, ſeu abſolutè, & præciſivè à voluntate illa. Senſus ergo diviſus non cadit ſupra potentiam, ſed ſupra actum. Ità D. Th. *qu. 23. de verit. art. 5. ad 3.* ubi ad ſimilem objectionem ità reſpondet. *Quamvis non eſſe effectus divinæ voluntatis*

non

Digitized by Google

non poſſit ſimul ſtare cum divina voluntate : tamen potentia deficiendi effectum ſimul ſtat cum divina voluntate . Non enim ſunt iſta incompoſſibilia : Deus vult, iſtum ſalvari , & iſte poteſt damnari : ſed iſta ſunt incompoſſibilia : Deus vult , iſtum ſalvari , & iſte damnatur .

XLI. Ad id , quod tertiò dicunt , nego maj. Potentia enim , quam dicimus , in voluntate creata (adhuc poſitâ voluntate Dei de uno actu) adeſſe ad ponendum oppoſitum in ſenſu diviſo , nec eſt potentia ad dividendum à ſe decretum ; in hoc enim liberum creatum nullam habere poteſt poteſtatem. Neque eſt potentia ad dividendum à decreto actum : cùm enim decretum ſit efficax , fieri nullâ potentiâ poteſt , ut actus dividatur à decreto , ſeu quòd non ſit actus ſtante decreto . Sed eſt potentia ad ponendum actum oppoſitum abſolutè , & ſecundùm ſe , quo pacto præſcindit à decreto de actu oppoſito. Quia ait D. Thomas 1. 2. qu. 10. art. 4. ad 3. *Si Deus movet voluntatem ad aliquid , impoſſibile eſt poni , quòd voluntas ad illud non moveatur , non tamen eſt impoſſibile ſimpliciter .*

XLII. Quare hîc tria cenſeo præ oculis habenda . Primum , quod potentia voluntatis creatæ eſt potentia ſui ordinis , creati ſcilicet tantùm , & non omnis ordinis ; etiam divini : unde ut hæc ſalvetur , requiritur , ut poſſit in actum , pro ut actus à ſe ipſa dependet , non verò , pro ut actus dependet à Deo , aliàs poſſet ſupra Deum.

Secundum eſt , quòd hæc propoſitio de poſſibili : *voluntas , quæ determinatur à Deo , poteſt non agere* , non eſt ponenda in eſſe per iſtam : *voluntas determinatur à Deo , & non agit* , quæ eſt impoſſibilis ; ſed per iſtam : *hæc voluntas* (etiam deſignatâ eâ , quæ determinatur) *non agit* , quæ abſolutè loquendo eſt poſſibilis. Sicut hæc *album poteſt eſſe nigrum* , non ponitur in eſſe per hanc : *album eſt nigrum* , ſed per iſtam: *hæc res* (deſignatâ etiam eâ quæ eſt alba) *eſt nigra*, quę abſolutè eſt poſſibilis .

Tertium eſt , quòd objectum potentiæ antecedentis , ſive in ſenſu diviſo eſt actus , non ut reſpicit potentiam , & decretum Dei de actu oppoſito , ſed ut præcisè reſpicit potentiam capacem ſui . Quare actus puta odii poteſt conſiderari , ut reſpicit voluntatem creatam cum decreto Dei de amore , & ſic eſt objectum potentiæ ſenſus compoſiti , & impoſſibile : vel poteſt conſiderari , non ut tangit voluntatem creatam , & decretum de amore (licèt ibi adſit decretum) ſed ut reſpicit pręcisè voluntatem creatam pręciſivè à decreto de amore , & ſic eſt objectum potentiæ ſenſus diviſi , & poſſibile ; quia voluntas quæ determinatur ad amorem , etiam ſtante tali determinatione , retinet potentiam ad abſolutè odio habendum .

XLIII. Sed petes primò . Si neceſſaria eſt voluntas Dei prædeterminans actum , quare peccator , qui fraternè corripitur non poteſt ſe excuſare dicens , ſibi defuiſſe voluntatem Dei prædeterminativam , quæ ipſi neceſſaria eſt , nec tamen in ejus eſt poteſtate illam habere ?

XLIV. Inanis eſt hæc petitio . Similiter enim potes petere , ſi neceſſaria eſt gratia , quare peccator non excuſabit ſe dicens , rectè corriperer , ſi eam poſſem mihi dare , vel ſumere , vel ſi dante Deo accipere noluiſſem . Nunc verò cùm voluntas præparetur à Domino , cùm niſi eo dante non accipiatur , quid me corripis , ſi præcepta non impleo , cùm neceſſaria ut impleam non acceperim ? Quemadmodum ergo ſimilibus Pelagianorum querelis reſpondet D. Auguſt. *lib. de corrept. & grat.* per plura capita , correptionem tunc ſalubrem eſſe , & meritò corripiendum peccatorem , ut ſtrepitu correptionis forinſecùs inſonante , Deus in illo occultâ inſpiratione operetur , & velle : ità & nos &c. addo quod nulli peccatori deeſt auxilium , quo poſſit benè agere ſi velit : quod ſi ei deeſt auxilium , quo bonum velit , & agat , hoc ex ejus culpa eſt . Sed de hoc infra .

XLV.

XLV. Petes ſecundò. Quare non ſequitur, poſitâ voluntate Dei prædeterminante, nullum eſſe peccatum omiſſionis? Omiſſio enim actus non eſt peccatum, quando omittitur defectu ejus, quod eſt neceſſariò requiſitum, & hoc non eſt in poteſtate omittentis; ut dùm omittuntur horæ defectu Breviarii, quod haberi non poteſt: ſed quandocunque homo omittit, deeſt illi aliquid neceſſarium, nempè voluntas Dei prædefiniens actum; ergo omiſſio nunquam eſt peccatum.

XLVI. Sed hæc petitio fundatur in regula, quòd *nulli imputetur, quod ab alio dependet*, quam eſſe falſam egregiè D. Thomas oſtendit 3. *contrag. c.* 159. docens, ex ea ſequi, quod ille, qui fidem non habet, nec ſpem, nec dilectionem Dei, quam dare in Dei eſt poteſtate, dùm non credit, non peccat, quod ſequitur etiam in opinione adverſariâ: nam gratia congrua eſt unum ex requiſitis ad agere, & hæc non in noſtra poteſtate eſt, ſed ſolius Dei. Ergonè cui deeſt gratia congrua, & ideò omittit, non peccat? Nequaquam; quia (ajunt) etſi ei non detur gratia congrua, quâ de facto aget, datur tamen gratia indifferens, quâ poteſt agere ſi velit. Idem dicimus nos. Cui enim deeſt voluntas efficax dans agere, adeſt ſemper voluntas generalis dans poſſe agere: quare cùm poſſit, ſi non agit, ei in culpa eſt. Eò vel maximè, quòd ſi ei non adeſt voluntas efficax, in culpa ejus fuit; quia, ſicut hæc ex pura miſericordia adeſt, ità juſto judicio deeſt, quibus non adeſt. Sed pro majori hujus difficultatis explicatione ſit.

§. III.

Solvuntur duo poſtrema argumenta.

XLVII. Objiciunt quarto, & nuper dicta impugnant. Poſito, quòd efficacia divini decreti antecedens ſit requiſitum neceſſarium ad benè operandum actu, ille cui denegatur caret aliquo requiſito, ſine quo non poteſt actu operari; ergo non habebit id, quod ſufficit ad benè operandum; ergo ſi Deus faciat illi aliquod præceptum, eique neget hanc efficaciam, obligabitur ad aliquid ſibi impoſſibile, cum actus ſine illa efficacia antecedente ſit impoſſibilis in ſenſu compoſito, & de facto. Cùm ergo etiam non ſtante tali efficacia urgeat præceptum faciendi, de facto præcipitur illi aliquid ſibi de facto impoſſibile, eo modo, quo, ſi habenti potentiam viſivam, & in tenebris conſtituto, vel non habenti concurſum generalem, præciperetur, ut videret, præciperetur ei aliquid impoſſibile, & excuſaretur à peccato; ſicut & ille, cui præciperetur recitatio Officii, & Breviarium non haberet, nec ſibi poſſet acquirere.

XLVIII. Reſpondetur primò, hoc argumentum ſolvendum eſſe ab omnibus. Nam ad actu credendum requiritur fides, quæ eſt donum, non ex nobis, aut in noſtra poteſtate ſitum, ſed à Deo veniens; Non enim ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis quaſi ex nobis, ſed omnis ſufficientia noſtra ex Deo eſt, ait D. Paulus 2. *Cor.* 3. *v.* 5. Inſuper in ſententia Mediiſtarum ad actu benè operandum requiritur gratia congrua, ſeu quòd homo ponatur illis in circumſtantiis, in quibus prævidit Deus, eum benè uſurum gratiâ: ità, ut ſine tali gratia ei impoſſibile ſit ſaltem in ſenſu compoſito benè operari. Et ergo, cui non adeſt talis gratia, deeſt aliquid neceſſariò requiſitum, ut actu benè operetur: quòd ſi ei præcipiatur ut benè ope-

operetur, præcipietur illi aliquid impoſſibile.

XLIX. Fateor ergo, divinum decretum de actu, eſſe quid neceſſariò requiſitum ad ponendum actum; non tamen quaſi conſerens potentiam, ità ut, eo non ſtante, creata voluntas non poſſit agere, ſed ſolùm dans exercitium. Eſto autem illud habere non ſit in poteſtate voluntatis creatæ, adhuc tamen, ſi ei aliquid præcipiatur, non præcipitur ei impoſſibile. Tùm quia agere in ejus eſt poteſtate, quia habet omnia requiſita ex parte actus primi ad agere. Tùm quia, eſto decretum Dei in ſua poteſtate non habeat, habet tamen in ſua poteſtate petere. Deus enim impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere quod poſſis, & petere, quod non poſſis, & adjuvat, ut poſſis, ut Tridentinum ex S. Auguſtino docet *ſeſſ. 6. c. 11.* & Auguſtinus ipſe *l. de corrept. & gratia c. 2.* homines (inquit) *à Deo aguntur, ut agant, non ut ipſi nihil agant; & ad hoc eis oſtenditur, quid agere debeant, ut quando id agunt, ſicut agendum eſt &c. accepiſſe ſe gaudeant: quando autem non agunt, orent, ut quod nondum habent, accipiant.*

L. Reſpondeo ſecundò, hoc quod adverſùs efficaciam voluntatis divinæ objicitur nobis, fuiſſe olim oppoſitum à Pelagianis S. Auguſtino, qui *epiſt.* 105. nunc 194. ad Sixtum c. 6. *excuſabunt ſe inquit homines, qui nolunt rectè, fideliterque vivere, dicentes: quid nos facimus mali, qui malè vivimus, quandoquidem gratiam, unde benè viveremus, non accepimus?* Nunquid hoc idem eſt, quod nobis objiciunt? Audiant ergo Auguſtini reſponſum: *non poſſunt veraciter dicere, nihil mali ſe feciſſe, qui malè vivunt; ſi enim nihil mali faciunt, benè vivunt: Si autem malè vivunt, de ſuo malè vivunt.* Ac ſi diceret: non ſe excuſent, quod non acceperint gratiam, unde benè viverent; quia malè vivendo, de ſuo gratiæ obſtaculum poſuerunt. Quamvis enim *de ſuo* non poſſit homo divinam gratiam advocare, & Dei benevolam efficere voluntatem; *de ſuo* tamen poteſt ei obſtaculum ponere, quo Deus, qui non tenetur illud tollere, ab homine faciem ſuam avertat.

LI. Hæc eſt doctrina D. Thomæ 3. *contragentes c. 59.* ubi cum ſimile argumentum ſibi propoſuiſſet, nempè: *Cùm in finem ultimum aliquis dirigi non poſſit, niſi auxilio divinæ gratiæ &c. poteſt alicui videri, quòd non ſit homini imputandum, ſi prædictis careat; præcipuè cum auxilium divinæ gratiæ mereri non poſſit, nec ad Deum converti, niſi Deus illum convertat: nulli enim imputatur, quod ab alio dependet.* Ecce argumentum.

Cui ſic reſpondet. *Ad hujus dubitationis ſolutionem conſiderandum eſt, quod licèt aliquis per motum liberi arbitrii divinam gratiam, nec promereri, nec acquirere poſſit, poteſt tamen ſe ipſum impedire, ne illam recipiat. Dicitur enim de quibuſdam Job 21.* dixerunt Deo. Recede à nobis ſcientiam viarum tuarum nolumus. *Et Job 24.* Ipſi fuerunt rebelles lumini: *& cùm hoc ſit in poteſtate liberi arbitrii impedire divinæ gratiæ receptionem, vel non impedire, non immeritò in culpam imputatur ei, qui impedimentum præſtat gratiæ receptioni. Deus enim quantùm in ſe eſt, paratus eſt omnibus gratiam dare:* vult *enim* omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, *ut dicitur 1. ad Timoth. 2. Sed illi ſoli gratiâ privantur, qui in ſe ipſis gratiæ impedimentum præſtant. Sicut Sole mundum illuminante, in culpam imputatur ei, qui oculos claudit, ſi ex hoc aliquod malum ſequatur, licèt videre non poſſit, niſi lumine Solis præveniatur.* Hęc D. Thomas. Super quæ Ferrarienſis, ibi: *Si quis* (inquit) *propriâ voluntate in malum aliquod cadat, à quo per ſe liberari non poteſt, ſi non liberetur, non eſt abſque ejus imputatione: debebat enim cavere, ne in illud malum incideret, à quo ſciebat, ſe propriâ virtute liberari non poſſe: ſicut non eſt abſque imputatione, quòd aliquis*

quis non exeat à puteo, ex quo non poteſt exire, niſi ab alio adjuvetur, quando propriâ voluntate in illum ſe dejecit.

LII. Quia verò poteſt aliquis objicere, ſe intantùm impedimentum præſtare gratiæ receptioni, & in peccatum cadere, quia deeſt illi gratia, & voluntas efficax Dei; quæ ſi illi adeſſet, ſicut adeſt aliis, gratiæ impedimentum non poſuiſſet.

Reſpondet S. Thomas laudato *lib.* 3. *contrag. c.* 161. Deum attento curſu naturali rerum non teneri tollere obſtinationem, & duritiem cordis, aut vincere impedimentum, quod de ſuo homo præſtat gratiæ receptioni. Licèt autem hoc poſſit, imò, & in aliquibus agat, ut in Saulo, & aliis, id fuit præter, imò ſupra curſum naturalem: ſicut cùm cęcum illuminat, quod facere quidem poteſt, ſed non tenetur. *Ille* (inquit D. Thom.) *qui peccat, impedimentum gratiæ præſtat, & in quantùm rerum ordo exigit, gratiam non deberet recipere. Tamen quia Deus præter ordinem rebus inditum operari poteſt, ſicut eum cæcum illuminat, vel mortuum ſuſcitat; interdùm ex abundantia bonitatis ſuæ etiam eos, qui impedimentum gratiæ præſtant, auxilio ſuo prævenit, avertens eos à malo, & convertens ad bonum: & ſicut non omnes cæcos illuminat, nec omnes languidos ſanat, ut & in illis, quos curat, opus virtutis ejus appareat, & in aliis ordo naturæ ſervetur: ità non omnes, qui gratiam impediunt, auxilio ſuo præveniit, ut avertantur à malo, & convertantur ad bonum, ſed aliquos, in quibus vult ſuam miſericordiam apparere, ità ut in aliis juſtitiæ ordo manifeſtetur. Hinc eſt, quòd Apoſtolus dicit Rom.* 9. Volens Deus oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia, vaſa iræ, apta in interitum, ut oſtenderet divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparavit in gloriam. Hæc D. Thomas.

Qui deinde proſequitur: *quùm autem Deus hominum, qui in eiſdem peccatis detinentur, hos quidem præveniens convertat, illos autem ſuſtineat, ſive permittat, ſecundùm ordinem rerum procedere, non eſt ratio inquirenda, quare hos convertat, & non illos. Hoc enim ex ſimplici ejus voluntate dependet: ſicut ex ſimplici ejus voluntate proceſſit, quòd quùm omnia fierent ex nihilo, quædam facta ſunt aliis digniora: & ſicut ex ſimplici voluntate procedit artificis, ut ex eadem materia ſimiliter diſpoſitâ, quadam vaſa formet ad nobiles uſus, & quædam ad ignobiles. Hinc eſt, quòd Apoſtolus dicit ad Rom.* 9. An non habet poteſtatem figulus luti, ex eadem maſſa facere aliud vas in honorem, aliud verò in contumeliam? Ità D. Thom. quibus nil apertius.

LIII. Ex dictis ſequitur tertia reſponſio argumento propoſito, nimirùm quòd denegatio gratię efficacis ſit quodammodo voluntaria homini: dùm enim pro ſua libertate eligit malum, voluntariè ſe privat auxilio efficaci ad bonum; culpa enim, quâ homo deſerit Deum, voluntariè ab ipſo ſe avertendo, pręcedit, & in genere cauſæ materialis cauſa eſt, ut homo deſeratur à Deo. Et hoc verificatur non ſolùm de denegatione auxilii in pęnam præcedentis peccati, ſed etiam de denegatione primi auxilii. Eſto enim denegationem primi auxilii culpa tempore non præcedat, eam tamen comitatur, & in aliquo genere cauſæ ſaltem materialis præcedit. Sicut enim occluſio feneſtræ contra Solem in genere cauſæ materialis præcedit privationem lucis ſolaris in cubiculo; & ſicut corruptio unius formæ in genere cauſæ materialis diſponit ad generationem alterius, & in hoc genere præcedit: ità averſio à Deo, & converſio ad creaturam, quaſi in genere cauſæ materialis diſponit ad primam denegationem auxilii. Verificatur enim, quòd in illo inſtanti, in quo Deus denegat primum auxilium efficax, voluntas creata ponit impedimentum tali auxilio; quia voluntariè exercetur circa alium actum,

Digitized by Google

actum, qui incompoſſibilis eſt cum actu, ad quem datur auxilium: & ideò illi ſemper deeſt auxilium propter propriam voluntatem ad oppoſitum, etiam in prima auxilii denegatione, ut contigit in Adamo; & proinde quòd Deus nos non deſerit, niſi à nobis deſeratur.

LIV. Patet etiam, quàm falsò aliqui putent: ideò hominem primò peccare, quia illi denegatur auxilium efficax. Nego enim abſolutè hoc eſſe verum. Imò homo ideò peccat, etiam primò, quia cùm poſſet in gratia accepta perſeverare, ſuâ culpâ non vult. Quare S. Auguſt. lib. de correptione, & gratia c. 6. *Nec attendunt* (inquit) *ſi nondùm regenerati ſunt primam eſſe cauſam, cur objurgati, quòd ſint inobedientes Deo, ſibi debeant diſplicere; quia fecit Deus hominem rectum ab initio humana creatura..... Ac per hoc prima pravitas, quâ Deo non obeditur, ab homine eſt, quia ex rectitudine, in qua eum Deus primitùs fecit, ſuâ malâ voluntate decidens, pravus effectus eſt... quòd ſi aliquis ſit regeneratus, & juſtificatus, & in malam vitam ſuâ voluntate relabitur, jam iſte non poteſt dicere: non accepi, quia acceptam gratiam Dei ſuo in malum libero amiſit arbitrio.* Et cap. 11. urgens argumentum, cur primo homini data non eſt gratia ad perſeverandum, ſed permiſſus eſt cadere, quæ certè fuit prima permiſſio, & denegatio auxilii gratiæ, ait: *poſſet primus homo permanere ſi vellet, quia non deerat adjutorium per quod poſſet, & ſine quo non poſſet perſeveranter bonum tenere, quod vellet* (ideſt auxilium ſufficiens) *ſed quia noluit permanere, profectò ejus culpa eſt, cujus meritum fuiſſet, ſi permanere voluiſſet.* Et ità concludit, non fuiſſe in illo adjutorium efficax, quo datur non ſolùm poſſe, quod volumus, verùm etiam velle quod poſſumus; & hoc ex culpa ſua ſaltem concomitante, quia noluit quod poterat. Porrò licèt gratiam advocare in noſtra poteſtate non ſit, in noſtra tamen eſt poteſtate illam reſpuere, ſeu nolle eam recipere; ità ut verificetur, gratiam, quâ agamus, nobis deeſſe, quia nolumus quod poſſumus.

LV. Sed contra dicta variè inſtant. Quidquid enim ſit, an ſine gratia efficaci homo poſſit non peccare, & perſeverare, nunquam tamen ſine ea perſeverabit; ergo illud poſſe in eo inutile eſt ad benè agendum, imò perniciosum; ergo &c. Probatur prima pars conſequentię. Inutile eſt ad benè agendum, quo nullus unquam benè uſus eſt; nullus enim unquam fuit, aut eſt, aut erit, qui cum tali auxilio benè agat.

LVI. Confirmant primò. Fruſtra eſt potentia, quæ nunquam reducitur ad actum: ſed illud poſſe, quod habetur per auxilium ſufficiens, nunquam reducitur ad actum; ergo &c.

LVII. Confirmant ſecundò. Auxilium ſufficiens vel datur ſolùm ad poſſe, vel etiam ad agere. Non datur ſolùm ad poſſe; quia datur ad præcepta implenda, quibus præcipitur, non ut poſſimus, quod ſupponitur, ſed ut benè agamus. Nec etiam datur ad agere; quia agere eſt proprius effectus auxilii efficacis, non ſufficientis: quod verò eſt proprius actus unius, non poteſt eſſe actus proprius alterius.

Secunda verò pars conſequ. probatur. Perniciosum enim eſt id, quo homo, qui ſine illo inculpabilis eſſet, ſi non ageret, culpabilis, ſi non agat, evadit.

LVIII. Reſpondeo, neg. conſequ. pro utraque parte. Quæ retorquetur contra omnes ſcientiæ mediæ Defenſores. Gratia enim incongrua talis eſt, ut eà nullus unquam benè egerit, nullus unquam benè ſit acturus, aut benè agat. Inſuper cum ea imputatur homini, ſi benè non agit, cui abſque ea non imputaretur; Ergo eſt inutilis, imò perniciosa.

Rursùs: potentia ad benè agendum, quæ confertur per gratiam incongruam, ſive in funeſtis circumſtantiis collatam, nunquam reducitur ad actum; ergo eſt fruſtra. Pręterea: gratia incongrua, aut in funeſtis circumſtantiis colla-

collata, vel datur ſolùm ad poſſe, vel etiam ad agere. Non primum; quia datur ad præceptum implendum, & non præcipitur, ut poſſimus, hoc enim ſupponitur, ſed ut benè agamus. Non ſecundum; quia dari ad agere eſt proprium gratiæ congruæ: quod autem eſt proprius actus unius, nequit alteri convenire.

Neque dicas, præfatas inſtantias non eſſe ad rem. Etenim quòd gratia ſit incongrua, & ex illa non ſequatur benè agere, non habet ex natura ſua, ſed ex circumſtantiis, & ex voluntate hominis, qui eâ non vult benè uti. At auxilium ſufficiens Thomiſticum ex ſua natura habet, quòd cum illo infallibiliter non agatur.

LIX. Nam contra eſt. Quia eſto de ratione auxilii ſufficientis Thomiſtici non ſit per ſe ipſum benè agere immediatè, eſt tamen benè agere mediatè; mediante ſcilicet auxilio efficaci, cum quo petit conjungi, niſi ex voluntate humana obicem inveniat. Ità D. Thomas ſuper c. 17. Joann. lect. 2. & in 1. ad Timoth. c. 2. lect. 1. ubi explicans illud 1. Joan. 2. v. 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris*, ſubdit: *pro aliquibus efficaciter, ſed pro omnibus ſufficienter, quia pretium Sanguinis ejus eſt ſufficiens ad ſalutem omnium, ſed non habet efficaciam, niſi in Electis, propter impedimentum*. Et D. Auguſtinus lib. 2. de peccat. merit. & remiſſ. c. 17. *Cùm* (inquit) *voluntatem humanam gratiâ adjuvante divinâ, ſine peccato in hac vita poſſit homo eſſe; cur non ſit, poſſem facillimè, ac veraciſſimè reſpondere, quia homines nolunt. Sed ſi ex me quæritur: quare nolint, imus in longum*. Poſtquam verò dixit, hoc provenire, vel ex hoc, quòd latet id, quod juſtum eſt, vel quia non delectat, ſubdit: *Ut autem innoteſcat, quod latebat, & ſuave fiat, quod non delectabat, gratia Dei eſt, quæ hominum adjuvat voluntates; quâ, ut non adjuventur, in ipſis itidem cauſa eſt, non in Deo*.

LX. Ex his deduco, gratiam ſufficientem non eſſe prorsùs otioſam, ſed aliquos actus producere, excitando in intellectu cognitionem, & in voluntate motus aliquos; qui actus, eſto ſuaptè naturâ inefficaces ad converſionem, ſufficientes tamen ſunt, & fierent efficaces, niſi à conjunctione cum gratia efficaci, cui petunt conjungi, voluntate humanâ impedirentur. Sicut enim cibus (utor exemplo Sancti Auguſtini) aliquos effectus in corpore humano producit, quibus vita poteſt conſervari, & de facto conſervatur, niſi aliæ cauſæ, cum quibus petit conjungi ad conſervationem vitæ, impediantur: ſic auxilium ſufficiens aliquos actus excitat, ſive in intellectu, ſive in voluntate, quibus poteſt benè agere, & de facto homo benè ageret, niſi malà ſuâ voluntate conjunctionem cum gratia efficaci ad benè agendum, impediret. Et hæc eſt etiam D. Thomæ doctrina *quæſt. 14. de verit. art. 11.* ubi docet, non eſſe hominem in hac via adeò firmatum in malo, in quo non ſurgant aliqui motus, etſi debiles, queis ad gratiam, ſi vellet, ſe præparare non poſſet. Quod ſuperiùs oſtendimus præſenti tractatu *quæſt. 2. dub. 30. §. 4. n. 30.* quò Studioſum remitto.

LXI. His præmiſſis ad inſtantiam reſpondeo, neg. conſequ. pro utraque parte. Ad probat. pro prima parte diſtinguo, quo nullus benè utitur, ex defectu ipſius principii, quod non inclinet ad benè agendum, conc. maj. ex defectu, & culpâ hominis, qui malè utitur, nego maj. Et ſimiliter diſt. mi. Quod enim auxilio ſufficienti homo non benè agat, ex culpa hominis eſt, non auxilii; quod, eſto ſe ſolo non faciat benè agere, inclinat tamen ad benè agere medio auxilio efficaci, cum quo petit conjungi, niſi impediatur, ut dictum eſt.

LXII. Ad primam confirmationem diſtinguo maj. quæ non reducitur ad actum, nec immediatè ratione ſui, nec mediatè ratione alterius, conc. maj. aliter, nego maj. Auxilium autem ſufficiens petit reduci ad actum medio auxilio efficaci, cui quantùm ex ſe

eſt exigit conjungi. Nego etiam min. Quia eſto auxilium ſufficiens ex ſe non reducatur ad actum ultimum, & conſummatum; habet tamen proprios actus licèt inefficaces, quos excitat, ut vidimus, & qui ad actus conſummatos perducunt, niſi impediantur.

Ad ſecundam confirmationem dico, gratiam ſufficientem dari ad agere inefficaciter, & ſufficienter, eſto non efficaciter, niſi cum ulteriori gratia efficaci, cum qua petit conjungi, de facto conjungatur.

LXIII. Ad probat. ſecundæ partis dico, hoc inſano ratiocinio quemdam Janſeniſtam, Deum ſic fuiſse allocutum: Domine gratias tibi ago de tuo auxilio ſufficienti. Noli quæſo illud mihi tribuere; quia cum ipſo culpabilis eſſem, ſine ipſo inculpabilis ſum. Cui tamen poteſt ſic reſponderi. Quamvis Deus auferat à te auxilium ſufficiens, adhuc culpabilis eris, ſi, licèt impotens, præcepta non obſerves. Nam juxta Magiſtri tui doctrinam præcepta, licèt impoſſibilia, obligant tamen, & culpabilem te faciunt, ſi ea non obſerves.

Reſpondeo igitur, auxilium ſufficiens nedùm non eſſe homini perniciosum, ſed valdè proficuum; quia cum ipſo poteſt ſanctificari, ſi velit, quod ſine ipſo non poſſet. Ipſe quidem homo ſibi ipſi perniciosus ſit, dùm ex ſua culpa, vel antecedente, vel concomitante tali auxilio non utitur, & gratiæ ulteriori obicem ponit. Quòd autem poſito hoc auxilio homo culpabilis ſit, ſi præceptum non implet, non eſt defectu auxilii, quòd quantùm eſt ex ſe ad præcepti impletionem inclinat, ſed hominis, ut dictum eſt.

LXIV. Adhuc tamen contra auxilium ſufficiens aliquid habent Adverſarii. Auxilium (inquiunt) præter quod ad agendum aliud requiritur, non eſt verè ſufficiens ad præceptum implendum: ſed præter auxilium ſufficiens requiritur ad agendum aliud, nempè auxilium efficax; ergo &c.

LXV. Si reſpondeas, diſt. maj. ſi aliud quod requiritur requiratur, ut det poſſe implere præceptum, non eſt &c. conc. ma. Si requiratur, ut ſolùm dans actualem præcepti impletionem, nego maj. & ſimiliter diſtinguo min. Auxilium ſufficiens dicitur, quia dat ſufficientiam, & poſſe, ità ut ſine illo præceptum impleri non poſſet; non tamen dicitur ſufficiens, ità ut ipſo fiat adimpletio præcepti, vel ſit, quo præceptum impletur, aliàs non eſſet merè ſufficiens, ſed efficax. Eſto autèm ſe ipſo non det actu agere, dabit tamen, ut conjunctum cum auxilio efficaci, niſi impediatur.

LXVI. Dices tamen. Homini cum ſolo auxilio ſufficienti deeſt actu agere; ergo ei aliquid deeſt; ergo non habet totum id, quod verè ſufficit ad agendum, & requiritur, ut agat. Conſequentia probatur primò. Quia ad recitandum Officium prçter potentiam requiritur Breviarium; qui Breviario caret, non habet totum, quod requiritur ad Officium recitandum, & excuſatur, ſi non recitet.

Secundò. Quia ad conſecrandum prçter characterem requiritur panis; qui caret pane, non habet totum id, quod ad conſecrandum requiritur, nec tenetur.

Tertiò. Quia ad videndum præter potentiam viſivam requiritur lumen; qui caret lumine, non habet totum id, quod requiritur ad videndum, & excuſatur, ſi non videt; ergo &c.

LXVII. Hiſce inſtantiis premi exiſtimo ipſoſmet Adverſarios. Nam ipſi prçter gratiam indifferenter oblatam, ad actu benè agendum requirunt gratiam congruam; ità ut ſi homo non ponatur in circumſtantiis, in quibus prævisus eſt, benè acturus, eſto poſſit benè agere, attamen benè non aget: hoc autem in ſolius Dei eſt poteſtate; ergo homo non poſitus in talibus circumſtantiis non habebit totum, quod requiritur ad benè agendum, eritque ſicut, qui ad recitandum Officium caret Breviario, qui ad conſecrandum

caret

caret pane, qui ad videndum caret lumine.

LXVIII. Reſpondeo ergo primò, diſtingu. ſecundum conſeq. non habet, poteſt tamen habere, niſi obicem ponat, conc. conſequentiam. Non habet, nec poteſt habere, nego conſequ. Sicut ergo, qui poſſet habere Breviarium, & ſuâ culpâ careret, non excuſaretur ab omiſſione Officii; qui poſſet habere panem, & negligeret, non excuſaretur ab omiſſione Sacri; qui clauderet oculos lumini, non excuſaretur, ſi non videret: ità cùm homo auxilio ſufficienti inſtructus poſſit petendo à Deo habere auxilium efficax, ſi hoc caret, ſuâ culpâ, vel antecedente, vel comitante caret; & ideò non excuſatur.

LXIX. Reſpondeo ſecundò, diſt. primum conſeq. ei aliquid deeſt, quod ſit pura applicatio ad actum, conc. conſeq. Quod ſit complementum potentię, nego conſeq. Exempla autem allata non ſunt ad rem: non enim ſunt puræ applicationes potentiæ liberæ ad agendum; ſed ſunt prærequiſita, ut potentia in actu primo proximo ſit expedita. Sine Breviario enim in eo, qui mente non tenet, non eſt potentia expedita ad recitandum Officium. Sine panè non eſt potentia proximè expedita ad conſecrandum, cùm panis ſit materia. Et tandem ſine lumine non eſt potentia proximè expedita ad videndum; quia ſine lumine non poteſt objectum, quod eſt unum ex principiis in actu primo, intra potentiam viſivam ſiſti. At voluntas cum auxilio ſufficiente eſt potentia in actu primo proximo expedita, & nihil ei deeſt niſi actualis volitio, ideſt, ut de non volente in exercitio fiat volens, hoc autem in ea gratia efficax facit: Deus enim eſt, qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate.

LXX. Tandem objiciunt. Si Deus efficaciter vellet, ac prædeterminaret omnes actus liberos creatos, vellet etiam, & efficaciter prædeterminaret actus moraliter malos; ſed hoc eſt falſum, aliòquin Deus eſſet cauſa voluntati creatæ, ut peccaret, ſicut illi cauſa eſt, ut benè agat; ergo &c.

LXXI. Communis, & vera reſponſio diſtinguit majorem, actus moraliter malos, quatenùs actus ſunt, conc. maj. Quatenùs mali, ſeu contra legem ſunt, nego min. Sicut enim in Contrariorum ſententia Deus ſimul concurrit cum voluntate creata ad actiones malas, quin concurrat, & ſit concauſa peccati; quia concurrit ad illas, quatenùs actiones ſunt, & de linea entitatis, non quatenùs malæ, & defectuoſæ à regula legis, & morum; ſic enim unicè ſunt à voluntate creata, ut ex nihilo eſt, ac moraliter defectibilis: ità Deus ſuâ efficaci voluntate decernit, & movet ad actiones etſi malas, quin ſit cauſa voluntati, ut peccet, ſed ſolùm, ut pro ſuâ libertate agat; movens illam ad agendum, non ad agendum defectuosè, & ad peccandum. Eo ferè modo, quo anima excitat ad motum, & movet, nedùm tibiam rectam, ſed curvam, quin ſit ei cauſa, ut curvè moveatur, ſed ut vitaliter; ità ut vitalitas, quæ eſt in illo motu tribuatur quidem animæ, ſed curvitas, ſeu deviatio à rectitudine, quæ eſt in illo motu, unicè, tibiæ defectuoſæ tribuatur. Exemplum hoc eſt D. Th. in 2. *diſt.* 37. *quæſt.* 2. *art.* 2. ubi rem hanc ex profeſſo tractat.

Et eo ferè modo quo, ſi perfectus citharedus pulſat citharam diſcordem, quidquid erit ſonus, à manu movente procedet, diſſonantia verò à cithara malè aptata. Et idem dico de perito Scriptore, qui uteretur calamo malè aptato, cui quidquid ſcriptionis eſſet, reſponderet; at ſcriptionis defectus calamo tribueretur, non Scriptori: is enim moveret quidem calamum ad ſcribendum, ſed non ad defectuosè ſcribendum.

LXXII. Porrò: quidquid actionis eſt in peccato debere eſſe à Deo poſitivè volente, & influente, ex eo probatur. Quia quidquid actionis eſt in peccato aliqua entitas eſt; omnis autem enti-

entitas à Deo volente, & influente eſſe debet: quia cùm ſit primum ens, & prima cauſa, omne aliud ens tale eſt per participationem, & influxum ab ipſo. Unde D. Auguſt. *l.2. de Moribus Manichæorum cap.2.* aſſerit, omnium naturarum, atque ſubſtantiarum eſſe auctorem Deum, & omnium, quæ ſunt, cauſam eſſe ut ſint. Et c.7. quidquid eſt, in quantùm eſt, à Deo eſſe affirmat, oſtenditque, malum non eſſe naturam aliquam; ideòque Deum non habere auctorem, qui omnis, & ſolius naturæ auctor eſt: *in quantùm autem ab eſſentia deficit, non ſit ex Deo: ſed tamen divinâ providentiâ ſemper, ſicut univerſitati congruit, ordinetur.*

Id expreſsè confirmat S. Anſelm. *lib. de concord. præſcient. & prædeſt. c.7.* dicens: *omnis qualitas, & omnis actio, & quidquid habet eſſentiam à Deo eſt, à quo eſt omnis juſtitia, & omnis injuſtitia. Facit igitur Deus omnia, quæ juſtâ, vel injuſtâ voluntate fiunt, ideſt bona opera, & mala. In bonis quidem facit, quod ſunt, & quod bona ſunt: in malis verò facit quod ſunt, ſed non quod mala ſunt. Nam omni rei eſt juſtum, vel bonum aliquid eſſe; nulli verò rei eſt aliquid eſſe injuſtum, vel malum.*

Item Albertus Magnus *lib.2. diſt.* 35. refert, quoſdam Antiquos eſſe opinatos, quòd voluntas per ſe ſufficeret ad actus malos, ſed non ad bonos, vel indifferentes. Et deinde concludit, quòd Moderni, quia viderunt, quòd perfectius eſt agere, quàm eſſe, viderunt etiam, quòd id, quod non eſt à ſe, nec poteſt à ſe manere in eſſe, multò minus poteſt agere à ſe ipſo: & cùm actus malus ſit materialiter actus egrediens de potentia activa; *ideò concluſerunt, quòd non egreditur ab ea, niſi ſecundùm quòd movetur à cauſa prima, aliòquin ſequeretur, duo principia eſſe. Et hæc eſt cauſa, quare & alia opinio ferè ceſſit ab aula, & à multis Modernorum reputatur hæretica.* Ex quibus infertur, Deum non ſolùm permiſſivè operari ſubſtantiam actus peccati, ſed verâ, ac propriè dictâ cauſalitate phyſicâ.

Neque hoc eſt contraire Concilio Tridentino, quod *ſeſſ.6. can.6.* damnat aſſerentes Deum cauſare actiones malas, ſicut & bonas, & ſtatuit mala opera quatenùs mala non eſſe à Deo, niſi permiſſivè.

Non inquam. Nam Concilium ibi anathema dicit Calvino, qui totius quod eſt in actione mala facit auctorem Deum, non diſtinguens inter ſubſtantiam actionis, & malitiam. Imò *lib. 1. Inſtit. c. 18. §. 1.* deridet Theologos, dicentes: Deum ſolùm permiſſivè ad malitiam concurrere. Ideòque ſtatuit Concilium, opera quatenùs mala non eſſe à Deo, niſi permiſſivè. De hoc agit D. Thom. 1. p *qu.49. artic. 2. ad 2.* dicens: *Effectus cauſæ ſecundæ deficientis reducitur in cauſam primam non deficientem, quantum ad id, quod habet entitatis, & perfectionis, non autem quantum ad id, quod habet de defectu.* Idem docet 1. 2. *qu.79. art.2.* ubi quærit an actus peccati ſit à Deo. Idem *lib.3. contragentes c.71. & 162.* videndus.

LXXIII. Sed contra dicta oppones primò. Qui eſt cauſa alicujus actus, non cauſat illum, niſi ſecundùm quod eſt in re, non verò ſecundùm unam rationem, & non ſecundùm aliam, ſed cauſat totum, quod in eo eſt. Unde etſi in actu viſionis Dei ſit ſupernaturalitas, & vitalitas; negant tamen Thomiſtæ, poſſe ab uno cauſari ſecundùm rationem vitalitatis, & altero ſecundùm rationem ſupernaturalitatis: ſed dicunt, quòd cauſa, quæ non poteſt viſionem producere ſub ratione ſupernaturalitatis, nec illam producere poteſt ſub ratione vitalitatis: ſed aliqui actus ſunt, in quibus id, quod entitatis, & actionis eſt, non poteſt in re ſeparari à deformitate, ut ſunt actus odii Dei, & adulteria; ergo Deus non poteſt cauſare iſtos quantùm ad entitatem: niſi cauſet etiam quoad deformitatem: vel ſi quantùm ad iſtam cauſare non poteſt, nec poterit quantùm ad illam.

Oppones ſecundò. Deus non aliter cauſat

Digitized by Google

cauſat actus bonos, niſi quatenùs illos efficaciter vult, & dat voluntati efficaciam ad illos; ergo ſi eodem modo vult efficaciter actiones malas, erit eodem modo cauſa actionis malæ, ſicut eſt bonæ.

LXXIV. Reſpondetur, ad primam diſt. maj. ſi ſub utraque cauſabilis ſit, conc. maj. Si ſub una cauſabilis ſit, & ſub una habeat cauſam effectivam, ſub alia cauſam ſolùm defectivam, neg. maj. Neque obſtat, quòd aliqui actus mali inſeparabiles ſint à malitia. Nego enim inprimis, dari actum, cui neceſſariò, quatenùs actus humanus eſt, ſit annexa malitia, eò quòd nullus datur actus, qui ſit eſſentialiter malus. Quamvis enim odium Dei, adulterium &c. ſint eſſentialiter peccata, actus tamen humani, quibus illa fiunt, ſecundùm ſubſtantiam entitates ſunt phyſicæ, & ideò bonæ; quamvis, ut tranſlatæ ad eſſe morale, illis accidat defectus.

Neque obeſt, quòd illi actus ſint inſeparabiles à malitia, quia (ut ait D. Thom. *in 2. diſt. 37. qu. 2. art. 2. ad 5.*) *Sicut actio, quæ peccati deformitatem habet, dicitur bona in quantùm eſt actio bonitate naturæ; non propter hoc, quod aliquando inveniatur ſeparata à deformitate; ſed quia bonitas illa naturæ deformitati ſubſtat: ità Deus dicitur eſſe cauſa illius actionis in quantùm eſt actio, non in quantùm eſt deformis; non hoc modo, quòd actionem faciat à deformitate ſeparatam, ſed quia in actione deformitati conjuncta, hoc quod eſt actionis facit, & quod deformitatis non facit. Etſi enim in aliquo effectu plura inſeparabiliter conjuncta ſunt, non oportet, ut quidquid eſt cauſa ejus quantùm ad unum, ſit cauſa ejus quantùm ad alterum: ſicut natura eſt cauſa oculi quantùm ad ſubſtantiam ejus, & non quantùm ad defectum cæcitatis, quæ ex naturæ defectu incidit*. Hæc D. Thomas ibi, & 1. 2. *qu. 79. art. 2. ad 3.* Unde ſumitur diſparitas inter deformitatem, & ſupernaturalitatem. Nam hæc eſt differentia ſpecifica actus vitalis contenta ſub eodem genere; ideòque ab eodem principio, à quo eſt vitalitas actus, debet eſſe ſupernaturalitas; & qui ad ſupernaturalitatem concurrere non poteſt, nec poteſt ad vitalitatem in ea repertam: ſicut qui nequit producere rationalitatem, non poteſt animalitatem in homine cauſare. At malitia, ſeu deformitas, non eſt quaſi differentia ſpecifica actus, ſed aliqua privatio debitæ rectitudinis, quæ non dat ſpeciem actui, ſed ad ſpeciem actus conſequitur; ideòque, qui eſt cauſa actus, non eſt neceſſe, ut ſit cauſa deformitatis: ſicut anima eſt cauſa motus in tibia, quin ſit cauſa curvitatis in motu. *Actus, & habitus* (inquit D. Thom. laudatus) *non ſumunt ſpeciem ex ipſa privatione, in qua conſiſtit ratio mali, ſed ex aliquo objecto, cui conjungitur talis privatio. Et ſic talis defectus, qui dicitur non eſſe à Deo, pertinet ad ſpeciem actus conſequenter, & non quaſi differentia ſpecifica*.

LXXV. Addo, totum hoc inſtari poſſe etiam in ſententia contraria. Quia & ipſa admittit Deum ſimultaneè concurrere cum voluntate creata ad actionem peccati, quin ad deformitatem concurrat, quamvis hæc inſeparabilis ſit. Nec juvat dicere, quòd Deus concurrit quidem cum creata voluntate ad actiones malas, ſed invitus, & nolens.

Nam contra. Ad actionem enim quatenùs actio eſt, non poteſt Deus concurrere nolens; quia Deus non odit id, quod facit *Sap. 11. v. 25. Nihil odiſti eorum, quæ feciſti*, quia cuncta, quæ Deus facit bona ſunt *Gen. 1. v. 31.* Quod ſi dicat, quòd Deus concurrat nolens ad eam, quatenus peccaminoſa eſt; ergo (dicam ego) etiam in noſtra ſententia poterit concurrere volens entitatem, & nolens malitiam; quia hęc cadit à ratione formali cauſalitatis, & voluntatis divinæ, à qua non cadit entitas actionis.

Contra ſecundò. Deus voluit martyria Chriſtianorum, etſi connexa cum pec-

Digitized by Google

peccato Tyrannorum. Voluit, imò præcepit mortem Chriſti, eſto inſeparabilem à peccato Judæorum, & Crucifigentium, quin voluerit peccatum Tyrannorum, & Crucifigentium; Ergo poteſt velle actionem, quamvis in re cum malitia conjunctam, quin velit malitiam; quia alio modo, & ex alio fine Deus vult actionem illam, quàm velit creatura. Videatur D. Tho. 3. *p. qu.*47. *ar.*3. *ad* 3. & *art.*6. *ad* 3.

LXXVI. Ad id, quod ſecundò opponitur, reſpondeo cum D. Thom. *in* 2. *diſt.* 37. *qu.*1. *ar.*2. *ad* 3. quòd *Deus dicitur cauſa bonarum operationum, non ſolùm quantùm ad eſſentiam actus, ſed etiam quantùm ad perfectionem, ſecundùm quam bona dicuntur: utrumque enim agenti influit; & ut agat, & ut benè agat. Sed in malis actionibus, quamvis ſit cauſa earum quantùm ad eſſentiam, non tamen eſt cauſa quantùm ad defectum: & ideò abſolutè dicendus eſt cauſa bonorum operum, non autem peccatorum.*

LXXVII. Sed contra dicta variè inſurgunt. Primò. Homo non eſt cauſa peccati, niſi quia vult, & cauſat actum peccati; quia nullus intendit peccatum ipſum, cùm ſit malum; ergo ſi Deus cauſat, & vult actionem, vult, & cauſat etiam peccatum.

Secundò. Qui eſt cauſa antecedentis, eſt cauſa conſequentis; ergo ſi Deus eſt cauſa movens ad actum peccati, erit cauſa movens ad peccandum: qui enim eſt cauſa alicujus, eſt cauſa alterius, quod ei jungitur inſeparabiliter.

Tertiò. Motio phyſica efficacior eſt, quàm moralis: at ſi Deus moveret moraliter ad actionem malam, moveret ad eam quatenùs malam; ergo ſi movet phyſicè ad illam, movet ad illam quatenùs malam.

Quartò. Ex D. Thom. 1.2. q.71. ar.5. *Qui vult aliquid, cum quo aliud ſimul eſſe non poteſt, ex conſequenti vult illo carere, niſi fortè non perpendat:* ſed cum actione mala non poteſt ſtare rectitudo; ergo Deus volens actionem, cum qua nequit eſſe rectitudo, vult etiam ipſam carentiam rectitudinis.

Quintò. Ponens medium efficax ad finem, dicitur eſſe cauſa finis, & volens finem: ſed entitas actionis malæ eſt medium efficaciter diſponens ad malitiam; ergo Deus volens, & cauſans entitatem &c.

LXXVIII. Ad hæc omnia, quæ ſi benè conſiderentur æquè militant contra concurſum ſimultaneum, reſpondendum eſt. Ad primam dico cum D. Thom. 1.2. *qu.*79. *art.* 2. *ad* 2. & *qu.* 3. *de malo ar.*2. *ad* 1. *quòd homo, qui peccat, licèt per ſe non velit deformitatem peccati, tamen deformitas peccati aliquomodo cadit ſub voluntate peccantis, dùm ſcilicet magis eligit deformitatem peccati incurrere, quàm ab actu ceſſare. Sed deformitas peccati nullo modo cadit ſub voluntate divina, ſed conſequitur ex hoc, quod liberum arbitrium recedit ab ordine voluntatis divinæ.* A quo cùm recedere nequeat Deus, ideò ſic tangit actionem, ut ejus defectum non attingat. Sicut eſto creata voluntas nequeat ſimultaneè concurrere ad actionem malam, quin concurrat ad defectum, benè tamen Deus.

LXXIX. Ad ſecundum, diſt. ant. quod eſt cauſa antecedentis, ut connexi cum conſequente, eſt cauſa &c. conc. ant. quod eſt cauſa antecedentis abſolutè, & non ut connexi cum conſequente, eſt cauſa &c. neg. antec. & conſeq. Deus enim non eſt actionis cauſa, ut cum deformitate connexæ, hujus enim ſola voluntas creata cauſa eſt. Et in hoc ſenſu explicari etiam poteſt illud axioma: *quod eſt cauſa cauſæ eſt cauſa cauſati.* Tunc enim verum eſt, quando antecedens eſt cauſa naturalis, & neceſſaria conſequentis, ſecùs verò ſi conſequens ex alia cauſa eſſe poſſit: actio autem quatenùs actio eſt, non eſt cauſa neceſſaria defectus, ſed hic accidit illi ex alia cauſa deordinante ipſam ab ordine voluntatis divinæ.

Simili argumento reſpondens D. Th. 1. *p. q.* 49. *art.*2. *ad* 2. *Effectus* (inquit) *cauſæ ſecundæ deficientis reducitur in primam non deficientem quantùm ad id, quod*

habet

Digitized by Google

habet entitatis , & perfectionis , non autem quantum ad id , quod habet de defectu : ſicut quidquid eſt motus in claudicatione , cauſatur à virtute motiva , ſed quod eſt obliquitatis in ea , non eſt ex virtute motiva , ſed ex curvitate cruris : Et ſimiliter quidquid eſt entitatis , & actionis in actione malâ reducitur in Deum ſicut in cauſam , ſed quod eſt ibi defectus non cauſatur à Deo , ſed ex cauſa ſecunda deficiente . Nec ad hanc doctrinam comprobandam familiaria deſunt exempla . Propellens enim claudum , ut progrediatur , eſt cauſa , cur progrediatur , & tamen non eſt cauſa , cur ille proceſſus ſit claudicatio . Quando duo trahunt navem , is qui eſt alteri cauſa trahendi non peccat , ſi bono fine id faciat ; cùm tamen alter peccare poſſit , ſi trahat in malum finem . Multò ergo magis fieri poteſt , ut quando duæ cauſæ ſunt ſubordinatæ , defectus referatur in cauſam proximam , non in primam .

LXXX. Ad tertium , diſt. maj. Motio phyſica efficacior eſt efficaciâ ſui ordinis , & phyſicâ , conc. maj. Efficaciâ alterius ordinis , nempè moralis , neg. maj. Efficacior quidem eſt motio phyſica inferendo , & cauſando in actione , quod phyſicum , & entitativum eſt ; à linea verò morali quantùm ex ſe eſt præſcindit , & maximè ſi motio ſit primæ cauſæ purè effectivæ . Quod ſi actio cum defectu conjungitur , hoc ideò eſt , quia cum cauſa purè effectivâ , cauſa defectiva conjungitur . At motio moralis , ſi , puta præcepto , ſuaſione , aut conſilio moveat ad actum malum , non poteſt à malitia præſcindere , quia id non facit cauſando entitatem actionis , ſed proponendo voluntati , eique oſtendendo bonum , & faciendum , quod aut bonum , aut faciendum non eſt . Ideòque ſi Deus moraliter moveret , à malitia non poſſet præſcindere , benè tamen , dùm movet phyſicè .

LXXXI. Ad quartum , dico primò , hoc pati evidentem inſtantiam in adverſa ſententia . Nam etiam qui vult concurrere cum alio ad aliquid , cui eſt annexa aliqua privatio , cenſetur velle concurrere ad illam privationem , niſi fortè non advertat : ſed Deus vult concurrere cum creatura ad actionem , cui ſcit eſſe annexam privationem rectitudinis ; ergo vult hanc privationem.

Dico ergo ſecundò , regulam illam S. Thomæ eſſe intelligendam de volente particulari , & qui tenetur talem privationem vitare ; non verò de volente univerſali , & qui defectus vitare non tenetur , ſed ejus potiùs eſt in aliquibus permittere . Eam ergo protulit D. Thom. ut oſtenderet , quòd qui vult aliquid , cum quo aliud ſimul eſſe non poteſt (*puta cùm aliquis vult ludere , quando ad Eccleſiam debet ire*) ex conſequenti vult illo carere , niſi fortè non perpendat , *quòd per hoc quod vult facere impeditur ab eo , quod facere tenetur* . = Quare Capreolus in 2. diſt. 37. q. 1. *Ad hoc* (inquit) *quòd defectus culpabilis conſequens actum imputetur agenti , non ſufficit quòd agens producat actum , & quòd habeat dominium illius actus , & quòd non ignoret defectum ; imò ultra hoc requiritur , quòd agens debeat , & teneatur vitare talem defectum , & cauſare oppoſitum illius defectus : Item quod agens , cui talis defectus imputatur , velit aliquomodo illum defectum* . Cùm ergo Deus , utpotè volens univerſale , non teneatur impedire talem defectum , imò ad eum pertineat permittere aliquos defectus in particularibus , ut dicemus ſequenti tractatu cum D. Thoma *qu. 22. art. 2. ad 2*. Cùm inſuper tales defectus licèt permittat , non tamen velit , neque ab eo ſint volibiles : ideò etſi moveat voluntatem creatam ad actionem , etſi norit tali actioni conjungendum fore defectum , adhuc tamen defectus non imputatur Deo permittenti , ſed voluntati defectibili . Hinc dùm movet Sacerdotem ad conſecrandum , eſto præſciat eum ſacrilegè conſecraturum , tale ſacrilegium Deo non imputatur , ſed Sacerdoti ; quia Deus movet quidem ad actionem quatenùs conſecrativa eſt ,

Digitized by Google

ſed quòd cum ſacrilegio conjungatur, ex prava conſecrantis voluntate eſt, quamvis hoc Deus permittat.

LXXXII. Ad quintam, diſtinguo mi. Entitas, ut à voluntate deficiente procedens, eſt medium &c. conc. min. Ut à Deo efficiente, neg. min. Entitas enim actionis malæ, ut à Deo eſt, eſt quidem ſubſtratum, & fundamentum, ſupra quod cauſa deficiens fabricat malitiam, non tamen eſt medium ad eam diſponens, ſed à malitia præſcindit. Sicut motus tibiæ curvæ eſt quidem medium efficaciter diſponens ad claudicationem, ut conſideratur à tibia curva procedens, non tamen ut conſideratur procedens ab anima.

Addo, quòd illa propoſitio: *ponens medium efficax ad finem dicitur eſſe cauſa finis, & volens finem*, vera eſt de eo, qui ponit medium formaliter, ut medium, propter illum finem, & ex voluntate illius finis. Secus verò de eo, qui ponit medium purè materialiter, nec propter finem, nec ex amore illius finis, ſicut actio, cui conjungitur defectus, ponitur à Deo.

Neque tandem ſequitur, quòd ſi Deus movet homines etiam ad actiones, quę malæ ſunt, homo Deo auctore fiat deterior; quia qui cauſat actum, quo homo fit deterior, eo auctore fit deterior, ut videtur dicere S. Auguſtinus *lib. 83. quæſt. quæſt.* 3. Nam hoc verum eſſet, ſi homo fieret deterior actione, quatenùs à Deo volitâ, & à Deo cauſatâ: ſed cùm homo fiat deterior eâ actione, quatenùs eam deordinat à Dei voluntate, homo ſe ipſo auctore fit deterior, non auctore Deo.

Hæc de præſenti quæſtione, quę Veterum, ac Recentiorum ſemper torſit ingenia: de qua poſt omne poſſibile examen, ac exactiſſimam inquiſitionem, concludendum tandem cum Divo Paulo eſt: *O altitudo divitiarum Sapientiæ, & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus. Quis enim cognovit ſenſum Domini? ... Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia* Roman. 11. v. 33. *&c.* Supereſt, ut, qui confeſſi ſumus, Deum omnem noſtrę voluntatis motum non tollere, non impedire ſuâ efficientiâ, ſed prævenire, & facere, humiliter eum rogemus, ut omnes actiones noſtras ſemper adſpirando præveniat, & proſequatur adjuvando. Agat in nobis ille, qui nos movendo non minùs poteſt facere, ut liberè agamus, quàm, ut agamus. Ille faciat, ut benè agamus, cujus eſt totum quod eſt optimum, & cui debemus initium, progreſſum, & finem boni operis: ille qui ſolus poteſt propitius ad ſe compellere voluntates, ut tandem eò nos perducat, ubi rebelles ampliùs eſſe non poſſimus.

Tomi Tertii I. Partis finis.

INDEX

Digitized by Google

INDEX

Eorum, quæ in hoc Tertio Tomo I. Partis viſa ſunt notatu digna.

A

Actio mala quomodo à Deo ſit. pag. 293. 294. 295. &c. *Adjutorium ſine quo*, & *quo* quid ſint? 149. Utroque eguerunt Angeli, & Adamus. 150. 151. &c. Adjutorium *quo*, ut ſanans quid dicat? pag. 153.

Adrumetini Monachi D. Auguſtino opponebant. 116. 148. &c.

Agatho Papa Sanctum Auguſtinum laudat. 127.

Angeli Cuſtodes non deferunt totaliter peccatores. 216. 217.

Antichriſtus quomodo exiſtat in æternitate. 41. 42. 44. 45.

Antiochus non fuit ex toto gratiâ deſtitutus. 222.

Approbationis ſcientia non diſtinguitur à ſcientia viſionis. 32.

Arauſicana II. Synodus Canones ex S. Auguſtini ſententiis format. 127.

Æternitati, quomodo coexiſtant futura? 34. 35. &c. 41. 42. Infinita, & tota ſimul, omnia ſimul continet. pag. 38. 39. 42.

Attributa ſua ſcit Deus à priori. 12. 13. Ad ejus objectum primarium pertinent etiam motivum. Quomodo? 17. 18. 19.

S. *Auguſtinus* aſſerit, futura Deo eſſe præſentia. 35. 36. Neque oppoſitum evincitur. 40. 41. Si Deo non eſſent præſentia, bis ea ſciret, & ſcientia ejus eſſet variabilis. 66. 67. Scientiam Dei non tollere contingentiam docet. 70. De cognitione futurorum. 82. 84. Eam non negat Deo de conditionatis. 96. 97. Novit ſcientiam mediam. 109. Ei non favet. 120. &c. Nec quoad uſum. 125. &c. Quid ſentiat de Tyriis, & Sidoniis. 126. Reſpondet querelis. ibid.

S. *Auguſtinus*. Quantæ auctoritatis ſit in materia de Gratia. 125. &c. Ejus Doctrinam Pontifices probant. 126. 127. Falsò adducitur pro ſcientia media. 128. 129. 130. 131. 132. 133. Falsò ei tribuitur pro Angelis viatoribus, & Adamo innocente. 145. &c. Duplex adjutorium aſſignat, unum *ſine quo*, alterum *quo*. 149. Utrumque admittit in omni ſtatu naturæ, etiam in Angelis. 150. 151. &c. Ejus mens de Voluntate Dei circa ſalutem omnium. 170. 171. Et de Voluntate Chriſti. 182. 183. De ejus oratione pro omnibus. 185. 186. 187. Exponit textum Pauli de voluntate ſalutis omnium. 191. Cur abſtinuit à voluntate generali ſalutis. ibi. Eam non negat. 192. Præceptorum obſervantiam non eſſe impoſſibilem docet. 202. 203. 219. Non juſtis. 201. &c. Non peccatoribus. 206. 207. Non infidelibus. 209. &c. Non docet ignorantiam invincibilem eſſe peccatum. ibi. & 210. 211. 212. Plures gratias admittit ante fidem. 216. Decreta per ſe efficacia ſtatuit. 255. 256. Quomodo dicat, quòd non omnis voluntas à Deo eſt? 266. 267.

Auxilium ſufficiens. Vide *Gratia*.

Digitized by Google

B

B*Aii* error, quòd infidelitas negativa ſit peccatum. 212.
Bellarminus Sanctum Auguſtinum celebrat. 127.
Benedictus XIII. D. Auguſtini calumniatores refellit. 128.
Bonifacius II. S. Auguſtinum laudat. pag. 127.
Bruta aliquomodo elevantur ſupra materiam in cognoſcendo. 4.

C

C*Alvinus* pueros decedentes ſine Baptiſmo aſſerit ſalvari. 193. Præcepta dicit eſſe impoſſibilia. 198.
Cain non fuit in totum derelictus. 223.
Cariſiaca Synodus damnat Goteſchalchum. 189.
Chryſoſtomus non negat Decretum antecedens voluntates noſtras. 266.
Chriſtus pro omnium ſalute ex animo ſanguinem fudit. 181. 182. &c. Pro omnibus oravit oratione generali. 186. 187. Nec in hoc decreto Patris contradicebat, quamvis ſciret, aliquos eſſe præſcitos. *ibi.* Ejus Sanguis effuſus pro multis, & pro omnibus. 187. 188. 189. Etiam pro parvulis ſine Baptiſmo decedentibus. 194. Quomodo? 195. 196. 197. 198. Illuminat omnem hominem. 199. 200. Juſtè increpavit hebræos. 115. &c. 264. 265.
Cicero erravit circa Dei Scientiam, & Providentiam de futuris. 64.
Clemens VIII. in Congregationibus de Auxiliis cuncta ex mente S. Auguſtini ſtatuenda decernit. 127. 128.
Cæleſtinus I. quid pro S. Auguſtino egerit? 126.
Cælum empyreum eſt activum. 5.
Cognitio ſpeciem ſumit ab objecto immediato. 28. 29.
Concurſus cauſæ univerſalis creatæ determinatur à cauſa particulari. 269.
Conditionatum quotuplex ſit? 90. 91.
Continentia non eſt obſervatu impoſſibilis. 202.
Correptio juſta eſt abſque ſcientia media. 115. 116. 119. 120. Corozain juſtè increpatur. *ibi.* & 264. 265.
Corozain juſtè increpatur. 115. 264. 265.
Creatura à Deo ſciuntur à priori. 11. 12. 13. Ad ejus objectum primarium non pertinent. 15. 16. Poſſibiles cognoſcit propriâ cognitione. 21. 22. Per ſuam eſſentiam. 23. In ſua eſſentia. 24. Ut in cauſa. *ibid.* 25. 26. 27. Non in ſeipſis, ut in medio. pag. 28. 29. 30. 31.

D

D*Amaſceni* mens circa futura. 51. *Damaſcenus* non negat prædeterminationem. 265.
Denegatio gratiæ eſt homini voluntaria. 288. 289. 290.
Decretum Dei radix eſt futuritionis. 66. 68. Non poteſt dici futurum. 73. 74. 75. Eſt medium ad cognoſcenda futura. 84. 85. &c. Duplex, abſolutum & conditionatum, & quomodo? 100. Abſoluta ex parte ſubjecti, & conditionata ex parte objecti dantur in Deo. 101. Non quæ eſſent ſi. 103. Non ſunt otioſa, nec ridicula, nec nugatoria. 104. 105. An admittantur circa omnia conditionata *ibid.* & 106. Quomodo inferant mutationem. 107. Non afferunt voluntates repugnantes. *ibid.* Neque datur decretum, quod eſſet ſi. 144. Eſt ab intrinſeco efficax ex Scripturis. 252. 253. 254. Ex S. Auguſtino. 255. Ex D. Thom. 256. &c. Ex ratione. 258. &c. Si ſit indifferens non operatur in omni operante: potius nobis quàm illi tribuitur bonus conſenſus. 258. 259. Deus non haberet perfectum dominium ſupra actus noſtros. 259. Nulla foret neceſſitas orationis. 260. Dari poſſet homo quem Deus non poſſet convertere. 260. 261. Non quietat hominem. 271. Per ſe efficax cohæret cum creata libertate. 271. 272. &c. Facit illam. *ibi.* Se attemperat naturis rerum facien-

Digitized by Google

faciendo tamen. 273. 274. Diſtat ab errore Calvini. 275. Tridentino non contradicit. 276. Etſi non ſit in poteſtate hominis, non tollit libertatem. 277. 278. 279. Qualiter impediat actum oppoſitum? 280. 281. Non tollit indifferentiam poteſtatis. 282. 285. Non infert neceſſitatem niſi conditionalem. 277. &c. 283. Relinquit locum correptioni. 286. 287. Sine decreto efficaci ſtat adhuc poſſe. *ibid.* & 288. Quomodo ſe habeat ad actus malos. 293. Determinat ad agere, non ad malè agere. *ibid.* & 294. 295. 296. 297. 298.

Deus Græcè *Theos* à videndo. Naturæ intelligentis *pag.* 1. Præſertim, quia immaterialis. 2. 3. 4. Demonſtrari poteſt. 5. Vide *Intellectus*. Ratio intellectus per modum potentiæ actui puro non detrahit. 6. 7. In eo eſt ſcientia verè talis. 8. &c. Vide *Scientia*. Comprehendit ſeipſum. 20. 21. Creaturas propria cognitione cognoſcit. 21. 22. Poſſibiles, præſentes, futuras, & quomodo? 23. 24. 25. 25. 27. 28. 29. 30. 31. Futuras certò cognovit ab æterno. 64. Vide *Futura*. Vide *Præſentia*. Habet Voluntatem. Vide *Voluntas*. Vult omnes homines ſalvos fieri. 170. 171. &c. 191. 192. Eſt Liber 234. Vide *Libertas divina*. *Decretum*.

E

Ccleſia præſens ſi certò ſciret, aliquem eſſe præſcitum, pro eo non oraret. 186. 187.

Efficacia divinæ Voluntatis. Vide *Voluntas*. *Decretum*. Se accomodat naturis rerum. 272. 273. 274.

Errores circa Scientiam Dei in ordine ad futura. 63. 64.

Eſau falſa fuit pœnitentia. 223.

Eſſentia divina eſt medium *quo*, & *in quo* cognoſcendi creaturas poſſibiles. 23. 24. 25. Connectitur cum illis. 26. Etiam cum præſentibus, & futuris. 27. Non eſt formaliter potentia operativa. 53.

Excæcatio quid ſit? 205. Excæcatis gratia non deeſt. *ibi.* 206. 222. 223.

F

Elix IV. Sanctum Auguſtinum celebrat. 127.

Fortaſſis non ſemper exprimit dubietatem. 95. 96.

Futura ſunt præſentia æternitati, non ſolùm objectivè, ſed phyſicè. 34. Id docent Patres. 35. D. Thomas. 36. 37. Ratio oſtendit. 38. 39. Adverſariis ſit ſatis. 40. &c. Non coexiſtunt æternitati adæquatè ſumtæ. 41. 42. Ut præcontenta in menſura excedente. 43. Ideò ſunt futura quia à Deo ſciuntur. 48. 49. Non è contra. *ibid.* & 50. 51. Secùs de peccatis. *ibid.* Certò cognoſcuntur à Deo. 64. Eorum præſentia in æternitate eſt medium ſufficiens ad eorum certam cognitionem, non neceſſarium. 65. 66. Benè tamen, ut cognitio ſit invariabilis. 66. 67. Et intuitiva. 68. 69. Eorum contingentia cum Scientia Dei ſalvatur. *ibid.* & 70. 71. &c.

Futura contingentia abſoluta, quo in medio cognoſcantur à Deo. Vide *Scientia Dei*. Non ſunt futura ante decretum Dei. 73. 74. 79. 80. Non habent veritatem objectivam determinatè. *ibid.* Nec ex vi contradictionis. 82. 83. Sed in Decreto Dei. *pag.* 84. 85. &c.

Futura contingentia conditionata certò à Deo cognoſcuntur. 92. 93. &c. Etiam diſparata. 94. 95. Non cognoſcuntur pro priori ad decretum, quod ſit. 102. 103. Et ideò non per ſcientiam mediam. 137. 138. &c. Non requirunt decretum, quod eſſet. 144. Quâ ſcientiâ cognoſcantur. 144. 145.

Futuritio nequit ſupponi ante decretum Dei. 80. 81. 82. Eſt rei extrinſeca. 86. 87. An de ea eodem modo loquendum, ac de præteritione? *pag.* 89.

G

Goteſchalchus quis ? Prædeſtinatianorum errorem excitavit. 189.
Gratia Dei eſt, quæ diſcernit. 111. 112. Non eſt efficax ex conſenſu. 112. 113. Efficacis denegatio non excuſat. 118. Cur aliquibus non detur. *ibid.* & 119. Per ſe efficax ad perſeverandum fuit neceſſaria, & Angelis, & Homini innocenti nec requiritur ex ſola corruptione naturæ. 145. 147. 151. Sanans quo ad mentem, & quoad carnem, quæ ſit ? 150. 151. In natura corrupta gratia efficax ſanans quoad carnem non addit vires, ſed applicat vincens reſiſtentiam carnis. 153. Vide *Decretum Dei. Sufficiens* omnibus nedùm offertur, ſed confertur. 199. Juſtis. 201. &c. Peccatoribus obcæcatis &c. 205. Infidelibus. 209. &c. Specialiter cùm ad uſum rationis perveniunt. 213. Non deſerit niſi deſeratur. *ibi.* & 214. & 289. Quænam defuit primo Homini, & Angelis qui lapſi ſunt ? *ibi.* Etſi omnibus detur, gratia adhuc eſt. 215. Gratia fidei non eſt omnino prima. 215. 216. Non ſolis prædeſtinatis datur. 218.
Gratia ſufficiens debetur ex titulo redemtionis. 227. Ex fidelitate. 228. Quomodo homo poteſt ei deeſſe, & eam reddere vacuam. 251. 262. 263. Et impedire. 288. 289. Nec Deus eam dare tenetur. *ibi.* Denegatio gratiæ etiam primæ eſt homini voluntaria. 289. Gratia ſufficiens non eſt fruſtra. 290. &c. Non eſt pernicioſa, ſed utilis. 292. Dum efficax deeſt, deeſt agere, non poſſe. 253.

H

Hadriani I. Papæ laudes S. Auguſtini. 127.
D. Hieronymi mens circa futura. 51.
Homo ad uſum rationis perveniens illuminatur. 200.
Hormiſdas Papa S. Auguſtini doctrinam de gratia dicit eſſe doctrinam Eccleſiæ Romanæ. 126.

I

Janſenius S. Thomam laudat. 146. Gratiam per ſe efficacem ſolùm pro ſtatu naturæ lapſæ fatetur. 145. Malè hoc infert ex S. Augustino. 147. 148. &c. Malè loquitur de Voluntate Dei circa ſalutem omnium. 170. 171. &c. Quis fuerit ? 175. Quinque Propoſitionum verè Auctor. 177. 178. Negat, Chriſtum ex animo ſanguinem fudiſſe pro omnibus. 181. 182. &c. Gratias ſufficientes, & libertatem indifferentiæ non admittit. 180. Negat gratiam omnibus dari. 198.
Janſeniſmus unde ortus ? 175. 176.
Janſeniſtæ pluriès damnati caput ſemper erexere. 176. 177. Ab ipſis Thomiſtæ quàm alieni. 179. 180. 181.
Ignorantia invincibilis non eſt peccatum. 210. 211.
Immaterialitas ratio cognoſcitivitatis. Quomodo ? 2. 3. 4.
Immaterialis ſubſtantia non cognoſcitiva eſt impoſſibilis. 4.
Immenſitas æternitati comparatur. 39.
Imperium eſt actus potentiæ executivæ in Deo. 60. 61.
Impoſſibilia Deus non jubet. 201. 202. 220. 221.
Infallibilitas divinæ Scientiæ non tollit contingentiam. 69. 70. 71. 72. Vide *Decretum*.
Infidelibus gratia non deeſt. 209. &c. Saltem remota. *ibid.*
Infidelitas negativa non eſt peccatum. 212. 213. Datur, etſi in primo inſtanti uſus rationis omnibus detur gratia ſufficiens. 216. 217.
Innocentius I. S. Auguſtino favet. 125.
Innocentius X. damnat Janſenii librum. 176. Non damnat gratiam per ſe efficacem. 269. 270.
Intellectus in Deo eſt attributum. 5. dicit rationem potentiæ, non ſolùm actus; nec actui puro officit. 6. 7.

In-

Digitized by Google

Intellectivum ſequitur volitivum, non tamen omnem intellectionem ſequitur volitio. 156.
Joannes II. S. Auguſtinum laudat. 127.
S. Juſtini mens circa futura. 50. 52.
Juſtis præcepta non ſunt impoſſibilia. 201. &c. In eis neceſſitas peccandi non eſt. 220.

L

Launojus in S. Auguſtinum iniquus pag. 128.
Leo IX. S. Auguſtinum laudat. 127.
Libertas divina læditur per ſcientiam mediam. 142. In Deo eſt libertas. 234. Indifferentiæ. 235. Quæ non deſtruit ejus immutabilitatem. 236. 237. Non eſt libertas circa divina. 238. Sed circa creata. 239. Nihil dicit defectibile ex parte Dei. 241. 242. &c.
Libertas indifferentiæ, & à coactione. pag. 181.
Libertas creata non tolitur per decretum per ſe efficax. 271. 272. Non petit habere in ſua poteſtate ea quibus actus pendet à Deo. 278. 279. Indifferentia non tollitur per efficaciam decreti. 282. Senſus compoſitus, & diviſus exponitur. 284. Defenditur. 285. 286.
Lolbardus Deum ſcire mala, quæ ſub terra fiunt negavit. 63.
Lugdunenſis Eccleſia non favet Janſenio. 189. 190.

M

Medium cognitionis, aliud *quo*, aliud *in quo*. 23. Quodnam ſit reſpectu cognitionis divinæ? 24. &c. Non ſunt creaturæ. 28. &c. Ad cognoſcenda futura contingentia abſoluta, quodnam ſit? 73. 74. &c. Eſt Decretum. 84. &c.
Menſura peccatorum, an detur. 225. 226.
Milevitanum Concilium. 125.
Moguntina Synodus damnat Goteſchalchum. 189.
Molina ſe auctorem facit ſcientiæ mediæ. 108. 109.

N

Natura divina non eſt formaliter potentia executiva. 53. Non eſt medium cognoſcendi futura ante decretum. 73. 74.

O

Obduratio quid ſit? 205.
Omnipotentia immediatè terminatur ad creaturas. 31. Non eſt formaliter natura divina. 53. Nec attributum à linea intellectiva, & volitiva diſtinctum. 54. 55. 56. Sed Intellectus practicus. 57. Scientiæ viſionis. 59. Et actus Imperii. 60. 61. Per ſcientiam mediam lædi videtur. 142.
Oratio Chriſti generalis, & ſpecialis. pag. 186. 187.
Origenis mens circa futura. 50.

P

Parentes ſaluti parvulorum cooperantur. 195. 197.
Parvuli decedentes ſine Baptiſmo à Regno Cœlorum excluſi. 193. Quomodo includantur in voluntate Chriſti de omnium ſalute? *ibid.* 193. &c.
Paſſio Chriſti quomodo ſe habeat ad parvulos ſine Baptiſmo morientes. pag. 195.
Patres ante Auguſtinum pro arbitrio ſtabant, quia contra Manichæos agebant. 52. 53.
S. Paulus non favet ſcientiæ mediæ. 111. 112. Ejus mens de Voluntate Dei circa ſalutem hominum. 170. 191. 192. In quo ſenſu dicat *venundatus ſum ſub peccato*. 220.
Peccatoribus obcæcatis gratia ſufficiens non deeſt. 205. &c. 222. 223.
Peccatum quomodo ſit futurum? 89. 90.
Peccatum ad mortem quodnam ſit. 224. 225. Contra Spiritum Sanctum. *ibi.* Peccatorum menſura. *ibi.* & 226.
Pelagiani parvulos ſine Baptiſmo ad Re-

Re-

Digitized by Google

Regnum Cœlorum non admittebant. *pag* 193.
D. *Petrus* quomodo poterat, & non poterat ſequi Chriſtum. 217. 218.
Pharao non fuit omni auxilio deſtitutus. 223.
Preſcientia Dei adjunctam habens voluntatem eſt cauſa cur res ſint futuræ. 49. Non tamen cur ſint futura peccata. 50. 51.
Præſentia duplex. 34. Futurorum in æternitate quomodo? 35. &c. Realis ex D. Auguſtino. 35. & D. Thoma. 36. 37. 38. Ratione. *ibid.* &c. Futurorum in æternitate eſt medium ſufficiens ad certam illorum cognitionem. 65. Non unicum. 66. Neceſſaria ut ſcientia Dei ſit invariablis *ibid.* & 67. Ut ſit intuitiva. 68. 69.
Præterito an ſit rei extrinſeca? 89.
Prophetia comminatoria quomodo prænunciet? 88. Non eſt purè conjecturalis. 98.
Propoſitiones de futuro non ſunt determinatè veræ, vel falſæ pro priori ad decretum. 82. 83. Conditionales quot modis ſumantur? 91. Quomodo habeant determinatam veritatem &c. 98. 99. De re, & de dicto. 283.
S. *Proſper* pro S. Auguſtino 126. 191. 192.

R

R*Emigius* Lugdunenſis quid de Infidelibus ſenſerit. 188. 189. 190. Non favet Janſenio *ibid.*

S

S*Cientia* in Deo eſt. Non per modum habitus; ſed actus. 8. A' priori propriè. 9. Sine diſcurſu. *ibi.* 10. Reſpectu omnium creaturarum. 11. Etiam exiſtentium poſſibilium, attributorum ſuorum. 12. 13. Non tamen à poſteriori *ibi.* & 14. Ejus objectum primarium non complectitur creaturas. 15. 16. Vide *Creatura*. Dividitur in ſcientiam viſionis & ſimplicis intelligentiæ. 31. 32. Non tanquam in duo Attributa. 33. Eſt cauſa rerum ut adjunctam habens voluntatem. 46. Non ſolùm directiva, ſed effectiva. 47. Eſt formalis omnipotentia. 54. 55. &c. Pro ut ſcientia viſionis practica. 59. 60. Et ut dicit actum Imperii. 61. Futura contingentia abſoluta certò cognoſcit. 64. Vide *Futura* vide *Præſentia*. Salvat eorum contingentiam. *pag.* 69. 70. 71. 72.
Scientia Dei cognoſcit futura abſoluta non in eſſentia ſua pro priori ad Decretum. 73. Non in decreto ut futuro. 74. Non in ſupercomprehenſione Voluntatis creatæ. 76. Non in eorum veritate objectiva. 79. Benè tamen in Decreto Dei. 84. *pag.* 85. &c.
Scientia Dei conditionatorum certa. 92. 93. 94. Etiam diſparatorum. *ibid.* & 95. Non arguit imperfectionem. *pag.* 99. 100.
Scientia mediæ origo, & progreſſus; an nova? Antiquis nota, eà Ariani, Pelagiani, & Semipelagiani uſi, vel abuſi ſunt. Quid de ea actum ſit Romæ. 108. 109 Quid ſit? 110. 111. Ei non favent Scripturæ *ibid.* & 112. 114. &c. Nec D. Auguſtinus. 120. &c. 128. &c. Nec Divus Thomas. 133. &c. Nec ratio. 137. &c. inutilis ad fines, ob quos aſtruitur. 139. Inconvenientia generat. 140. 141. 142. libertatem Dei & omnipotentiam lædere videtur *ibid.* Non eſt admittenda pro Angelis Viatoribus, nec pro Adamo Innocente. 145. &c.
Sacra Scriptura non favet Scientiæ mediæ. 114. &c.
Semipelagiani ſcientiâ mediâ utebantur. 109. Voluntate antecedente abutebantur. 174.
Simplicis intelligentiæ. Vide *Scientia*
Suppoſitio futuritionis, vel eventus nequit fieri ante decretum. 80. &c.

D. Tho-

T

D*Ivus Thomas*. Ejus ratio probans Scientiam in Deo. 2. &c. Præſentiam futurorum in æternitate. 36. 37. 38. Salvat Scientiæ Dei infallibilitatem, & rerum contingentiam. 70. 71. 72. Ejus mens de cognitione futurorum. 84. 85. 87. In decreto. 102. Doctrina, cur non omnibus detur gratia efficax. 118. 119. Scientiam mediam non admiſit. 133. 134. &c. Gratiam per ſe efficacem requirit pro omni ſtatu. 146. 147. &c. 256. 257. 258. Neque oppoſitum probatur. 257. 268. Quæ ſit ſanans quoad mentem, & quæ quoad carnem? 150. 151. Voluntatem Dei de omnium ſalute etiam in ſtatu naturæ lapſæ fatetur. 171. Nulli in hac vita deeſſe gratiam. 207. 208. Nemini impoſſibile præcipi. 221. Ex efficacia divinæ Voluntatis probat creatam libertatem. 272. 273. 277. 278. Non infert neceſſitatem, niſi conditionalem. 277. 278. 283. Homo non poteſt advocare gratiam, ſed impedire. 288.

Thomiſtæ à Janſeniſtis quantum diſcrepent. 179. 180. 181. 270. Gratias ſufficientes, & libertatem indifferentiæ admittunt pro natura lapſa. 180 Non damnati ab Innocentio X. 269. 270. Illis eadem opponuntur, quæ olim Auguſtino. *pag.* 277. 288.

Tyriorum exemplum non favet Scientiæ mediæ. 115. 116. 117.

V

V*Alentinum III.* Concilium non negat Chriſtum ſe obtuliſſe pro omnibus. 180.

Veritas objectiva futurorum non datur ante decretum Dei. 79. 80.

Vincentius Semipelagianus carpit Sancti Auguſtini doctrinam. 192.

Vinea Iſraelis fecit Deus totum, quod debuit, non quod potuit. 263. 264.

Viſionis ſcientia. Vide *Scientia*.

Voluntas divina pro priori ad decreta eſt indifferens. 75. 76.

Voluntas in Deo datur. 154. 155. Et quidem propriè. *ibid.* Eam eſſe in Deo benè probat D. Thomas. *ibi.* &c. 155. Eſt in Deo non ſolùm per modum actus. *ibid.* Vult creaturas. 157. 161. Etiam poſſibiles 162. 163. 164. Sola ejus bonitas eſt ratio omnia volendi. 158. 159. Ut completitur omnia divina. 160. 161.

Voluntas ſigni, & beneplaciti. 165. 166. Neceſſaria, & libera; abſoluta, & conditionata. *ibid.* Antecedens, & conſequens cur ſic dicta? 167. 168. Antecedens de omnium ſalute. 170. &c. An ſemper impleatur? 172. 173. Non eſt otioſa, aut parùm ſincera. *ibi.* & 174. Non erat refugium Semipelagianorum. 174. 175. Ex ea conferuntur auxilia ſufficientia omnibus. 198. 199. &c.

Voluntas divina eſt immutabilis. 229. 230. &c. Quomodo Deus aliqua dixit, quæ non implevit? 231. 232. Non ſunt in eo voluntates contrariæ. *ibid.* Mutari nequit, etſi non ex neceſſitate velit. 232. Si inciperet velle in tempore, mutaretur. *ibi.* Si Voluntas divina poſſet mutari non quietarentur humanæ anxietates. 233. Eſt libera, & immutabilis, adhuc tamen indifferens. 234. 235. &c. Non circa divina libera eſt, ſed circa creata. 238. 239. Non potuit manere ab æterno ſuſpenſa. 247. 248. 249. 250. Decreto per ſe efficaci determinat voluntates creatas. 252. &c. Vide *Decretum*.

Voluntas creata etiam ſupercomprehenſa non poteſt eſſe medium cognoſcendi futura libera. 77. 78. Eſt prorsùs indifferens. 79. De ipſa Deus facit quod vult. 255. 261.

LAUS DEO.

Digitized by Google